3 0311 00022 4

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/bwb_T5-CSC-450

DIATESSARON

SEU

CONCORDIA QUATUOR EVANGELIORUM

IN UNUM REDACTORUM



DIATESSARON

SEU

CONCORDIA QUATUOR EVANGELIORUM

IN UNUM REDACTORUM

CUM NOTIS AC DILUCIDATIONIBUS EXEGETICIS, DOGMATICIS,
ASCETICIS, HISTORICIS, ETC.

AUCTORE

FR. ALEXIO HENRICO MARIA LÉPICIER

Ord. Serv. B. M. V.

ARCHIEPISCOPO TARSENSI

Commissionis Pontificiae de Sacra Scriptura sodali
olim in Pont. Collegio de Propaganda Fide Theologiae Dogmaticae professore, etc.

WITHDRAWN

VOLUMEN II

**A secundo Paschate vitae publicae Domini Nostri Iesu Christi
ad festum Encaeniorum post tertium Pascha**

*Ut veritas Evangelii permaneat
apud vos.* GAL., II, 5.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

EX LIBRIS PROVINCIAE
PIO STUDIO THEOL.
S. S. CORDIS JESU.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA IN INSTITUTO PII IX

IUVENUM OPIFICUM A S. IOSEPH

1924

LIBRERIA PONTIFICIA
FEDERICO PUSTET
ROMA

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister

IMPRIMATUR

† Iosephus Palica, Arch. Philippen., Vic. Ger.

DILECTO FILIO

ALEXIO MARIAE LÉPICIER

EX ORDINE SERVORUM MARIAE

PIUS PP. XI

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem;

GRATUM quidem est, quod accepimus, te, cum in sacra theologia verbis scriptisque tradenda, annos bene multos, Angelici Doctoris vestigiis insistens, consumpseris, plurimum operae studiique iam dudum conferre ad divinas litteras, atque adeo ad ipsa quatuor Evangelia, quibus Domini Nostri Iesu Christi et vitae et doctrinae veluti summa continetur. Itaque non modo quae singuli Evangelistae scripsere, ea sic, optimis auctoribus usus, composuisti, ut unum quasi rerum contextum conficeres, sed etiam ad contextum huiusmodi explicandum tantam annotationum, e Sanctis Patribus et e probatissimo quoque tum veterum tum recentiorum Scripturae interpretum haustam, copiam adiunxisti ut quaecumque de vita, institutis praeceptisque Redemptoris nosse

12,562

maxime conveniat, ea tamquam uno conspectu omnia in tuo libro complecti liceat. Accedit quod annotationes istas explicationesque peropportuno consilio ad usum ordinasti cum privatum legentium aut meditantium, tum publicum etiam sacrorum concionatorum. Quare Nos, quibus nihil tam cordi est, quam Bibliorum vigere studia, in primisque Evangeliorum, unde clerus populusque christianus ad bene sancteque vivendum proficiat, vehementer equidem propositum tuum probamus, eo magis quia primum hoc volumen — quod, ut promittis, cetera brevi consecutura sunt — et soliditate doctrinae et pietatis suavitate videmus commendari, quarum praesertim causâ tres proximi decessorum Nostrorum tua scripta dilaudarunt.

Tu vero perge, ut facis, dilecte fili, opes ingenii scientiaeque tuae in communem fructum proferre, divino fretus auxilio: cuius Nos auspicem eamdemque testem paternae benevolentiae Nostrae, apostolicam benedictionem tibi amantissime impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VII mensis iulii MCMXXIII, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. XI.

PRAEFATIO

ALTERUM nunc Evangeliorum Concordiae volumen prodit, quod ea methodo, ea mente elaboravimus, quibus, anno superiori, prius edendum curavimus. Nimirum, haec nobis constans intentio fuit, hoc desiderium, ut omne quod ad fidem nutriendam, ad mores excolendos, ad devotionem confovendam aut eruditionem promovendam, in sacro Textu, tanquam in semine, continetur, fideliter et copiose, brevitati tamen studentes, enuclearemus.

Nec imminuta utcumque est intima illa, qua in priori volumine edendo, persuasio movebamur, nil scilicet ad vitam pie fructuoseque traducendam tantopere conducere ac quotidianum et bene ordinatum Evangelii Iesu Christi studium. Sic enim et non aliter obtinet, ut vita hominis christiani, ipsam divini Salvatoris formam redoleat et quodammodo referat.

Liceat igitur nobis omnes quotquot sacerdotio sunt aucti, verbis Psaltae dulciter compellare (1): *Accedite ad eum,* id est ad Iesum Christum ex Evangelio cognoscendum, *et illuminamini, et facies vestrae non confundentur.*

Duo adhuc voluminа praesens volumen, Deo concedente, suscipient, quae quidem iam exarata et revisa sunt, unde

(1) Ps. XXXIII. 1.

opus *Diatessaron* quatuor voluminibus constabit. At cum, iubente Christi Vicario, mox ad Indos simus profecturi, hinc non poterit sequela operis eo veloci cursu, ut optaveramus, in lucem prodire.

Utinam plurimi, ex harum paginarum lectione iugiter crescant *in gratia et in cognitione Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi. Ipsi gloria et nunc et in diem aeternitatis. Amen* [1].

Romae, in Festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis, 1924

[1] 2 Pet., III, 18.

PARS IV.

A secundo Paschate vitae publicae Iesu Christi Domini nostri usque ad tertium Pascha.

SECTIO LXXXII.

(I. V, 1-9).

Argumentum. — *Adveniente Iudaeorum festo die, ascendit Iesus Ierosolymam, ibique hominem ad piscinam Probaticam iacentem, atque per plures annos curationis beneficium frustra exspectantem, surgere iubet et ambulare; qui statim ab infirmitate liberatus, tollit grabatum suum et ambulat.*

Ratio Sectionis. — Parabolam de seminante, quam S. Lucas statim post praedicta refert *, ad posteriorem locum esse transferendam, ex eo plane evincitur, quod apud S. Matthaeum, ubi eadem res compendiose narratur **, a Domino dicta refertur, postquam ille per sata sabbato transiisset, ac discipuli spicas confricassent ***. Porro rem hanc ante secundum Pascha, de quo hic agit S. Ioannes, evenisse, credendum non est, cum nullo modo liceret Iudaeis ante festum Paschatis spicas vellere, aut quidquam edere ex nova segete: quandoquidem id lege fieri prohibebatur, priusquam spicarum manipulus in primitias messis oblatus fuisset Domino, quod erat altero die Paschae, ut legitur in Levitico ****. — Quod autem hic asserimus, festum diem Iudaeorum, quem S. Ioannes initio praesentis capitis ponit, esse ipsummet diem Paschatis, clarius mox ostendetur *****. Porro, Pascha hoc, in ordine publicae praedicationis Christi, fuisse secundum, ex eo evincitur, quod factum de spicarum confricatione nequit commode post primum Pascha adaptari, ut ex ordine rerum hucusque narratarum sat evidenter patet; sed nec illud convenit immediate post tertium Pascha amandari: sic enim singularis distortio illius ordinis, quem singuli Evangelistarum sequuntur, necessario involveretur.

(*a*) POST haec erat festus dies Iudaeorum [1]; et ascendit Iesus Ierosolymam [2]. Est autem Ierosolymis Pro-

(*a*) I. v, 1-9.

[1] Festus dies hic est solemnis dies Paschae: quare hic incipit secundum Pascha vitae publicae Domini nostri Iesu Christi.

[2] Undenam ascenderit Dominus noster, Scriptura non dicit: forsitan ex Galilaea, si quidem ibi evenerit mulieris peccatricis

* VIII, 4, seq. — ** Matth., XIII, 1, seq. — *** Ibid., XII, 1, seq. — **** XXIII. — ***** Quaest. II post praesentem Sect.

batica piscina [3], quae cognominatur hebraice Bethsaida, quinque porticus habens [4]. In his iacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquae motum [5]. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam: et movebatur aqua [6]. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus

ad illius pedes occursus, licet probabiliter dici possit hoc fuisse ex pago Bethaniae, ubi peccatrix mulier commorabatur ([1]). — Hoc autem in facto, novum nobis praebet Dominus exemplum obedientiae relate ad legis praescripta.

[3] *Piscinae* nomen, etsi proprie ad vivarium piscium significandum adhibeatur, commode tamen usurpatur, prout in praesenti loco, ad designandum aquarum congregationem, seu aquarium. — Nomen vero *Probatica,* iuxta hanc Vulgatae nostrae lectionem, quam multi ex antiquis Patribus sequuntur, huic piscinae datum est, quod prope erat portam qua oves vel pecora, ad sacrificium destinata, in templum introducebantur; pecus enim graece dicitur πρόβατον.

[4] Nomen *Bethsaida* non uno modo in graecis codicibus legitur. In potioribus est Βεθζαθά; in aliis vero Βηθεσδά et Βηθσαϊδά. — Quantum vero ad lectionem nominis hebraici, non omnes conveniunt interpretes; nonnullis significationem inde eruentibus, *domus misericordiae.* — Piscina, quae erat ad orientem urbis plagam non longe a valle Iosaphat, et quam eruditorum plures identificant cum eo loco cui nunc nomen est Birket Israîn, seu *piscina Israel,* erat edificium non longe ab arce Antonia, quinque porticibus suffultum, in quo ipsi forsan aegroti et illi quibus piscinae cura erat, commorabantur.

[5] En figura spiritualium morborum, quibus mundus subiacebat, cum Dominus ad eos sublevandos misericorditer advenit. — In pluribus graecis codicibus deest vox *magna:* nimirum, legitur simpliciter κατέκειτο πλῆθος. — Nomen *languentes* generaliter ponitur: tum specifice explicatur quinam illi fuerint: scilicet caeci, claudi, aridi, paralytici.

[6] Motu angelorum proprio, id est, per contactum virtutis, Angelus ibi praesens fiebat; etenim motus localis corporum subesse noscitur angelicae potestati ([2]). — Pro *autem,* in graeco est *enim,* γάρ; loco autem eius quod legitur in Vulgata: *Et movebatur aqua,* in graeco est: ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ, *et movebat aquam,* scilicet angelus.

([1]) Sect. LXXX, Ratio Sect. Vol. I, p. 463. — ([2]) Tract. DE ANGELIS, Vol. II, Quaest. CX, art. 3, n. 3, p. 102.

fiebat a quacumque detinebatur infirmitate [7]. Erat autem quidam homo ibi, triginta et octo annos habens in infirmitate sua [8]. Hunc cum vidisset Iesus iacentem [9], et cognovisset quia iam multum tempus haberet [10], dicit ei: *Vis sanus fieri?* [11] Respondit ei languidus: *Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in pisci-*

[7] Locum hunc Deus recurrentis miraculi patratione decoratum voluerat, tum in commendationem legalium sacrificiorum, quorum victimae in hac aqua abluebantur, ut videlicet palam fieret haec sacrificia a Deo fuisse instituta, tum maxime ad adstruendam fidem in virtute sacramenti baptismi, quatenus Iudaei videntes, per contactum materialem huius aquae, depelli morbos corporales, non reputarent impossibile, per aquas baptismatis, remitti spirituales animi maculas. Ex hoc autem loco apparet, effectum hic recensitum neque naturalem, neque universalem extitisse.

[8] Non abs re Dominus noster, inter tot infirmos, unum elegit et morbi diuturnitate gravatum, et omni humana ope destitutum: sic quippe clarior apparebat eius potentia et benignitas. Qualis autem fuerit haec infirmitas, Scriptura non refert: at plerique existimant eam fuisse paralysim.

[9] Oculis corporis nunc videt Iesus infirmum iacentem: nam mentis oculis per scientiam beatam et inditam, probe sciebat qualis esset infirmus ille.

[10] Iuxta probabiliorem interpretationem, haec verba sibi volunt, paralyticum illum aetate processisse; qua quidem circumstantia magis adhuc refulget Christi Domini potentia, qui hominem, non solum ob morbi diuturnitatem, sed etiam ob provectam aetatem, factum insanabilem, solo vocis imperio, statim sanitati restituit.

[11] Cum eatenus consisteret in hoc loco paralyticus, quatenus sanitatis desiderio teneretur, non alio Christi interrogatio tendebat, nisi ut in eo curationis desiderium excitaretur, simulque miseriae suae magis ille conscius fieret, spem recuperandae sanitatis conciperet ferventiorem, necnon attentior redderetur ad beneficium sibi mox procurandum. Et quoniam corporalis sanatio figura est sanationis spiritualis quae fit in iustificatione, ideo praesenti interrogatione Christus volebat significari, peccatorem ad sui a peccato sanationem, per proprium consensum concurrere debere, iuxta illud S. Augustini (1): *Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te.* Attamen hoc etiam velle donum Dei est, non minus ac facere.

(1) Serm. LXIX, al. XV de verbis Apostoli, n. 13.

nam: dum venio enim ego, alius ante me descendit [12]. Dicit ei Iesus: *Surge, tolle grabatum tuum, et ambula* [13]. Et statim sanus factus est homo ille; et sustulit grabatum suum, et ambulabat [14]. Erat autem sabbatum in die illo [15].

Quapropter Ecclesia, ante baptismi administrationem, iubet catechumenum formaliter interrogari: *Vis baptizari?* (1).

[12] Domini interrogationi paralyticus directe non respondet, sed miserum suum statum exponit, ostendens quomodo optatam sanitatem, nemine adiuvante, recuperare non valeat. Expressiora ergo sunt eius verba, quam si simpliciter dixisset: *Volo sanus fieri:* tacite enim Christum exorat ut sibi misericorditer suppetias ferat.

[13] Iisdem fere verbis imperaverat Dominus paralytico in Capharnaum (2). — Notandum vero triplex imperium, hic virtualiter contentum, a Christo ordinatum fuisse tum ad probandam fidem illius infirmi, tum ad maiorem miraculi manifestationem.

[14] Mirabilis mutatio! Languidus lectulo immobiliter defixus, derepente validus et robustus efficitur. — Notandum vero, Christum fidem ex illo non expetiisse, cum praedicatio Evangelii ad eius aures nondum advenisset: ipso tamen miraculo Dominus satis ostendit aegroto, quisnam esset qui ei sanitatem restituerat: Christus enim, plus illi contulit quam Angelus, qui extra motionem aquae incapax erat sanitatis reddendae: unde probe intellexit paralyticus, illum a quo sic mirabiliter sanus factus fuerat, esse Dominum etiam sabbati (3). Pulcre Claudianus:

Iussus post multos graditur paralyticus annos:
Mirandum, lecti portitor ipse sui.

[15] Quodlibet servile opus die sabbati lege interdictum erat, et signanter non licebat sarcinam aliquam deferre (4).

QUAESTIONES.

I. — *Utrum tanquam authenticus habendus sit quartus versus:* ANGELUS AUTEM DOMINI DESCENDEBAT, *etc.?*

Resp. Dubitandi ratio ex eo petitur, quod versus ille sicut et finis versus tertii, in pluribus codicibus manuscriptis desunt, et ab Origene praetermissi inveniuntur. — At, quod tanquam authentica revera sit pericope illa habenda, pluribus evincitur argumentis.

(1) Rit. Rom., Tit. II, c. 4, n. 43. — (2) Marc., II, 11; supra Sect. LXII, n. 22. Vol. I, p. 374. — (3) Matth., XII, 8. — (4) Exod., XX, 8; Ierem., XVII, 21.

Primo quidem legitur in veteri itala, in Peschito et in antiquissimis Vulgatae codicibus manuscriptis, necnon in codice Alexandrino ; praeterea, in pluribus Patribus, ex antiquioribus, ut Tertulliano (1), imo in Diatessaron Tatiani, reperitur. Ceterum, adeo coniungitur pericope illa cum toto contextu, ut sequentes versus vix, illa dempta, possint intelligi, cum ex ea habeatur totius historiae explicatio, ut etiam apparet ex particula γάρ, quae in graeco stat pro *autem* Vulgatae. Sed nec apparet cur ab alieno auctore introduci ille versus debuisset ; vicissim, quod in quibusdam codicibus demptus fuerit, exhinc fieri potuit, quod timerent nonnulli ne nimia videretur iudaismo virtus et efficacia hic concedi.

II. — *De quonam die festo hic loquitur S. Ioannes ?*

Resp. Aliqui per diem festum hic recensitum, intelligunt Pentecosten ; alii festum Tabernaculorum ; alii festum Sortium, seu Purim : at probabilius intelligi debet festum solemne Paschatis, quod duabus rationibus evincitur. Primo, ex eo quod simpliciter dicitur *dies festus,* quasi per antonomasiam, cum notum sit Pascha fuisse maximum inter festa Hebraeorum : huic consonat articulus, qui in pluribus graecis exemplaribus, iisque optimis, legitur : ἦν ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων. Ceterum, alibi quoque S. Ioannes hoc nomine festum Paschae appellasse perhibetur : sic quippe loquens de primo Paschate post baptismum, expresse ait (2) : *Cum ergo venisset in Galilaeam, exceperunt eum Galilaei, cum omnia vidissent quae fecerat Ierosolymis in die festo, et ipsi enim venerant ad diem festum* (3). — Secundo, iuxta revelationem ab Archangelo Gabriel ad Danielem prophetam, necesse est assignare praedicationi Christi tres annos et plures menses, id est, mediam annorum hebdomadam (4) : *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium.* Atqui cum, inter Evangelistas, S. Ioannes ille sit qui enumeravit Paschata quae, tempore praedicationis Christi durante, celebrata sunt, nisi ly *dies festus* loci praesentis intelligatur de Paschate, ex S. Ioannis Evangelio, esset numerare tria tantum Paschata, videlicet, II, 13 ; VI, 4 ; XIII, 1. Ergo patet, per diem festum, hoc loco, solemne Paschatis festum significari, ut cum S. Irenaeo communius tenent sacrorum scriptores.

III. — *Quomodo sciri potuit aquam motam fuisse ab Angelo ?*

Resp. Id a Iudaeis cognosci potuit generali hac ratione, qua quidquid praeter naturam fiebat, ab Angelo fieri credebatur : dici

(1) Adv. Iud., XII ; de Bapt., V. — (2) Io., IV, 45. — (3) Cf. supra, Sect. XXXVIII, n. 3, Vol. I, p. 248. — (4) Dan., IX, 27.

etiam potest, hoc ex Dei revelatione in traditione iudaica retentum fuisse.

IV. — *Utrum Angelus determinatis temporibus in aquam descenderet?*

Resp. Hoc quidem plures sacri scriptores retinent, et eousque progreditur Tertullianus, ut censeat semel in anno Angelum aquam movisse ([1]): at videtur melius dicendum, incertum fuisse atque indeterminatum tempus illud, ut eruitur ex graeco, ubi deest articulus, κατὰ καιρόν: aliunde, si tempus illud notum fuisset, vix esset unde deduci posset unum tantum infirmum sanationis gratiam accepisse.

V. — *Quidnam Probaticae piscinae inerat super alias piscinas Ierosolymis existentes?*

Resp. In hanc piscinam ingrediebantur aquae fontis Siloam vel Gihon, qui fons a Deo tanquam figura regni David et Christi designatus fuerat: unde mirandum non est si, adveniente Messia, virtus ei collata fuerit varios morbos sanandi. Communiter enim tenetur prodigium non incepisse, nisi circa tempus nativitatis Iesu Christi, quando videlicet celebris ille fons, a Zacharia propheta praenuntiatus ([2]), scatere debebat in bonum et salutem domus Israel. Sic quippe mirabilis virtus hisce aquis divinitus communicata virtutem et effectum veri fontis salutis, qualis est Sanguis Salvatoris, adumbrabat, in quo a spiritualibus vulneribus per sacramenta baptismi et poenitentiae mundamur, ut Deo viventi per puram conscientiam serviamus.

VI. — *Quid mystice significat descensus Angeli et aquae motus?*

Resp. Significat gratiae operationem in veteri Testamento, quatenus ad paucos tunc homines pertingebat salvifica virtus, in determinato Iudaeae angulo procurata, per operationem Angeli, qui raris tantum intervallis, et saepe cum exteriori manifestatione, operabatur. In novo autem Testamento, huiusmodi salvifica virtus ad multos extenditur, et quidem nulla nationum distinctione introducta, per potentissimam virtutem Domini nostri, qui cor hominis ad Deum immediate et efficacissime convertit. Hac, ut videtur, de causa, miraculum hoc saepius invenitur in catacumbis repraesentatum.

VII. — *Utrum curationes, quae ad probaticam piscinam eveniebant, dici possint fuisse naturales effectus illius aquae?*

Resp. Negative: nequit enim eidem aquae generalis virtus

([1]) L. de Baptismo, c. 5: *Qui unum semel anno liberabant,* etc. — ([2]) XIII, 1.

inesse ad tot diversos morbos expellendos; insuper, esto quod in thermalibus aquis aliqua sit virtus ad certum morbi genus depellendum, hoc tamen nunquam subito fit, sed gradatim tantum; demum, cum, posita causa, ponatur effectus, aqua illa non unum tantum aegrotum sanare debuisset, nec solum in illo uno momento motionis aquae. Hinc omnino reiicienda est sententia tenentium, cum Sepp (1) et rationalistis interpretibus, curationem hanc deberi virtuti naturali aquae thermalis, et S. Ioannem, in illa narranda, sese communi loquendi modo accommodasse, licet ultro sentiret ipse rem naturali modo processisse.

VIII. — *Utrum aequaliter omni loco et tempore Deus miracula patret?*

Resp. Negative, ut ex praesenti evangelico facto apparet, in quo exhibetur Deus non solum certo loco, sed etiam certo tempore, miraculum sanationis ita patrasse, ut qui locum et tempus non observarent, sanitatis beneficio frustrarentur. Quocirca errant qui certorum locorum, statis temporibus, visitationem infirmitati fidei adscribunt (2).

(1) *La Vita di Gesù Cristo*, Sez. IV, c. 5. — (2) Cf. prop. 76am, inter damnatas a Pio VI in Bulla dogm. *Auctorem fidei*, 28 Aug., 1794.

SECTIO LXXXIII.

(I. V, 10-18).

Argumentum. — *Interrogantibus Iudaeis eum qui sanatus fuerat, quisnam ei hoc beneficium praestitisset, respondet ille hunc fuisse Iesum; Iudaei vero, offensi quod Dominus infirmum a se sanatum iusserit sabbato grabatum suum tollere, necem ei, tanquam sabbati violatori, qui etiam se Dei Filium faceret, moliuntur.*

Ratio Sectionis. — De naturali historiae sequela nullus potest esse dubitandi locus. Notandum vero, hic primum recurrere nequam illud Iudaeorum consilium, Christum Dominum interficiendi, quod illi ante biennium ad effectum perducere debebant.

(*a*) DICEBANT ergo Iudaei illi qui sanatus fuerat: *Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum* [1]. Respondit eis: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, et ambula* [2]. Interrogaverunt ergo eum: *Quis est ille*

(*a*) I. v, 10-18.

[1] Per Iudaeos hic intelliguntur spirituales principes populi Hebraeorum. Nomen hoc frequenter usurpat S. Ioannes ad illos designandos, quatenus Christo erant infensi ([1]). Attamen, non videntur hic formaliter peccasse, cum nondum scirent hominem illum infirmum miraculose fuisse sanatum: quod cum cognoverunt, agnoscere debuerunt, illum, qui tale opus erat operatus, potestatem in sabbatum revera habere. — Porro, sic audiebat legis vetitum ([2]): *Nolite portare pondera in die sabbati.* At nimis carnales Iudaei eo usque pergebant, ut prohiberent ne quis sabbato curaretur ([3]).

[2] Simplex, at sapientia plena responsio: proculdubio, qui tanta pollebat potentia, ut incurabilem infirmum subito pristinae redderet sanitati, illum in errorem inducere non poterat, cum tale ei praeceptum faciebat. *Non acciperem iussionem, a quo receperam sanitatem?* quaerit commentando S. Augustinus ([4]).

([1]) Cf., Io., I. 19. — ([2]) Ier., XVII. 21. — ([3]) Luc., XIII, 14. — ([4]) Tract. XVII in Io, c. 5, n. 10.

homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, et ambula? [3]. Is autem qui sanus fuerat effectus nesciebat quis esset [4]: Iesus enim declinavit a turba constituta in loco [5]. Postea invenit eum Iesus in templo [6], et dixit illi: *Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* [7]. Abiit ille homo, et nuntiavit Iudaeis quia Iesus esset, qui fecit eum sanum [8]. Propterea persequebantur Iudaei Iesum, quia haec faciebat in sabbato [9]. Iesus autem respondit eis: *Pa-*

[3] Iam incipit invidia, incipit livor: non dicunt: *Qui est ille homo qui te sanum fecit:* sed, *qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum:* nimirum, id solum, odio moti, repetunt, quod calumniari volunt. Exhinc discamus quam caute nos a temerariis iudiciis abstinere debeamus.

[4] Nesciebat eum qui se sanaverat revera esse Filium Dei, aut Messiam in Lege promissum; licet iam probe intelligeret, illum esse debere hominem probum ac sanctum, et certe suspicari deberet illum esse magnum aliquem prophetam.

[5] Graece, ὁ γὰρ Ἰησοῦς ἐξένευσεν, ὄχλου ὄντος ἐν τῷ τόπῳ, quod est, aufugit Iesus, cum videret in illo loco tumultum suboriri: ὄχλος enim saepe ponitur pro tumultu ([4]). Nimirum, cum videret Iesus populum iam incipere tumultuari; eo quod homo ille coram omnibus grabatum suum gestaret, sine mora clanculum aufugit, cupiens populi plausus devitare.

[6] Probabiliter homo ille ad templum accesserat, gratias Deo redditurus. Hoc modo legimus in Actibus Apostolorum ([2]), claudum, ubi sanatus est, templum fuisse ingressum, laudantem Deum.

[7] His verbis Iesus primum homini illi in memoriam revocat, a quonam sanitatem acceperit, ubi sat aperte significat se eidem non corporis tantum, sed animae quoque sanitatem restituisse; tum causam illius infirmitatis detegit, praeterita scilicet illius peccata; addit denique futurum ut, nisi a peccatis abhorruerit, aliquid sibi peius contingat. Ex his in promptu illi erat divinitatem Iesu agnoscere, quem perspiciebat et praeterita cognoscere, et futura praevidere.

[8] Aliter ac Iudaei, infirmus ille loquitur: illi quidem beneficium sanitatis dissimulantes, solum praeceptum tollendi grabatum struebant; hic vero huiusmodi praecepto, tanquam accessoria re, praetermisso, solum beneficium, grato motus animo, commemorat.

[9] Invidiae livore moti, Iudaei Christo vitio vertunt quod aegrum sabbato curaverit, eique

([1]) Marc., XII, 12; Luc., XXII, 6; Act., XXIV, 18. — ([2]) III, 8.

ter meus usque modo operatur, et ego operor [10]. Propterea ergo magis quaerebant eum Iudaei interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo [11].

imperaverit suum stratum auferre. — Graeca quaedam exemplaria addunt, eos quaesivisse Iesu necem inferre. Sic quippe semper invidia suam conatur malitiam iustitiae chlamyde cooperire. — Ex eo quod additur: *Quia haec faciebat in sabbato,* datur intelligi, inimicis Christi in promptu fuisse et alios similes casus, praeter paralytici curationem, contra eum adducere.

[10] Divinitatis opera ad extra communia sunt toti Trinitati, ideoque neque Pater sine Filio, neque Filius sine Patre, aut uterque sine Spiritu Sancto, operari valent. Quemadmodum igitur sabbati lege Pater non tenetur, ita nequé Filius: hinc reprehendendus non erat Christus, si sabbato infirmum curaverit, eique grabatum tollere iusserit. — Ex his verbis, potest clare deduci, Iudaeos probe intellexisse, Dominum nostrum Deum se fecisse, ut mox expresse dicetur.

[11] *Suum,* in graeco est ἴδιον, *proprium,* id est, dicebat se esse Filium Dei, qui scilicet Deum tanquam proprium Patrem coram habebat: cui cohaeret illud S. Pauli ([1]): *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit.* — Iudaei vero animum adiiciunt, ut Iesum e viventium numero eradicent, non solum quatenus sabbati praevaricatorem, sed multo magis ob commentitiam blasphemiam, qua se Deo aequalem faciebat ([2]).

QUAESTIONES.

I. — *Quare Iesus homini illi praecepit, ut die sabbati stratum suum deferret?*

Resp. Primo, ut ostenderet se Dominum esse sabbati; secundo, quia sabbatum institutum fuerat in honorem Dei: haec autem sanatio maxime in laudem omnipotentiae ac bonitatis divinae cedebat; tertio, hoc modo miraculum huiusmodi a compluribus cognosci potuit, confluentibus Ierosolymam ad sabbati celebrationem.

II. — *Utrum interdum morbos Deus immittat ob peccata commissa?*

Resp. Affirmative, ut ex hoc loco deduci potest: divina scilicet iustitia poenas temporales interdum in hac vita ordinat in

[1]) Rom., VIII, 32. — [2]) Levit., XXIV, 11.

aliqualem patratorum scelerum expiationem: unde et legitur (1): *Qui delinquit in conspectu eius qui fecit eum, incidit in manus medici.* Quocirca, aegrotos decet conscientiam suam diligenter discutere, quatenus petita peccatorum venia, facilius sanationem impetrent. Non tamen semper evenit morbos immitti ob culpas praeteritas: siquidem, haud raro viris sanctis morbi, Deo sic ordinante, immittuntur, ad eorum patientiae probationem, uti constat exemplo sancti Iob, qui, contra falsos amicos, solemniter testatus est, se propriis peccatis haudquaquam commeruisse graves illas afflictiones quae sibi fuerant immissae. Unde valde temerarius foret qui personas a Deo sic percussas letaliter aliquando peccasse argueret.

III. — *Quomodo componi possunt haec verba Domini nostri:* PATER MEUS USQUE MODO OPERATUR, *etc., cum istis* (2): REQUIEVIT DIE SEPTIMO AB UNIVERSO OPERE QUOD PATRARAT?

Resp. Dicitur Deus die sabbato quievisse, a novis scilicet rerum speciebus producendis, cum iam perfecti essent caeli et terra et omnis ornatus eorum; non ita tamen ab operando cessavit, quin continue operetur, mundum conservando et gubernando, viventia producendo, caelos movendo, singulas animas creando, et maxime homines per suam gratiam ad iustificationem fortiter atque suaviter adducendo: *Creatoris namque potentia,* ait S. Augustinus (3),... *causa subsistendi est omni creaturae: quae virtus ab eis quae creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species, omnisque natura concideret:* eo videlicet modo, quo lumen in aere statim evanesceret, semel ac radios suos sol subtraheret.

(1) Eccli., XXXVIII, 15. — (2) Gen., II, 2. — (3) L. IV de Gen. ad litt., c. 12.

SECTIO LXXXIV.

(I. V, 18-30).

Argumentum. — *Iesus Iudaeos edocet, se quidquam a semet-ipso facere non posse; nihilominus omnia cum Patre operari, etiam resurrectionem mortuorum, et ab ipso Patre iudicem omnium fuisse constitutum; demum, testatur se non suam voluntatem quaerere, sed voluntatem eius a quo missus fuerat.*

Ratio Sectionis. — Cum miraculum ad Probaticam piscinam die sabbato patratum, occasionem Domino dederit solemni huic de sua divinitate sermoni texendo, hinc nulli dubium esse potest, quin praesens argumentum praecedentibus Sectionibus e vestigio coniungi debeat. Duo autem sunt quibus Dominus noster suam declarat divinitatem: primum quidem, identitas sui cum Patre in operando et iudicando; secundo, aperta testimonia circa se divinitus prolata: illud quidem in praesenti, hoc vero in subsequente Sectione pertractabitur.

(*a*) RESPONDIT itaque Iesus, et dixit eis: *Amen, amen dico vobis: non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* [1]: *quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit* [2]. *Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quae ipse facit; et maiora his*

(*a*) I. v, 18-30.

[1] Cum una sit Patris et Filii essentia, virtus et operatio, hinc Filius non potest quidquam a se facere; sed quidquid facit, Patre in se operante, facit. — Particula *nisi* non est exceptiva, verum tenet locum adversantis *sed*, sicut in hoc (1): *A meipso facio nihil; sed sicut docuit me Pater, haec loquor.*

[2] Duo hic inferuntur: primum, personarum Patris et Filii distinctio, secundum, aequalitas, imo consubstantialitas earumdem, atque perfecta voluntatis et operationum identitas. — *Similiter*, ὁμοίως, non solum ad opus operatum, sed etiam ad modum operandi refertur.

(1) Io., VIII, 28.

demonstrabit ei opera, ut vos miremini [3]. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat: sic et Filius, quos vult, vivificat* [4]. *Neque enim Pater iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* [5]. *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum* [6]. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam, et in iudicium non venit, sed transiit a morte in vitam* [7].

[3] Pater Filium diligit amore consubstantiali, qui est Spiritus Sanctus, eique suam sapientiam, sicut cetera attributa, communicat: unde, quae sapientia in Patris operibus relucet, haec tota Filii est. Ad maiorem autem Filii existimationem ingerendam, maiora adhuc Pater opera, in quibus profecto et Filius communicabit, mox ob oculos vestros perficiet. — Notandum, consulto hic poni verbum *demonstrare,* pro eo quod est, *communicare* vel *dare:* ad innuendum quod Filius Dei procedit a Patre per modum intelligibilis actionis, et secundum rationem similitudinis, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectae (1).

[4] Qualia futura sint opera maiora, quae demonstraturus est Pater, modo explicat Christus: et primo quidem, sermonem de mortuorum resurrectione introducit: de resurrectione inquam spirituali: nam de resurrectione corporali postea loquitur, ubi dicit: *Nolite mirari.* Igitur, quos ipse Iesus vult, vivificat: quibus verbis absolutam suam et a nullo dependentem potestatem, quam in peccatum habet, expresse indigitat. Porro, proprium Dei est vitam spiritualem mortuis peccato dare: etenim, Deus solus est qui iustificat impios: unde Filius, cum illos quos vult, ad vitam gratiae suscitet, vere Deus est.

[5] Aliud divinitatis Christi argumentum. Pater non iudicat quemquam, scilicet solus: quandoquidem assessorem sibi asciscit Filium; immo solemnem vivorum et mortuorum iudicem post resurrectionem constituet ipsum Filium suum humana forma indutum (2).

[6] Filio praebendus est aequalis honor honori qui exhibetur Patri, quia aequalem potestatem uterque habet aequalemque essentiam: Filii vero missio ostendit illum esse a Patre, cum missio sit ipsa alicuius personae ab alia processio in aliquem terminum, novo effectu attingendum (3).

[7] Praeteritum, *transiit,* sensum

(1) S. Thom., Quaest XXVII, art. 2. — (2) 2 Cor., V, 10. — (3) Cf. tr. DE SS.MA TRINITATE, Quaest. XLIII, art. 1, n. 3. p. 445.

Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: et qui audierint, vivent [8]. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit et Filio habere vitam in semetipso. Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est* [9]. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei: et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii* [10].

habet futuri, *transibit:* videlicet hic praeteritum pro futuro ponitur, ob certitudinem rei, more prophetico. Sic etiam τὸ *venit,* ἔρχεται, praesens est, at futuri habet significationem. Sic quoque ὁ ἐρχόμενος significat, *qui venturus est.* — Mors hic accipitur spiritualiter, sicut et vita; et sensus est, eum qui credit Christo et paret verbis eius, a morte spirituali peccati resurgere ad vitam spiritualem gratiae.

[8] Mortui hoc loco significantur vel Iudaei peccatores, vel ethnici, qui per fidem in Iesum Christum a morte spirituali ad vitam pervenire possunt: quo sensu ly, *nunc est,* significat ultimum statum vitae humanae, qui est status naturae separatae per gratiam Christi Domini. Non omnes tamen hanc Christi vocem audiunt: ideoque additur: *Qui audierint, vivent.*

[9] Vita Dei est ipsum esse Dei, ideoque illam plenissime Pater per processionem generationis Filio communicat: Filius autem, non solum ut Deus, habet potestatem iudicandi, sed etiam secundum quod homo, ius istud possidet, cum ei Pater subiecerit omnia. Quinimmo ius istud sibi Christus propriis meritis acquisivit: ad quod apposite significandum, signanter additur: *Quia Filius hominis est* ([1]).

[10] Cum hucusque locutus fuerit Christus de resurrectione spirituali, transit modo ad sermonem faciendum de corporum resurrectione, quae fiet in fine saeculorum, ipsomet imperante morti, ut reddat mortuos suos: haec est secunda resurrectio, in qua boni a malis secernentur. Prima resurrectio est beatitudo animarum, quae solis bonis concedetur. — *Procedent,* graece ἐκπορεύσονται, id est, e suis sepulcris egredientur. — Hic non addit Christus: *Et nunc est,* sicut addiderat cum de resurrectione spirituali ageretur, cum generalis carnis resurrectio nonnisi in fine saeculorum sit complenda. — *Resurrectio iudicii,* hic, idem est ac aeterna condemnatio.

([1]) Cf. tr. de Incarnatione Verbi, P. II, Quaest. LIX, p. 292, seq.

Non possum ego a meipso facere quidquam. Sicut audio, iudico; et iudicium meum iustum est; quia non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me [11].

[11] Haec a Christo dicta sunt de se, non secundum divinam naturam, in qua aequalis est Patri, et secundum quam non potest dici obediens eius praeceptis; sed secundum humanam naturam, in qua Patre inferior est, eique subditus. En quam magnifice Christus omnia sua ad Patrem refert. — Notandum. Christum, cum hucusque in tertia persona de se locutus esset, nunc et deinceps, in huius orationis decursu, primam usurpare: quasi animos hominum hucusque generalioribus terminis praeparare voluerit ad se suamque doctrinam suscipiendam.

QUAESTIONES.

I. — *Cur dicitur Filius a seipso quidquam facere non posse, cum sit Deus?*

Resp. Quia quidquid habet Filius, illud habet a Patre, qui est principium fontale totius Trinitatis: qui quidem unus natura est cum Filio, etsi personaliter sit ab eo distinctus.

II. — *Quomodo componi possunt haec verba Domini nostri* ([1]): NEQUE ENIM PATER IUDICAT QUEMQUAM, SED OMNE IUDICIUM DEDIT FILIO, *cum his aliis verbis* ([2]): EGO NON IUDICO QUEMQUAM... EST QUI QUAERAT ET IUDICET, SCILICET PATER?

Resp. In iudicio quatuor considerantur: *primo,* auctoritas iudicandi, seu iudiciaria potestas; *secundo,* ipsa discretio boni a malo, videlicet interior approbatio boni et detestatio mali: porro, quantum ad haec duo, iudicium toti Trinitati singulisque personis aequaliter convenit. *Tertio,* in iudicio est prolatio sententiae, sensibilis atque exterior: quam sententiam Pater per se non profert, sed eam profert Filius secundum naturam assumptam; seu Trinitas illam proferet auctoritative, Christus autem executive, iuxta illud ([3]): (Deus) *statuit diem in quo iudicaturus est orbem terrae in aequitate, in viro in quo statuit. Quarto,* consideratur in iudicio ipsa retributio poenae vel gloriae: quae quidem soli Deo principaliter convenit secundum divinam naturam, praesertim quantum ad gloriae collationem. Igitur, quod Christus Dominus ait: *Ego non iudico quemquam,* intelligendum est de primo adventu Domini nostri, in quo non venit iudicare, sed iudicari: quod autem dicit: *Pater non iu-*

([1]) Io., v, 22. — ([2]) Ibid., VIII, 15, 50. — ([3]) Act. XVII 31.

dicat quemquam, intelligendum est de iudiciali sententia, cum omne iudicium, id est universalem executionem iudicii, modo exposito, dederit Filio secundum naturam assumptam, iuxta illud Apostoli ([1]): *Omnes nos stare oportet ante tribunal Christi.*

III. — *Quomodo resurrecturi audient vocem Filii Dei?*

Resp. Cum Christus futurus sit causa univoca resurrectionis nostrae, necesse erit ut aliquo signo corporali dato, resurrectionem nostram operetur. Quod quidem signum, secundum aliquos, futurum est vox ipsa Christi resurrectionem imperantis, sicut imperavit mari et cessavit tempestas; secundum alios vero, signum huiusmodi erit ipsa repraesentatio personae Christi, quae quidem apparitio vox nominatur, in quantum vim habebit cuiusdam imperii: et quia resurrectio complebitur etiam mediantibus angelis, qui sunt Dei ministri, ideo mortui dicuntur etiam resurrecturi in voce Angeli, in quantum ministerium angelicum vox appellatur ([2]).

IV. — *Quaenam sunt, quibus iudicium a iusti rectique via declinare potest?*

Resp. Primo, iudicium iniustum esse potest ex parte deficientis potestatis, ad quod removendum, testatur Christus se non posse facere, nisi quod Pater faciat; secundo, ex parte intellectus, deficiente scilicet scientia, unde dicit Christus: *Sicut audio, iudico:* tertio, ex parte voluntatis non rectae, ad quod excludendum, ait se non quaerere voluntatem suam, sed voluntatem Patris ([3]).

([1]) 2 Cor., v, 10. — ([2]) S. Thom., Supplem., quaest. LXXVI, art. 2, 3. Cf. tr. n. DE NOVISSIMIS, Quest. VII, art. 2, n. 10. — ([3]) Cf. Sect. LIV, Quaest. I, p. 333.

SECTIO LXXXV.

(I. V, 31-38).

Argumentum. — *Pergit Dominus Iudaeos edocens, se testimonium accepisse a Ioanne Baptista, necnon a propriis operibus, imo ab ipso suo Patre, simulque eorum incredulitatem vehementer reprobat.*

Ratio Sectionis. — Ad specialem Evangelii S. Ioannis notam pertinet, quod ad ostendendam divinitatem Domini nostri, pro qua defendenda conscribebat, saepius provocet ad aperta testimonia, quibus fides nostra in fundamentali hac veritate constabilitur: et quidem, cum initio narrationis suae expressum Ioannis Baptistae testimonium iam recensuerit *, nunc Christi ipsius verba de eadem re fideliter commemorat.

(*a*) *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum* [1]. *Alius est, qui testimonium perhibet de me; et scio quia verum est testimonium quod perhibet de me* [2]. *Vos misistis ad Ioannem; et testimonium perhibuit veritati* [3]. *Ego autem non ab homine testimonium accipio; sed haec dico ut vos salvi sitis* [4]. *Ille erat lucerna*

(*a*) I. v, 31-38.

[1] Christi de se testimonium verum est, ut ipse expresse ait ([1]): at, secundum Iudaeorum existimationem, poterat nullum videri, cum unus dumtaxat testis, praesertim in causa propria, recusari valeat: quocirca eorum infirmitati cedens, inducit hoc loco Christus triplex testimonii genus: scilicet Ioannis, propriorum operum, necnon Patris sui.

[2] Pronomen hoc, *alius*, sumitur hic indefinite; et quidem, absolute loquendo, per illud intelligi possunt tum Pater, tum Ioannes, quorum testimonia, inverso tamen ordine, Christus modo est relaturus; at, cum infra dicat se ab homine testimonium non accipere, imo testimonium se habere maius Ioanne, scilicet Patris, hinc ad Patris testimonium formaliter respicit.

[3] Ioannes testimonium perhibuit veritati, puta, cum dixit ([2]): *Non sum ego Christus;* vel ([3]): *Medius vestrum stetit, cuius ego non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti eius.*

[4] Etsi humano non indigeam

* Io., I, 7, 15. 34. Sect. XXI, XXII, XXV.

([1]) Io., VIII, 14. — ([2]) Ibid., I, 20. — ([3]) Ibid., 26, 27.

ardens et lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius [5]. *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim quae dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me* [6]. *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem eius unquam audistis, neque speciem eius vidistis* [7]. *Et verbum eius non habetis in vobis manens; quia quem misit ille, huic vos non creditis* [8].

testimonio, nihilominus Ioannis testimonium accipio, ob vestram indigentiam atque profectum.

[5] Praecursoris sui praeconium Iesus inseruit, quo plenior fides eius testimonio adderetur. Ille non erat lux, sed solum lucerna ab alio lumine accensa: lucerna ardens quidem igne caritatis, lucens vero splendore vitae atque doctrinae. Sic ardere et lucere debent Ecclesiae pastores. — Et vos quidem in luce illius exultastis, sed brevi nimis tempore, scilicet ad horam: quandoquidem illum flagitia vestra exprobrantem contempsistis, daemoniacum appellantes ([1]). — Ex hoc quod verbo imperfecto utitur, *erat*, deduci potest Ioannem tunc in carcere fuisse, atque iam desiisse eius testimonii tempus ([2]).

[6] Aliud nunc caput testimonii, et quidem maioris testimonio Ioannis, ex Christi operibus promitur: quod testimonii genus tanto maius est priore, quanto facta verbis antecellunt. Quia autem ista opera, nonnisi Patre in me operante, ego patrare non potui, ideo testimonium operum meorum refundi debet in ipsius Patris mei testimonium, qui seipsum negaret, si doctrina, in cuius gratiam huiusmodi opera fiunt, falsa utcumque esset.

[7] *Ipse testimonium perhibuit de me*, graece est: ἐκεῖνος μεμαρτύρηκεν περὶ ἐμοῦ, *ille* (cum emphasi) *testatus est de me*, ita tamen ut eius testimonium adhuc perduret: scilicet, in sacris Scripturis, ad quas mox provocaturus est Dominus ([3]). Haec tamen Patris vocem Iudaei docilibus auribus percipere noluerunt, nec sincera fide aut pura mente illum sunt contemplati, cum potius semper rebelles extiterint lumini.

[8] Cum Iudaei se Deo iugiter rebelles exhibuerint, hinc pretiosum Dei verbum, a Spiritu Sancto revelatum, fideliter in corde suo retinere noluerunt, scilicet propter incredulitatem suam et duritiam cordis: etenim Patris vocem humilibus auribus non receperunt, nec sincera fide puraque mente illum quaesierunt, sed nec revelatum eius verbum fideliter in corde retinuerunt.

([1]) Luc., VII, 33. — ([2]) Vide infra, Sect. CXII. — ([3]) Sect. seq., init.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum ex his Christi Domini verbis:* HAEC DICO UT VOS SALVI SITIS, *inferri possit nullum, ex eius auditoribus, fuisse reprobum?*

Resp. Negative: haec quippe verba sibi volunt, eorum nonnullos Christi verbis tandem credituros, et ita salvos futuros; vel referri debent ad finem operis, non autem ad intentionem operantis, saltem loquendo de actuali salutis obtentione. Christi enim praedicatio ad omnium salutem, saltem quoad sufficientiam, ordinabatur; at, quoniam voluntas eius et oratio semper impleta est, nonnullos autem scimus Evangelio non credidisse, hinc dicendum est, Christi quidem praedicationem sufficienter ordinatam fuisse ad omnium salutem, etsi permiserit ut aliqui in sua incredulitate manerent (1).

II. — *Quare a Domino nostro vocatur Ioannes Baptista lucerna ardens et lucens?*

Resp. Primo vocatur lucerna, non lux, quia lux est quae per seipsam lucet; lucerna vero non per seipsam lucet, sed per participationem. Secundo, dicitur ardens, quia sicut lucerna lucere non potest, nisi igne accendatur, ita lucerna spiritualis plene non lucet, nisi prius ardeat et inflammetur igne caritatis: unde ardor praemittitur illustrationi, quia per ardorem caritatis datur cognitio veritatis. Tertio, dicitur lucens, tum per veritatis cognitionem interius, tum per praedicationem exterius, tum per bonorum manifestationem (2).

III. — *Quo pacto dicit Iesus, Iudaeos ad horam exultare voluisse in luce Ioannis Baptistae?*

Resp. Cum Iudaei regnum Dei sibi repromitterent temporale, opibus et fastu illustre, credere quidem primum potuerunt illud fore a Baptista restituendum: at brevi mansit in eorum cordibus huiusmodi expectatio, cum mox a sanctissimo Praecursore vitia eorum acriter reprehensa fuerint: unde in sua falsa expectatione mox deiecti sunt (3).

IV. — *Utrum hoc quod dicit Christus:* IPSE TESTIMONIUM PERHIBUIT DE ME, *formaliter referatur ad vocem de caelo delapsam in die illius baptizationis* (4)*?*

Resp. Negative: licet enim Pater solemne tunc Christo testi-

(1) Cf. tr. DE INCAR. VERBI, Quaest. XXI, art. 4, n. 2, Vol. II, p. 131. — (2) S. Thomas, Comment. in h. l. S. Io. — (3) Cf. Matth., III, 7-12. — (4) Matth., III, 17.

monium perhibuerit, cum tamen huiusmodi testimonium coram paucis hominibus et modo transeunte redditum fuerit, praesenti autem loco provocet Christus ad testimonium universale et perdurans, hinc melius dicuntur verba haec referri ad Sacram Scripturam cuius explicita de Christo testimonia omnibus ultro patebant.

V. — *Utrum in hoc quod dicitur:* NEQUE VOCEM EIUS UNQUAM AUDISTIS, *etc., formaliter significetur Deum, utpote omnino incorporeum, esse invisibilem?*

Resp. Licet verum sit Deum sensu corporeo neque videri, neque audiri utcumque posse, non tamen hic est sensus a Christo hoc loco intentus, sed haec dicuntur in reprehensionem infidelitatis Iudaeorum. — Similiter, verba haec: *Verbum eius non habetis in vobis manens,* hic non significant Verbum incarnatum non semper permansurum esse in mundo et reversurum in caelum; sed, ex mente Christi, sibi volunt praedicationem divinam in Iudaeorum cordibus fructum minime produxisse.

SECTIO LXXXVI.

(I. V, 39-47).

Argumentum. — *Claudit Dominus sermonem de sua divinitate, Iudaeos provocans ad antiqua prophetarum de se vaticinia, et maxime Moysis, qui tam aperte praenuntiavit oriturum prophetam magnum, id est Messiam, de medio Israelitarum: unde eos exprobrat quod nec sibi credere voluerint.*

Ratio Sectionis. — Cum Dominus Iudaeos provocasset ad testimonium a Patre de se perhibitum, nunc expresse declarat quale istud fuerit testimonium, nempe divinae Scripturae a Moyse conscriptae, quibus adventus Christi praenuntiabatur: ex quo docemur quanti sit facienda, pro Incarnationis veritate constabilienda, Scripturarum auctoritas.

(*a*) SCRUTAMINI *Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere; et ille sunt, quae testimonium perhibent de me* [1]. *Et non vultis venire ad me ut vitam habeatis* [2]. *Claritatem ab hominibus non accipio* [3]. *Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis* [4]. *Ego veni in*

(*a*) I. v, 39-47.

[1] Pro, *scrutamini Scripturas,* in graeco legitur: ἐρευνᾶτε τὰς γράφας, quod, aeque ac latinum, intelligi potest, tam ad modum indicativi, quam ad modum imperativi, licet sequentia verba: *Quia vos putatis*, etc., magis innuant tempus indicativum. Sensus igitur est: Vos non fallimini, Scripturas scrutando, putantes in ipsis viam ad aeternam vitam inveniri, quandoquidem Scriptura est liber vitae: in hoc autem erratis, quod in ipsa Scriptura testimonium de mea divinitate non invenitis, licet ibidem aperte contineatur.

[2] Nunc vehementer redarguit Christus Iudaeos, quod ad se per fidem et obedientiam venire detrectent, ut vitam spiritualem habeant, in praesenti quidem per gratiam, in futuro vero per gloriam.

[3] His verbis, obiectionem praeoccupat, qua concludendum videretur Iesum gloriam captare: ideo protestatur se ab hominibus gloriam non accipere. Attamen, deduci haudquaquam debet, noluisse Christum ut homines iltum honorarent: volebat quidem se honorari ab hominibus, et ut Deum, et ut hominem: at, ut Deum, quatenus laus et honor in se quiescerent; ut hominem autem, quatenus honor qui sibi deferebatur ad Deum finaliter refunderetur. — *Claritatem,* graece δόξαν, *gloriam.*

[4] Cognitione reprobationis cognoscebat Christus plures ex Iu-

nomine Patris mei, et non accipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis [5]. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quae a solo Deo est, non quaeritis* [6] ? *Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo speratis* [7]. *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit* [8]. *Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis* [9] ?

daeis, quos alloquebatur, sciens eos supernaturali caritate privari.

[5] Verba haec plerique Patres interpretantur de Antichristo, qui a Deo non procedet, sed inaestimabili mentis tumore se extollet supra omne id quod dicitur Deus ([1]). Attamen, referri etiam possunt verba haec ad multos pseudoprophetas qui, temporum decursu, venturi erant, bona temporalia ultro promissuri, ut animas hominum misere perderent.

[6] Maximus obex quo Iudaei a sequela Christi deterrebantur, fuit eorum vanitas atque humanarum laudum aviditas; unde severa Redemptoris monita sincero corde non suscipiebant: quod si humiliter se eius doctrinae subiecissent, Evangelicam veritatem ultro recepissent et salvi fuissent. Non semel notavit Dominus quam avide laudes humanas Iudaei aucuparent ([2]). — *Gloriam quae a solo Deo est,* τὴν δόξαν τὴν παρὰ τοῦ μόνου Θεοῦ, *gloriam quae est ab unico Deo,* seu ab eo, qui solus Deus est.

[7] Frustra vestram in Moyse fiduciam collocatis: ipse enim de me tam evidenter locutus est, ut ipse vos infidelitatis atque incredulitatis arguat; unde me reiiciendo, illius quoque prophetias facto ipso reiicitis: ideoque ille accusator vester erit.

[8] Si Moysi credunt Iudaei, quam se venerari iactant, quomodo Christum, de quo ille tam praeclara scripsit, audent repudiare? — Notandum, particulam *forsitan,* quae pro graeco ἄν hic ponitur, non dubitantis esse, sed referendam ad conditionalem: *Si crederetis Moysi,* insinuando videlicet in homine liberum voluntatis arbitrium.

[9] Horum verborum sensus non est, auctoritatem Moysis maiorem esse auctoritate Christi: sed hoc dicit Dominus, quatenus auctoritas legislatoris Iudaeorum eis exploratior erat, et quia illius verba erant minus supernaturalia quam verba Christi, quae omnem transcendunt rationem. — *Litteris,* γράμμασιν, id est, *scriptis:* ex quo clarissime deducitur et Dominum nostrum id tanquam rem apud omnes comprobatam retinuisse, et Moysen scripsisse, et huiusmet scripta apud Iudaeos extitisse.

([1]) 2 Thess., II, 4. — ([2]) Matth., VI, 1-5; 16; XXIII, 5-12; Luc., XI, 43.

QUAESTIONES.

I. — *Quare negat Dominus se accusaturum Iudaeos, cum revera illos pluries accusaverit, atque futurus sit eorum iudex et testis ?*

Resp. Id dicebat Christus, non quod ipsemet Iudaeos non foret accusaturus, sed quia non ipse solus id facturus erat, verum Moyses et prophetae secum eos accusaturi erunt: insuper, propria eorum verba et acta, imo suorum ipsius vulnerum cicatrices, quas in caelo conservabit, testimonium contra ingratos erunt perenniter exhibitura.

II. — *Utrum eamdem reprehensionem mereantur et hodierni Hebraei ?*

Resp. Affirmative: etenim ad eos proprie pertinet quod scribit S. Paulus (1): *Usque in hodiernum enim diem, idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum... Sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.*

III. — *Utrum in eo quod dicit Christus:* SCRUTAMINI SCRIPTURAS, *reprehensio contineatur ?*

Resp. Affirmative: quae quidem reprehensio non refertur ad hoc quod Scripturas scrutarentur, quae quidem res bona erat, sed ad hoc quod malo animo ad eas recurrerent. Equidem, tempore Christi, Iudaeorum principes, necnon sacerdotes et scribae, et maxime Sanhedristae, plurimam impendebant operam in perlegendis Scripturis, cum de singulis apicibus sophistica mente inquirerent, relicto spiritu sub littera contento: in quo quidem seipsos illudebant; unde non dicit Christus: *Quia in ipsis vitam aeternam habetis,* sed, *Quia vos putatis,* etc. Equidem, *lex... sancta, et mandatum sanctum, et iustum, et bonum* est, ut ait S. Paulus (2); at his illi abutebantur in sui perniciem, ut patet etiam ex eo quod ex Scripturae auctoritate perverse conabantur imponere onera importabilia in humeros hominum (3).

IV. — *Quo pacto Moyses accusaturus est Iudaeos ?*

Resp. Id faciet causaliter: nimirum, cum legem ipse proposuerit et populum exhortatus fuerit ad bonum, hinc iudicaturus dicitur, in quantum Iudaei iudicium sustinebunt per comparationem ad illius monita et doctrinam.

(1) 2 Cor., III, 14, 15. — (2) Rom., VII, 12; cf. Levit., XVIII, 5; Gal., III, 12. — (3) Matth., XXIII, 4; Luc., XI, 46.

V. — *Quidnam scripsit Moyses de Christo Domino?*

Resp. Moyses dicendus est de Christo Domino scripsisse in toto Pentateucho, prophetica scilicet ratione, quandoquidem res ibi gestae et caeremoniae mysteria vitae Christi Domini praefigurabant. Signanter autem in Genesi, assignavit tempus venturi Messiae ex oraculo Iacob (1): in Deuteronomio vero disertis verbis annuntiavit venturum post se magnum prophetam (2), et in toto Pentateucho typi messianici continentur.

(1) Gen., XLIX, 10. — (2) Deut., XVIII, 15, 18.

SECTIO LXXXVII.

(Mt. XII, 1-8; Mc. II, 23-28; L. VI, 1-5).

Argumentum. — *Transeunte Iesu per sata, discipuli qui cum eo erant, esurientes, spicas carptas confricantes manducant. Quos a pharisaeis de violatione festi reprehensos benignus Magister excusat, Davidis exemplo adducto, qui alio deficiente cibo, panibus propositionis olim pastus est: ex quo Iesus palam significat se dominum esse etiam sabbati.*

Ratio Sectionis. — Cur hoc loco poni debeat narratio de dicipulis Iesu spicas die sabbati confricantibus et manducantibus, aperte diximus initio Sectionis LXXXII *. Nullum autem dubium esse potest, quin de eadem re a tribus Evangelistis synopticis pertractetur.

(*a*) Factum est iterum, (*b*) in illo tempore, (*c*) in sabbato secundo primo [1], (*d*) cum Dominus (*e*) Iesus (*f*) ambularet per sata, et discipuli eius (*g*) esurientes [2] (*h*) coeperunt progredi, et vellere spicas, (*i*) et manducare,

(*a*) Mc. II, 23. — (*b*) Mt. XII, 1. — (*c*) L. VI, 1. — (*d*) Mc. II, 23. — (*e*) Mt. XII, 1. — (*f*) Mc. II, 23. — (*g*) Mt. XII, 1. — (*h*) Mc. II, 23. — (*i*) Mt. XII, 1.

[1] Pro eo quod S. Lucas ponit in *sabbato secundo primo,* S. Matthaeus habet simpliciter *sabbato;* S. Marcus autem, *sabbatis,* adhibito plurali pro singulari, sicut pluries fieri solet. In pluribus tamen graecis codicibus S. Lucae, omittitur adiectivum *secundo primo,* δευτεροπρώτῳ; at videtur huiusmodi omissio obscuritati huius dicendi formulae deberi. Quid autem proprie significetur per *sabbatum secundo primum,* non plane constat, interpretibus in diversas abeuntibus sententias. Id unum tuto teneri potest, illud fuisse unum ex festis diebus, Paschae festivitatem consequentibus, quando frumenti messis ad maturitatem iam pervenerat, et primitiae Domino fuerant oblatae.

[2] Tantopere esuriebant discipuli panem vitae spiritualis procedentem de ore dulcis Magistri, ut vel curam de viatico sibi providendi desererent. Huc facit dictum S. Marci ([1]), tantum fuisse turbarum ad Christum concur-

* Ratio Sect., p. 1.

([1]) III, 20, Sect. XC, n. 4.

(*a*) confricantes manibus [3]. Quidam autem pharisaeorum dicebant illis: *Quid facitis quod non licet in sabbatis* [4]? (*b*) Pharisaei autem videntes, dixerunt ei: *Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis* [5]. (*c*) Et respondens Iesus ad eos, dixit [6]: (*a*) *Nunquam legistis quid fecerit David, quando necessitatem habuit et esuriit ipse, et qui cum eo erant? Quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, et panes propositionis manducavit, quos non licebat* (*e*) *ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis*

(*a*) L. VI, 1-2. — (*b*) Mt. XII. 2. — (*c*) L. VI, 3. — (*d*) Mc. II, 25-26. (*e*) Mt. XII, 4.

sum, ut discipuli spatium manducandi non haberent. — *Ambularet,* graece παραπορεύεσθαι, quod verti potest *pertransiret.*

[3] Per itinera trita, inter segetes currentia, procedentes discipuli, spicas manibus confricare coeperunt, ut ex eis grana extraherent ad famem sedandam. — *Coeperunt progredi et vellere spicas,* ἤρξαντο ὁδὸν ποιεῖν τίλλοντες στάχυας: litteraliter, *coeperunt iter facere, vellentes spicas;* quod dupliciter intelligi potest: primo, per transpositionem participii, sic: *coeperunt, iter facientes, vellere spicas;* vel: in sata, ubi erat Iesus, coeperunt ipsi discipuli iter facere, seu progredi, et ibi spicas vellere. Prior tamen expositio melior est.

[4] Discipulorum simplicitatem pharisaeorum calliditas maligne redarguit, dum invidiae livorem colore iustitiae palliant. Non increpant illi discipulos furti, sed tantum de violatione sabbati: sciebant quidem lege prohibitum fuisse messem alterius falce secare, minime autem cibum ex eadem capere (1).

[5] Nulla est contradictio in eo quod apud S. Lucam legitur, discipulos a pharisaeis directe increpatos fuisse, apud sanctos Matthaeum et Marcum vero eosdem ab eis ad Christum fuisse delatos. Primo siquidem pharisaeorum nonnulli discipulos, tamquam diei festi violatores, arguerunt; dein iidem, vel alii, magis temerarii, ad Christum, tamquam legis zelatores, accesserunt, discipulos directe accusantes, indirecte tamen Christum ipsum, quasi id illi vi doctrinae Magistri facerent.

[6] Primo Christus discipulos benigne excusat, docens exemplo Davidis, ubi adsit necessitas aut evidens utilitas, cum legibus laudabiliter dispensari.

(1) Deut., XXIII, 25.

sacerdotibus; (a) et dedit eis qui cum eo erant [7] ? Et dicebat eis: *Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter sabbatum* [8]. *(b) Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt* [9] ? *Dico autem vobis, quia templo maior est hic* [10]. *Si*

(*a*) Mc. II, 26-27. — (*b*) Mt. XII, 5-8.

[7] Narratur hoc factum in primo libro Regum ([3]), quando David, Saulem fugiens, venit ad Abimelech, patrem Abiathar, Pontificem, in Nobe, et fame laborans, ab eo petiit cibum pro se et sociis suis. Cum autem Pontifex non haberet nisi panes propositionis, dictos etiam *panes faciei,* eo quod ponebantur ante faciem Domini, qui quolibet sabbato calidi collocabantur super mensam in tabernaculo Domini, quibus solis sacerdotibus vesci licebat ([4]), dedit eos David et ministris eius; nec tamen legem transgressus est, quia necessitas fuit ibi causa sufficiens dispensationis. — Dubitandum non videtur quin non solus David, sed eius quoque socii de panibus propositionis ederint, cum tum S. Marcus, tum S. Lucas dicant Davidem eis quoque de panibus dedisse: unde, pro eo quod habet S. Matthaeus, *comedit* ([5]), plerique graeci codices habent ἔφαγον, *comederunt.*

[8] Rationem hic reddit Dominus institutionis quietis sabbati, quae scilicet non ad perdendum hominem, sed ad illum salvandum ordinata est: unde hac norma regi debet sabbatina quies.

[9] Valde laboriosa erant sacerdotum ministeria in sabbatis, maxime quod pertinebat ad immolationem victimarum; unde, si eadem opera alibi aut ad alium finem facta fuissent, merito tamquam servilia fuissent habita. Quocirca, quod hic dicit Christus, sacerdotes in templo sabbatum violasse, non formaliter, sed materialiter est accipiendum, scilicet ex sententia pharisaeorum, quibus, si sibi cohaerentes fuissent, opera a sacerdotibus in templo facta videri debuissent violatio vel profanatio sabbati.

[10] Argumentum est a minori ad maius. Si templi sanctitas et finis operum in eo perficiendorum hominem ab opere servili excusant, quanto magis praesentia Sancti Sanctorum, et intentio laboris discipulorum, qui Magistri vestigiis, praetermissis curis necessitatum corporalium, in gratiam regni Dei insistebant. — Nota ly *hic* tamquam adverbium sumi debere: graece enim legitur ὧδε; unde sensus est, hoc loco aliquis exstat templo maior.

([3]) XXI, 1-6. — ([4]) Levit., XXIV, 5-9. — ([5]) XII, 4.

autem sciretis, quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium; nunquam condemnassetis innocentes [11]. *Dominus enim est Filius hominis etiam sabbati* [12].

— Ulterius, in graeco, non est *maior,* sed *maius,* μεῖζον : quo neutro genere, hebraica phrasi, insignis persona, scilicet Christi, expressius vult designari ([1]). — Praeclare comparat se Christus templo, cum in ipso divinitas corporaliter inhabitaret ([2]).

[11] Locus hic Oseae ([3]), iam a Domino supra adductus ([4]), occasione murmurationis pharisaeorum, qui indignabantur eo quod Dominus apud Matthaeum publicanum recens ad se conversum, coenae interfuisset, hebraismus est; et significat: *Misericordiam volo, magis quam sacrificium.* — Beati discipuli, quos caelestis Magister insontes coram pharisaeis tam benigne declaravit!

[12] Dupliciter Christus est Dominus sabbati, id est, temporibus dominatur: primo, ut Deus, cui competit omni creaturae dominari proprie et principaliter, tamquam Creator eiusdem; secundo, ut homo, per participatam auctoritatem, secundum quod Deus ei subiecit omnia. Quocirca Christi quoque auctoritate, obligatio sabbatum sanctificandi translata est in nova Lege ad primam hebdomadis feriam. Unde iure meritoque potuit discipulos excusare, qui vicissim simplici fide rite intellexerunt semet a Magistro actu fuisse excusatos. — Notanda vis emphaticae particulae *etiam*, quae in Vulgata constanter penes Evangelistas synopticos reperitur: in graeco vero, apud S. Marcum quidem constanter, apud sanctos Matthaeum et Lucam autem, in nonnullis codicibus legitur. Sensus igitur est, cum sabbati observantia, iuxta pharisaeos, inviolabilis esset, Christum tamen potestatem in eam habuisse.

QUAESTIONES.

I. — *Quid intelligitur per sabbatum secundo primum?*

Resp. Locus hic S. Lucae interpretes multum exercuit diuque exercebit. Cum S. Hieronymus a S. Gregorio Nazianzeno poposcisset, ut sibi explicaretur quid per hoc sabbatum *secundo primum* intelligendum foret, argutum habuit responsum ([5]): *Docebo te super hac re in ecclesia, in qua mihi omni populo acclamante, cogeris invitus scire quod nescis, aut certe si solus tacueris, solus ab omni-*

([1]) Cf. Luc., I, 35; supra, Sect. II, n. 17; Matth., I, 20; Sect. VI, n. 6. — ([2]) Col., II, 9. — ([3]) VI, 6. — ([4]) Cf. Sect. LXIII, n. 13. — ([5]) Epist. LII, al. II ad Nepotianum, *de vita Clericorum*, n. 8.

bus stultitiae condemnaberis. Nihil tam facile, quam vilem plebeculam et indoctam concionem linguae volubilitate decipere, quae, quia-quid non intelligit, plus miratur. — Ex potioribus sententiis, notari possunt sequentes. *Primo,* cum Iudaei omnem festivitatem sabbatum nuncuparent, eo quod sabbatum significat requiem, festum autem principale apud eos esset Pascha, post quod recensebatur Pentecostes, quasi secundum festum ex primis seu principalibus, per sabbatum secundo primum, intelligi commode potest ipsum festum Pentecostis. — *Secundo,* per *sabbatum secundo primum,* intelligi potest sabbatum sequens festum Paschatis, quod quidem festum contingere poterat qualibet hebdomadis die: primum autem sabbatum sequens illud festum solemnius erat inter sabbata; ideo dicebatur *secundo primum:* scilicet, secundum, relate ad praecedentem solemnitatem, primum, quasi principale respectu illius (1). — *Tertio,* intelligi potest id quod dicitur, *secundo primum,* de vespere festi diei, quem immediate sequatur alius festus dies: ita ut dicatur secundus, quasi finis sabbati praecedentis, et primus, quia initium subsequentis. — *Quarto, sabbatum secundo primum* accipi potest pro die, octava alicuius solemnitatis, ut Paschatis vel Tabernaculorum, quae dies cum prima die pari erat veneratione solemnis. Vel, ut habet S. Ioannes Chrysostomus, simul cum sabbato aliud festum inciderat, puta novilunii vel Pentecostis, unde erat simul duplex sabbatum: cui quidem ultimae sententiae suffragari videtur numerus pluralis, qui in S. Marco legitur (2), *sabbatis,* ἐν τοῖς σάββασιν.

II. — *Ubinam evenit factum quod hic narratur?*

Resp. Probabiliter in alta planitie Genesareth, quae fertilissima erat, et in qua magna frumenti copia quotannis producebatur.

III. — *Utrum ad opus servile revera pertinuerit, quod discipuli spicas vellerent et manibus confricarent?*

Resp. Lege quidem prohibebatur, die septimo, arare et metere (3), et similiter succendere ignem (4), aut cibos parare, vel ligna colligere (5) necnon portare pondera (6); at pharisaei subtilia plura et interdum ridicula, inter divinas prohibitiones inseruerant, ut puta, aliquid sale condire, duas suturas suere, etc. Quocirca eisdem malevolis, et in Christo calumniandum propensis, videri potuit spicarum villicatio species quaedam messionis; et similiter earumdem confricatio, quaedam velut ciborum praeparatio: licet opera illa servilia ut sic prohibita minime essent. Noluit tamen

(1) Cf. infra, Sect. CCCXLII, n 2. — (2) II, 23. - (3) Exod., XXIV, 21. — (4) Ibid., XXXV, 3. — (5) Num., XV, 32. — (6) Ier., XVII, 21.

Christus discipulos excusare, dicendo eos nil servile gessisse, quo Iudaeos attentiores redderet ad argumentum quod inde sumere intendebat ad probandam suam divinitatem: nimirum, praetermisso quod discipuli sabbatum minime violassent, imo, dato, non concesso, quod id revera fecissent, totus est Dominus in demonstrando se, utpote sabbati dominum, verum esse Deum, cui praeterea potius cordi est misericordia quam sacrificium.

IV. — *Cur dicit Christus, factum Davidis hic narratum contigisse sub Abiathar, principe sacerdotum, cum Scriptura referat illud evenisse sub Achimelech, patre et praedecessore illius* ([1])?

Resp. Dici potest, hic, sicut pluribus aliis locis, patrem filii nomine vocitari, sicut interdum filius nomine patris appellatur ([2]). — Censent alii Abiathar extitisse tunc coadiutorem patris sui; ab Evangelista vero hic nominari, eo quod celeberrimus evaserit sub regno Davidis. — Aliis demum placet, amanuensium errore, nomen Abiathar positum fuisse loco nominis Achimelech.

V. — *Quo pacto dicitur Deus magis misericordiam velle, quam sacrificium?*

Resp. Quia misericordiam, utpote virtutem animi, vult Deus secundum seipsam; sacrificium autem, non secundum se, sed secundum quod ad aliud ordinatur: unde potest bene vel male fieri. Quocirca, cum exercitatione virtutis misericordiae numquam dispensandum est: at cum iis qui necessitate aliqua tenentur, de legis observantiis aliquid laudabiliter remitti potest.

([1]) 1 Reg., xxi, 1. — ([2]) Cf. 2 Reg., viii, 17; 1 Paral., xviii, 16 et xxiv, 6.

SECTIO LXXXVIII.

(Mt. XII, 9-13; Mc. III, 1-5; L. VI, 6-11).

Argumentum. — *Ingressus Iesus sabbato in synagogam Iudaeorum, invenit hominem cuius dextera erat arida. Observantibus illum scribis et pharisaeis, si forte in sabbato curaret, Iesus primo eos argumento perstringit, edicens licere sabbato benefacere: tum, iubens hominem extendere manum suam, illam sanitati restituit.*

Ratio Sectionis. — Praesens historia curationis manus aridae, non secus ac praecedens eventus, a tribus Evangelistis concorditer narratur, et quidem immediate post avulsionem et confricationem spicarum. Eo autem tendit subiecta narratio, ut ostendatur, Dominum id miraculo confirmasse, quod antea argumentando Iudaeos docuerat, se videlicet esse Dominum sabbati, et consequenter verum Deum. Res hic narrata probabiliter dicenda est evenisse in civitate Capharnaum.

(*a*) ET cum inde transisset, (*b*) factum est autem et in alio sabbato, ut intraret (*c*) iterum in synagogam (*d*) eorum, (*e*) et doceret [1]. Et (*f*) ecce, (*g*) erat ibi homo, et manus eius dextra erat arida [2]. Observabant autem scribae et pharisaei si in sabbato curaret, ut invenirent unde

(*a*) Mt. XII, 9. — (*b*) L. VI, 6. — (*c*) Mc. III, 1. — (*d*) Mt. XII, 9. — (*e*) L. VI, 6-7. — (*f*) Mt. XII, 10. — (*g*) L. VI, 6-7.

[1] Synagogam ingressus est Dominus, quatenus suam doctrinam formalius atque universalius traderet: sabbatum autem elegit ut novam inde nancisceretur occasionem Iudaeos de sabbati obligatione rite edocendi. — *In alio sabbato,* scilicet, post sabbatum secundo primum. Mos erat apud Iudaeos, ut conspicui viri rogarentur aliquid de Scripturis, quae lectae fuerant, exponere. — *Eorum,* non pharisaeorum, quibus propria synagoga non erat, sed generatim Iudaeorum.

[2] Id est contracta et emortua, atque libero motu carens. — Adverbio hoc, *ecce,* attenti reddunturauditores ad subsequentis miraculi narrationem. — Pro *arida,* S. Matthaeus et S. Lucas habent ξηρά; at, apud S. Marcum est ἐξηραμμένη, *facta arida:* unde non a nativitate homo

accusarent eum [3]. (*a*) Et interrogabant eum, dicentes: *Si licet sabbatis curare?* ut accusarent eum [4]. (*b*) Ipse vero sciebat cogitationes eorum [5]: et ait homini qui habebat manum aridam: *Surge, et sta in medium.* Et surgens stetit [6]. Ait autem ad illos Iesus: *Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere, an male: animam salvam facere, an perdere?* [7] (*c*) At illi tacebant [8]. (*d*) Ipse autem dixit illis: *Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, et si ceciderit haec sabbatis in foveam, nonne tenebit et levabit eam? Quanto magis melior est homo ove? Itaque licet sabbatis benefacere* [9]. (*e*) Et

(*a*) Mt. XII, 10. — (*b*) L. VI, 8-9. — (*c*) Mc. III, 4. — (*d*) Mt. XII, 11-12. — (*e*) Mc. III, 5.

ille sic infirmus extiterat. — A solo S. Luca specificatur manus: nempe dextra, quo clarius ostenditur infimitatis gravitas.

[3] Pharisaei, capite praecedenti iam recensiti, verbis Domini nostri nullo modo meliores effecti videntur: his autem hic scribae adiunguntur, qui cum illis novam moliuntur calumniam contra Dominum. Isti videlicet tabescentes invidia, cuius proprium est omnia, etiam bene gesta, in eo quem odio habet, obfuscare vel inficere, occasionem quaerunt Christum accusandi de transgressione sabbati. Hanc igitur eorum intentionem consequenter redarguit Christus Dominus.

[4] Peccatum suum aggravant scribae et pharisaei, dum invidiosa ac fraudulenta intentione Christum interrogant. — *Si licet,* hebraismus est, pro *licetne* ([1]).

[5] Non scientia beata tantum, sed etiam indita, Christus malas pharisaeorum cogitationes dignoscebat. Sciebat nempe benignissimus Dominus, eos perversa mente et intentione interrogare.

[6] Iubet Dominus infirmum stare in medium, ut illum omnes contuentes, magis ei condoleant, simulque miraculum clarius omnibus patescat.

[7] Pharisaeorum quaestionem Christus resumit, at paulisper immutatam, ut illorum intentionem facilius confundat. — Ubi notari libet duplicem sensum claudi in his verbis: *Animam salvam facere,* etc., secundum quod anima sumitur vel pro vita temporali, vel pro spirituali.

[8] Quid enim reponere potuissent? Non enim negare poterant, licere benefacere, aut animam salvam facere; nec hoc concedere volebant, ne seipsos condemnarent.

[9] Potuisset Christus pharisaeos confundere exemplo medi-

([1]) Cf. Matth., XIX, 3; Luc., XIII, 23.

circumspiciens eos cum ira [10], contristatus super caecitate cordis eorum [11], (*a*) tunc ait homini : *Extende manum tuam.* Et extendit; et restituta est (*b*) manus eius (*c*) sanitati, sicut altera [12]. (*d*) Ipsi autem repleti sunt insipientia [13],

(*a*) Mt. XII, 13. — (*b*) L. VI, 10. — (*c*) Mt. XII, 13. — (*d*) L. VI, 11.

corum, quorum opera illimet certe, dum aegrotarent, ultro utebantur etiam sabbato ; at maluit sermonem de animalibus introducere, quibus vel in sabbato dominus opitulatur ; ut argumento velut a fortiori, ostenderet se, in curationibus peragendis, nil commune habere cum medicis, qui artis suae ope, morbis medentur. — Notandum autem, exemplum a Domino nostro adductum, scilicet extractionis ovis ex fovea, proprie ad beneficentiam non pertinere, cum non possint esse iustitia et misericordia proprie dictae erga bruta animalia, quae cum ratione destituantur, iura non habent, nec digna sunt amore formaliter dicto : deinde non benefaciunt homines bestiis ut illis bene sit, sed propter se, qui bestiarum domini sunt. Ex quibus abunde apparet quanto magis conveniat ut homo, vel in sabbato, benefaciat proximo suo. — *Tenebit,* κρατήσει, id est, *manu prehendet.* — *Benefacere,* hic in graeco legitur καλῶς ποιεῖν, *recte, probe, laudabiliter agere* ([1]).

[10] Ira huiusmodi non fuit in Christo ira per odium, sed ira per zelum, rationis scilicet iudicium non praeveniens, et ex rationis imperio libere assumpta, atque voluntati in omnibus obediens.

[11] Graece, ἐπὶ τῇ πωρώσει, quod reddi potest, *propter duritiam cordis eorum,* eo quod cor eorum occaluisset ut saxum.

[12] Patet hic excellentia potestatis Christi, qui non contactu manus, sed solo vocis imperio, instantanee, manum aridam sanavit : non enim extendi valebat manus hominis illius, nisi ariditate sublata. Contractio quidem per naturam et artem interdum curatur : at nunquam solo imperio aut instantanee, cum constet naturam et artem in talibus successive operari.

[13] *Insipientia,* ἀνοίας, id est stultis cogitationibus, invidia ac pravis consiliis : qui quidem inde facti sunt peiores, unde fieri debuissent meliores : volebant enim perdere Iesum, ut mox expresse dicetur ([2]).

([1]) Cf. Act., X, 33 ; I Cor., VII, 37, 38. — ([2]) Sect. seq., n. 2, p. 36.

et colloquebantur ad invicem, quidnam facerent Iesu [14].

[14] Pharisaei, cum pro perspectis beneficiis Christo gratias agere debuissent, malum ei machinantur, immo maximum malorum physicorum, id est mortis poenam, ut iam vidimus ([1]), et ex consequentibus clarius patescet. Impedire volebant perversi Iudaei, ne Iesus infirmum die sabbato curaret, ipsique non verebantur eodem sancto die inter se consiliari, ut iustum iniuste occiderent. Exhinc quietem non habebunt, usquedum iniquum propositum compleverint.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum per hoc quod dicitur, licere sabbatis benefacere, permittatur operariis, festo die, arare, seminare, aut metere, cum haec bona sint opera?*

Resp. Negative. Benefacere enim hic, graece, ἀγαθοποιῆσαι, est conferre alicui beneficium, quale, puta, egent famelici, debiles, languidi, quorum etsi possit curatio in alium diem differri, differenda tamen non est, ne egentibus miseria protrahatur: unde caritas erga proximum requirit ut talia beneficia quam cito exhiberi possint, fiant. Ex hoc tamen inferri nequit, licere homini festo die servilia opera perficere, nisi absoluta existente necessitate et cum debita praelatorum Ecclesiae venia.

II. — *Utrum vere fuerit ira in Christo?*

Resp. Affirmative, aliter tamen ac est in nobis. In nobis quippe ira est passio, quae rationem saepe praevenit ac obnubilat, mentisque quietem conturbat; in Christo vero fuit affectus appetitus irascibilis, a ratione imperatus, eique plene subiectus, quo contra peccatum, tamquam punitione dignum, libere insurgebat: unde non passio, sed propassio dicitur. Attamen in Christo fuit ira vera et proprie dicta, secus ac in Deo, qui figurate tantum dicitur irasci, in quantum id facit quod homines irati facere solent, id est punit peccata ac vindicat iniurias sibi illatas ([2]).

III. — *Quaenam sunt servilia opera, a quibus homo dominica die abstinere debeat?*

Resp. Triplicis generis est servile opus: *primo,* est opus quod

([1]) Supra, Sect. LXXXIII, n. 11, p. 10. — ([2]) Cf. Tract. DE INCARNAT. VERBI. Vol. I, Quaest. XV, art. 9, n. 3, p. 543. Cf. Sect. XLVII, Quaest. III, Vol. I, p. 297.

inducit peccati servitutem, et a tali opere feriandum est cunctis diebus; *secundo,* est opus servile servitute fortunae, quale est opus mechanicum, in quo corpus maiorem habet partem, et a tali opere abstinendum est diebus festivis; *tertio,* est opus servile servitute naturae, quale scilicet corporis sustentationi immediate impenditur, et huic operis generi potest homo diebus festis insistere, quantum necessitas postulat.

IV. — *Quid significatur per manus aridae curationem?*

Resp. Per manus aridae curationem, significatur restitutio virium animae ad bonum supernaturale complendum. Enimvero, arida manus impotentiam designat ad bona opera patranda, quam impotentiam gratia sua curat Christus Dominus. *primo,* iubendo infirmo ut surgat, scilicet a peccatis per poenitentiam: *Surge; secundo,* homini concedendo, per virtutum exercitium, ut sit paratus ad bonum patrandum: *Sta in medium; tertio,* applicando gratiam divinitus concessam bono operi perficiendo: *Extende manum tuam.*

V. — *Quot et quaenam sunt miracula a Christo die sabbato patrata?*

Resp. Septem numerantur, scilicet: *primo,* obsessus liberatus in synagoga Capharnaum (1); *secundo,* socrus Petri (2); *tertio,* homo aridam manum habens (3); *quarto,* paralyticus ad probaticam piscinam (4); *quinto,* homo caecus natus (5); *sexto,* mulier habens spiritum infirmitatis (6); *septimo,* homo hydropicus (7).

(1) Luc., IV, 33-37; Sect. XLII. — (2) Luc., IV, 38-39; Sect. XLIII. — (3) Hoc loco. — (4) Io., V, 1-15; Sect. LXXXII. — (5) Io., IX, 1-41; Sect. CLXIV, seq. — (6) Luc., XIII, 11-17; Sect. CLXXXVII. — (7) Luc., XIV, 1-6; Sect. CXC.

SECTIO LXXXIX.

(Mt. XII, 14-21; Mc. III, 6-12).

Argumentum. — *Sciens Iesus se a pharisaeis ad mortem quaeri, secedit cum discipulis suis ad mare, ubi omnes infirmos curat; unde Isaiae dictum in illo mirabiliter adimpletum cernitur.*

Ratio Sectionis. — Quod praesens narratio de pharisaeorum conspiratione in Iesum, chronologice subsequatur factum de sanatione aridae manus, clare apparet ex adverbio *statim*, quo hic utitur S. Marcus. Igitur, cum illi in Galilaea versarentur, ubi regnabat Herodes tetrarcha, sine quo nihil perficere poterant, hinc in id primo intendunt animum ut, nulla interposita mora, cum Herodianis conferant de perdendo Iesu.

(*a*) EXEUNTES autem pharisaei, statim cum Herodianis [1] consilium faciebant adversus eum, quomodo eum perderent [2]. (*b*) Iesus autem sciens recessit inde [3]: et (*c*) cum

(*a*) Mc. III, 6. — (*b*) Mt. XII, 15. — (*c*) Mc. III, 7-10.

[1] Herodiani asseclae erant et aulici Herodis tetrarchae, quem ob suam ex Idumaeis originem Iudaeis invisum, conabantur in vulgi existimationem adducere, illius famam amplissimis laudibus celebrantes, et eousque illius excellentiam extollentes, ut effutirent illummet esse Messiam quem Iudaei exspectabant. His autem naturaliter infensi erant pharisaei, iudaicae originis et propriarum traditionum aemuli: attamen, cum de persequendo Dominum ageretur, cum illis, mox e synagoga egressi, manus in perversum hunc finem conserunt.

[2] Ex hinc videtur quanta fuerit hominum illorum malitia, qui ex ipsismet Christi beneficiis quibus ad illius amorem impelli debuissent, occasionem sumpserunt necem eidem parandi.

[3] Iesus, cum sciret tempus nondum advenisse, quo vitam pro hominum salute poneret, furorem inimicorum patienter declinat, a loco ubi insidias ei moliebantur sponte discedens: exemplo suo consecrans doctrinam quam postea Apostolus Paulus erat traditurus, his verbis ([1]): *Date locum irae*. Quod quidem exemplum sancti Dei homines passim secuti sunt, ut puta, S. Athanasius, dum arianorum insidias fuga declinavit, qui etiam de hoc argumento insignia reliquit doctrinae documenta.

([1]) Rom., XII, 19.

discipulis suis secessit ad mare [4]. Et multa turba a Galilaea et Iudaea secuta est eum; et ab Ierosolymis, et ab Idumaea [5], et trans Iordanem; et qui circa Tyrum et Sidonem, multitudo magna [6], audientes quae faciebat, venerunt ad eum [7]. Et dixit discipulis suis ut navicula sibi deserviret propter turbam, ne comprimerent eum [8]. Multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent, quotquot habebant plagas; (*a*) et curavit eos omnes [9]: et praecepit eis, ne manifestum eum facerent [10]. (*b*) Et spiritus immundi,

(*a*) Mt. XII, 15-16. — (*b*) Mc. III, 11-12.

[4] Scilicet ad mare Galilaeae, seu lacum Genesareth.

[5] Incolae Idumaeae erant posteri Esau, qui falsos colebant deos atque Iudaeis valde infensi erant. Attamen isti quoque, miraculorum Christi fama permoti, ad eum accedunt, verba vitae a divino eius ore percepturi.

[6] Sic igitur ex omni parte veniunt turbae ad Iesum: videlicet, ex circumstante Galilaea; ex meridie, scilicet Iudaea, imo ex ipsa urbe principe, Hierusalem; quin et ex extremo meridie, Idumaea, quae provincia hic tantum in novo Testamento recensetur; ex oriente, scilicet trans Iordanem; quinimmo, ex ethnicis regionibus a Tyro et Sidone dependentibus.

[7] Ex hoc habetur, quam verum sit id quod dicit S. Paulus ([1]): *Fides ex auditu:* scilicet ex praedicatione operum Dei excitatur animus audientium ad revelatam veritatem suspiciendam.

[8] Quod Dominus noster naviculam saepius ad praedicandum selegerit, mysterio non vacat: cum navis figura sit Ecclesiae catholicae, in qua custoditur veritas revelata, et tutum iter ad aeternam salutem homini patet. Ex hoc autem quod dicitur Dominus naviculam selegisse ne illum turba comprimeret, monetur evangelicus praedicator debere se interdum a turba segregare, ne saeculi rumoribus et curis a spiritualibus vitae exercitiis distrahatur. — *Deserviret,* προσκαρτερῇ, id est quotiescumque vellet, sibi esset ad manum.

[9] Sensus huius loci est, multos ad Iesum accessisse sanandos, quos omnes quidem ille sanabat. — *Plagas,* μάστιγας, *flagra:* infirmitates enim tanquam flagra ad emendationem nostram a Deo immissa, a Iudaeis iure meritoque habebantur ([2]).

[10] Praeceptum hoc non erat imperantis, sed vanam gloriam

([1]) Rom., x, 17. — ([2]) Cf. Exod., xv, 16; Levit., xxvi, 16-21; Deut., vii, 15; xxviii, 27, 60, etc

cum illum videbant, procidebant ei; et clamabant, dicentes: *Tu es Filius Dei* [11]. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum [12]. (*a*) Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem [13]. *Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animae meae* [14]. *Ponam spiritum meum super eum, et iudicium gentibus nuntiabit* [15]. *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius: arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet, donec eiiciat ad victoriam iudicium; et in nomine eius gentes sperabunt* [16].

(*a*) Mt. XII, 17-21.

declinantis. Igitur Dominus, ut doceret nos de bonis nostris operibus gloriari haudquaquam debere, vetat, quantum in se est, ne benefacta sua divulgentur, licet cognosceret et corde approbaret bonam illorum voluntatem, qui opera Dei manifestare et divulgare volebant. Id quoque vetuit Iesus, ut invidis pharisaeis omnem adimeret ansam sibi calumniandi ([1]). — *Praecepit,* ἐπετίμησε, *severe increpavit,* minis addictis.

[11] Haec faciebant daemones per energumenos, in quibus habitant: non autem spontanea erat eorum adoratio, sed coacta; nec Christum esse Filium Dei fide supernaturali credebant, sed signorum evidentia compulsi, cogebantur id confiteri.

[12] Debebat enim Dominus pati et reprobari a Iudaeis, ut salus humana compleretur et ipsemet gloria coronaretur. — *Vehementer,* πολλά, id est, *crebro* aut multoties.

[13] Locus est ex Isaiae capite XLII ([2]), notabiliter, etsi non quoad substantiam, immutatus. Conveniunt doctiores ex Rabbinis, venturum Messiam hoc loco describi, cuius singulares praerogativae notantur, scilicet humilitas et mansuetudo.

[14] Christus hic nominatur *puer* per excellentiam, ὁ παῖς μου, ut habent Septuaginta, seu servus electus et dilectus, et quidem secundum humanitatem, licet esset a tota aeternitate Filius dilectus Patris: at eadem persona Verbi divini assumpsit formam servi ut notat S. Paulus ([3]).

[15] Christus, secundum humanitatem, semper habuit plenitudinem gratiae et donorum Spiritus Sancti, unde prophetia haec referenda non est ad tempus eius baptismatis, sed ad tempus eius conceptionis in utero Beatissimae Virginis Mariae.

[16] Hisce verbis significatur non solum Christi praedestinatio, eiusque insignis sanctitas, sed

([1]) Vide supra, Sect. LXVIII, Quaest. I. Vol. I, p. 407. — ([2]) I, seq. — ([3]) Phil., II, 7; Cf. Matth., III, 17; XVII, 5.

etiam benefica missio, quam per caritatem et mansuetudinem adimplevit, necnon eiusdem missionis exitus, scilicet gentium, audita Evangelii praedicatione, ad fidem conversio. — Pro *donec eiiciat ad victoriam iudicium,* in Vulgata Isaiae est: *In veritate educet iudicium;* quod sibivult, fore ut semper et ubique norma divini iuris praevaleat, ac veritas ubique elucescat et vincat: particula enim *donec* non ponitur ad finiendum, sicut cum dicitur (1): *Donec ponat inimicos suos.* — Post haec verba, in Vulgata Isaiae legitur: *Non erit tristis neque turbulentus,* quod ex hebraeo reddi potest: *Non erit exstinctus nec corrugatus,* id est, animo non concidet ob difficultates quibus in benefaciendo obviam fiet. — Demum, pro eo quod legitur: *Et in nomine eius gentes sperabunt,* in eadem Vulgata est: *Et legem eius insulae exspectabunt.*

QUAESTIONES.

I. — *Cur Dominus noster naviculam ad praedicandum saepius elegit?*

Resp. Id fecit Dominus ob mysterii rationem: videlicet navis, in eo quod homines ab aquarum inundatione praeservat et ad optatum portum perducit, convenientissima est figura Ecclesiae catholicae, in qua custoditur veritas revelata, et per quam tutum homini ad aeternam beatitudinem patet iter: unde opportune Dominus ad praedicandum saepius navim conscendebat.

II. — *Quomodo componuntur quae ex Isaia recitat S. Matthaeus:* NEQUE AUDIET ALIQUIS IN PLATEIS VOCEM EIUS, *cum eo quod aliqui apud S. Lucam introducuntur dicturi Domino* (2): IN PLATEIS NOSTRIS DOCUISTI?

Resp. Praedicit Isaias insignem Christi mansuetudinem, tranquillum ac moderatum animum, atque ab omni contentione et clamore alienum; non autem negat illum in plateis docturum, cum Christus praedicaturus foret prout occasio se obtulisset, scilicet nunc in templo, nunc in synagoga; modo in plateis vel in via, modo in navi: at nullibi vox eius quidquam durum aut asperum habuit. Ceterum, apud Isaiam legitur (3): *Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris.*

(1) Ps., CIX, 1. — (2) XIII, 26. — (3) XLII, 2.

III. — *Quid intelligitur per arundinem quassatam et linum fumigans?*

Resp. Per arundinem quassatam intelligi possunt qui moribus claudicant ac veluti viribus spiritualibus semifracti, in eo sunt ut in vitiorum abyssum praecipites eant: quos debet sacerdos, ad imitationem Christi Domini, benigne suscipere, ne penitus corruant; per linum fumigans vero intelliguntur debiles in fide, quibus fidei lumen pene exstinctum est: quibus pariter spiritualem opem misericorditer ferre debemus, ut ad pleniorem mysteriorum cognitionem perveniant.

IV. — *Quid causae est, quod S. Matthaeus Isaiae locum aliis verbis referat?*

Resp. Dicunt nonnulli, dissidium huiusmodi, quale etiam alibi deprehenditur, ex librariorum incuria proficisci; quam sententiam aliquando secutus est S. Hieronymus (1). — Aliam huius rei causam alibi adfert idem S Doctor (2), scilicet, propterea verba mutari aut ordinem, interdum etiam sensum, quod Apostoli vel Evangelistae testimonia non ex libris carpserint, sed qualia memoriae credita erant, quae utique nonnumquam fallitur. At regula haec plena periculi est, ideoque deserenda. — Potius cum eodem S. Hieronymo edicendum (3), Evangelistarum et Apostolorum morem vulgatum fuisse, verborum ordine praetermisso, sensum tantum de veteri Testamento in exemplum proferre.

(1) In h. l. Isaiae. — (2) In Mich., l. III, c. 5. — (3) In Matth., XXVII, v. 9, 10; cf. epist. ad Algasiam, n. 2.

SECTIO XC.

(Mt. XII, 22-24; Mc. III, 20-22; L. XI, 16).

Argumentum. — *Daemoniacum caecum et mutum curat Dominus, ad quem iterum turba convenit, cum tamen sui illum in furorem versum esse dicerent; pharisaeis et scribis blasphemas voces in illum edentibus.*

Ratio Sectionis. — Ratio continuationis narrationis evangelicae repeti potest ex ipsismet S. Matthaei verbis, qui absolute scribit: *Tunc oblatus est,* etc. — Ex rebus autem hic narratis, solus Matthaeus refert daemoniaci caeci et muti sanationem; solus Marcus autem cognatorum Iesu de eo opinionem; at pharisaeorum blasphemiam, tres simul Evangelistae concorditer referunt, licet id quod hac de re narrat S. Lucas, ab eo referatur post eiectionem daemoniaci muti, ut iam notatum est *; qui etiam praeter praedictam blasphemiam, recenset eorumdem pharisaeorum peccatum de tentatione Dei.

(*a*) TUNC oblatus est ei daemonium habens, caecus et mutus [1]; et curavit eum ita ut loqueretur et videret [2]. Et stupebant omnes turbae, et dicebant: *Numquid hic est filius David* [3]? (*b*) Et veniunt ad domum; et convenit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare [4]. Et cum audissent sui, exierunt tenere eum, dice-

(*a*) Mt. XII, 22-23. — (*b*) Mc. III, 20-21.

[1] Non naturali defectui, sed maleficio, daemonii praesentia causato, debebatur huius infelicis caecitas et mutitas, quae illo a Domino expulso, ultro sanata est.

[2] Tria signa in uno eodemque facto simul peregit Iesus: obsessum liberavit; infirmo, primum visum, deinde loquelam mirabiliter restituit.

[3] Bene ratiocinabantur turbae: quandoquidem daemones expellere, morbosque propria virtute curare, ad divinam illius potentiam pertinet, qui factus est homo ex semine David. — *Stupebant,* ἐξίσταντο, quasi extra se fiebant prae admiratione.

[4] Hoc dicitur de Domino nostro eiusque dilectis discipulis,

* Supra, Sect. LXVIII, n. 13. Vol. I, p. 407.

bant enim : *Quoniam in furorem versus est* [5]. (*a*) Pharisaei autem audientes, (*b*) et scribae qui ab Ierosolymis descenderant, dicebant : *Quoniam Beelzebub* [6] *habet, et quia* (*c*) *hic non eiicit daemones, nisi in Beelzebub, principe daemoniorum* [7].

(*a*) Mt. XII, 24. — (*b*) Mc. III, 22. — (*c*) Mt. XII, 24.

quibus omne vel manducandi tempus adimebat cura, quam gerebant, circa convenientes undique turbas. — Pro *veniunt,* in pluribus codicibus legitur ἔρχεται, *venit.* — Ad domum, εἰς οἶκον, absque articulo, id est, *in aliquam domum.* — Quod dicitur *iterum* refertur ad id quod antea retulerat S. Marcus ([1]). — *Panem manducare* hebraismus est, pro *sumere cibum.*

[5] Dum turbae Christum acclamabant, ii qui ad eum propius accedebant, οἱ παρ' αὐτοῦ, illum dicebant mente alienatum aut furiosum : hoc quippe sibi vult graecum verbum ἐξέστη, quod significat *extra se factus est.* Utrum hoc quod dicebant, mente etiam tenuerint, non plane constat : attamen non legimus id eos ad effectum traduxisse, quod intenderant, nempe Christum se tenere velle. Quod si revera Christum illi stultum aut insanum reputaverint, dici debent sub censuram S. Pauli incidisse ([2]) : *Animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi ;* aut id verificatum est, quod dixit Dominus ([3]) : *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, et in domo sua, et in cognatione sua.* — Notandum, perperam a nonnullis, id quod dicitur *sui,* οἱ παρ' αὐτοῦ, intelligi de pharisaeis aut scribis, quasi isti, odio acti, dum Christum effutirent a Beelzebub possideri, illum prehendere sint conati : talem enim interpretationem non admittit sacer textus, cum de huiusmodi scribis nonnisi postea, id est versu sequenti ([4]), agat S. Marcus — *Tenere* graece est κρατῆσαι, quod est *vi apprehendere.*

[6] Nomen hoc, in graeco SS. Matthaei et Marci legitur Βεελζεβούλ ; apud S. Lucam vero communius invenitur scriptum Βεεζεβούλ. Hoc vocabulo quod, secundum aliquos interpretes significat *dominus muscarum,* vocitabatur idolum Accaron ([5]) ; et eodem quoque nomine postea designatus est diabolus ille qui in alios daemones auctoritatem habet. — Sunt tamen quibus videtur nomen hoc significare *dominus stercoris :* quo nomine ethnicorem idola Iudaei, contemptus causa, designabant.

[7] En quanta invidia Christi benefacta distorquent pharisaei, dum ex sanatione illius daemo-

([1]) II, 1, 7 ; Sect. LXII. Vol. I, p. 371. — ([2]) I Cor., II, 14. — ([3]) Marc., V, 4. — ([4]) 22. — ([5]) 4 Reg., I, 2.

(*a*) Et alii tentantes, signum de caelo quaerebant ab eo [8].

(*a*) L. XI, 16.

niaci occasionem arripiunt illi calumniandi, pactum confingentes inter Iesum et daemoniorum principem, cui inferiores daemones obediunt ([1]).

[8] Experiri volebant Iudaei an Christus divina virtute daemones eiiceret: ideoque signum quaerebant, quale, puta, ad vocem Iosue datum est, sole et luna stantibus spatio diei unius ([2]). Quod Iudaei signa quaerere consueverint, testatur S. Paulus ([3]): *Iudaei signa petunt* ([4]).

QUAESTIONES.

I. — *Utrum daemoniacus ille non solum mutus, sed etiam surdus fuerit?*

Resp. Cum graeca vox, quae pro *mutus,* ponitur, scilicet κωφός, significet obtusum tum lingua, tum auribus, hinc nihil obstat quominus dicatur homo ille fuisse simul mutus et surdus; unde exclamat S. Ioannes Chrysostomus ([5]): *O malitia daemonis! utramque viam, qua is crediturus erat, obstruxerat, visum et auditum: sed utramque Christus aperuit.* Porro, cum dicatur sanatus loquelam recepisse, formaliter quidem de muto vox illa accipienda erit: quocum cohaeret ut etiam surdo intelligatur auditus fuisse restitutus ([6]).

II. — *Quid mystice per daemoniacum istum caecum ac mutum significatur?*

Resp. Significatur homo in vitiis radicatus, quem daemon ducit quo vult, habens illum captivum ad suam voluntatem ([7]), qui Deum in rebus huius mundi visibilibus minime percipit, nec Deo gratias agit. Hunc Christus sanat, daemonem per gratiae infusionem eiiciendo; ita ut semitas Dei aspiciat per fidem, et spiritualia loquens, magnificet Deum. *Tria signa simul in uno homine perpetrata sunt,* ait S. Hieronymus ([8]): *caecus videt, mutus loquitur, possessus a daemone liberatur. Quod et tunc quidem carnaliter factum est, sed et quotidie completur in conversione credentium, ut expulso daemone, primum fidei lumen aspiciant, dein in laudes Dei tacentia prius ora laxentur.*

([1]) Cf. Sect. LXVIII, n. 13. V. 1, p. 417. — ([2]) Ios., X, 12, 13. — ([3]) 1 Cor., 1, 22. — ([4]) Cf. Io., IV, 48; ibid., XI, 18. — ([5]) Homil. XLI. — ([6]) Cf. Sect. 1, n. 25. Vol. 1, p. 9. — ([7]) 2 Tim., II, 26. — ([8]) Comm. in h. l. S. Matth

III. — *Utrum propinqui Christi revera crediderint, illum esse mente captum, aut furiosum?*

Resp. Probabiliter dici potest, id eos revera minime tenuisse, attamen, ob specialem finem hoc ei praetexisse. Sane, imprimis, refugit animus credere homines, qui circa Christum erant et cum eo diu fuerant conversati, sive ii fuerint cognati aut propinqui, sive fuerint amici aut discipuli, non enim de eius inimicis hic sermo incidit, ut dictum est (1), adeo ab omni pietatis sensu aberrasse, ut Redemptorem reputaverint in dementiam aut maniam devenisse, quem tantus maiestatis fulgor, tanta morum suavitas, tam insignis eloquentia ac singularis mansuetudo praeclare condecorabant, maxime cum Dominus ipse non dubitaverit se tanquam mansuetudinis et humilitatis specimen coram omnibus exhibere (2). — Nec obstat quod ait S. Ioannes (3): *Neque enim fratres eius credebant in eum:* nam, ex contextu patet, fratres, id est cognatos Christi, in eius, utique miracula credidisse, cum illum urgerent ut se mundo ulterius manifestaret; at hisce verbis significatur eorum fidem adhuc imperfectam et certe carnalem extitisse, cum Crucis humilitatem nondum intelligerent et gustarent; unde eos allocutus est ipse Christus (4): *Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum.* — Quocirca probabiliter dicendum videtur, id quod Christi propinqui dixerint, illum scilicet in furorem versum fuisse, ore quidem, non vero mente aut corde, prolatum fuisse.

IV. — *Quid causae fuit, cur Christi propinqui talem de eo mentis statum praetexuerint?*

Resp. Res quidem non est determinatu facilis: dici tamen probabiliter potest, id ab eis eatenus factum, quatenus manducandi et aliquantisper quiescendi spatium Christo procurare vellent. Enimvero, quod dicitur, Christi propinquos exiisse tenere Iesum, intime colligatur cum eo quod praecedit, Domino scilicet eiusque discipulis nec suppetiisse tempus manducandi. Porro, cum lege cautum esset ut si cuius hominis parentes illum iudicarent in dementiam versum, ius eis fieret eum apprehendendi et strictim custodiendi ne sibi et aliis noceret (5); ideo dici utique potest Iesu cognatos, stratagemmate usos, quatenus, rumore prius sparso illum esse in furorem actum, eius parentibus, Ioseph et Mariae facultas fieret domum eumdem perducendi, atque sic a turba illum comprimente liberandi. — Qua quidem in re, Christi cognatos peccasse dubitandum non est, cum ad tale officiosum mendacium recurrere non renuerint, maxime cum rem infinitae Salvatoris sapientiae valde

(1) N. 5, p. 42. — (2) Matth., XI, 29. — (3) VII, 5. — (4) Ibid., 6. — (5) IUSTIN., Tit. de Curator.; VARRO, de re rustica, l. II, c. 2; CICERO de Iuvent., l. II.

iniuriosam confingerent; excusari tamen aliquantisper posse videntur pietatis sensu quo movebantur. Huic tamen rei sanctissimos coniuges minime consensisse re ipsa evincitur, cum non legatur id quod illi moliebantur, ad effectum fuisse traditum.

V. — *Utrum S. Ioseph adhuc in vivis fuerit?*

Resp. Probabiliter affirmative, ut infra dicetur (1); unde ad eum, tanquam putativum patrem, potissime ius illud pertinebat, filium, quem censerent in dementiam versum, domum perducendi.

VI. — *Utrum sit aliqua inter daemones praelatio?*

Resp. Affirmative. Equidem Iudaei aliquam inter daemones praelationem agnoscebant, dum unum eorum, tanquam primum ac ceteris potentiorem esse profitebantur, quem Satanam aut Asmodeum vocitabant. Porro, sententia haec theologicae quoque veritati concordat: nimirum, ipsa graduum naturae differentia, quae nunquam tolletur, exigitur ut, inter daemones, unus alteri subdatur; praeterea, sicut videmus, inter homines malos, debiliores se fortioribus sponte coniungere ut magis noceant; sic inferiores angeli superiorem opem praestolantur, ad suam nequitiam liberius explicandam. Denique, ipsa Dei iustitia postulatur, ut inferiores iis serviant, a quibus superati sunt, iuxta illud (2): *A quo quis superatus est, huius et servus est.* Porro inferiores daemones a superioribus ad peccandum inducti sunt (3).

(1) Sect. CIV. — (2) 2 Petr., II, 19. — (3) Cf. tr. DE ANGELIS, Vol. II, Quaest. CIX. art. 2, p. 78.

SECTIO XCI.

(Mt. XII, 25-30; Mc. III, 23-27; L. XI, 17-23).

Argumentum. — *Confutat Dominus pharisaeorum calumniam, qui blasphemantes dixerant illum in Beelzebub daemonium eiecisse: demonstrans Satanam adversum se divisum esse non posse; tum, inserta parabola de forti armato, concludit eum, qui secum non est, contra se esse.*

Ratio Sectionis. — Dubitandum non est quin tres simul Evangelistae eamdem hic referant confutationem blasphemiae pharisaeorum. Facile enim solvitur quod de S. Luca obiici posset, illum videlicet hanc ponere confutationem occasione curationis alterius daemoniaci, qui solummodo mutus dicitur *. Duos siquidem huiusmodi daemoniacos distinguendos esse, diximus supra ** et quidem ex utraque curatione, ansam pharisaeos arripuisse blasphemandi Christum, qui tamen secunda tantum vice blasphemiae legitur respondisse. Quocirca S. Lucas, recensita historia prioris daemoniaci, necnon primae blasphemiae pharisaeorum, subiungit responsionem Christi ad secundam blasphemiam, quae quidem priori blasphemiae similis erat: praetermittit videlicet ille et huius daemoniaci curationem et secundam pharisaeorum blasphemiam.

(*a*) Mt. XII, 25. — (*b*) Mc. III, 23. — (*c*) Mt. XII, 25. — (*d*) Mc. III, 24. — (*e*) Mt. XII, 25. — (*f*) L. XI, 17. — (*g*) Mc. III, 26.

(*a*) IESUS autem, sciens cogitationes eorum, (*b*) convocatis eis, in parabolis dicebat illi [1]: *Quomodo potest satanas satanam eiicere? (c) Omne regnum divisum contra se, desolabitur, (d) non potest regnum illud stare; (e) et omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit, (f) et domus supra domum cadet* [2]. *(g) Et si satanas consurrexerit in se-*

[1] Respondet Iesus non solum ad verba, sed etiam ad cogitata Iudaeorum, quae scientia sibi divinitus infusa probe cognoscebat. — Quid sit parabola dicetur infra (1).

[2] Regnum, urbs et habitatio, quorum habitatores contra se dimicant, destructioni obnoxia sunt: quandoquidem, sicut concordia parvae res crescunt, sic discordia maximae dilabuntur (2):

* Luc., XI, 14. — ** Sect. LXVIII, Ratio Sect. Vol. I, p. 405.

(1) Sect. XCVI, Quaest. I. — (2) Sallustius.

metipsum. (a) et si satanas satanam eiicit, adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum eius? (b) Dispertitus est, et non poterit stare, sed finem habet; (c) quia dicitis in Beelzebub me eiicere daemonia [3]. *Si autem ego in Beelzebub eiicio daemonia, filii vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt* [4]. *Porro, si in digito Dei, (d) in spiritu Dei, eiicio daemones, igitur (e) profecto pervenit in vos regnum Dei* [5].

(*a*) Mt. XII, 26. — (*b*) Mc. III, 26. — (*c*) L. X, 18-20. — (*d*) Mt. XII, 28. — (*e*) L. XI, 20.

etenim, quae domus tam stabilis, quae tam firma civitas est, quae non odiis atque dissidiis funditus possit everti (1)? — Notandum vero, a S. Luca unum tantum exemplum, scilicet de regno diviso, proponi; apud S. Marcum, duo exempla, de regno et de domo; apud S. Matthaeum, tria, scilicet de regno, domo et civitate: quae tria sunt, in quibus humana potestas explicatur.

[3] Utique, absolute loquendo, satanas satanam potest eiicere, cum superiores daemones inferioribus imperent; at cum daemonis eiectio a Christo facta intime connecteretur cum eiusdemmet doctrina de humilitate et abnegatione sui, quae quidem doctrina e diametro opponitur doctrinae daemonis, hinc stat logica Christi conclusio, scilicet si satanas satanam, in datis scilicet circumstantiis, eiicit, dicendus ille erit revera adversum se esse divisus.

[4] Ex Iudaeis cum Christo tunc loquentibus, nonnulli filios habebant, qui officio fungebantur exorcistarum, qui videlicet per adiurationes speciales, contendebant se daemones expellere posse: porro huiusmodi potestatem expellendi daemones exorcistae virtuti divinae attribuebant, et sic sua professione pervicaciam Iudaeorum, expulsiones a Christo factas daemoni attribuentium, ipsimet condemnabant. Certum est apud Iudaeos fuisse, qui daemones quandoque eiicerent, ut ex Scriptura ipsa potest deduci (2) et testimonio Iosephi Flavii comprobatur (3).

[5] Conclusio necessaria: si ego, in Dei nomine et virtute, diaboli regnum debilito ac vinco, introitum vobis ad regnum caeleste hoc ipso praeparo. — Notandum est hic, Christum se Spiritu Sancto inferiorem, quoad humanitatem, praedicare, cum dicat se illius potestate daemonem eiicere: unde refellitur impietas Arii, dicentis Spiritum Sanctum esse creaturam Filii eiusque ministrum.

(1) Tullius. — (2) Marc., IX, 37; Act., XIX, 13. — (3) Antiquit., VIII, 2, 5. Cf. Comm. n. in ACT. AP., Sect. XCV, Quaest. I.

(*a*) *Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis. et vasa eius diripere, nisi prius alligaverit fortem? et tunc domum illius diripiet* [6]. (*b*) *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quae possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet, in quibus confidebat, et spolia eius distribuet* [7]. *Qui non est mecum, contra me est: et qui non colligit mecum, dispergit* [8].

(*a*) Mt. XII, 29. — (*b*) L. XI, 21-23.

[6] Sub hac figura, docet nos Dominus, se in domum fortis ingressum fuisse, ac eius vasa diripuisse, quod est venisse in mundum, qui domus fortis dicitur, atque a daemonis servitute homines, qui sunt vasa diaboli, liberasse. Hoc autem praestitit in quantum fortem ipsum, seu daemonem, prius pugnando debellaverit atque in vinculis obstrictum alligaverit, ne ultro eisdem, ut antea, noceat.

[7] Prosequitur Christus inchoatam parabolam, ut ostendat se daemoni contrarium, eique minime confoederatum. Dicit ergo quod cum diabolus, qui fortis est, scientia et potentia praecellens, atque armatus vadit multiplici malitia atque astutia, mundum, qui atrium suum est, nemine illum perturbante, custodit, regnum illius in pace compositum est, utique in falsa pace, quae est concordia in malis. Adveniens autem desursum Christus, qui licet diabolo humana natura inferior, superior tamen est gratia et donis Spiritus Sancti, illum in omnibus vicit, in tentatione, in passione ac in morte, eiusque fraudulenta machinamenta detexit, in quibus ille confidebat, ac demum contritos peccatores, qui sunt spolia diaboli, diversis gratiae gradibus assignavit. Ex his omnibus erumpit tacita conclusio, nullum Christo esse cum daemone foedus, in his quae miraculose ille facit. — Sciendum, fortem armatum eumdem esse, quem antiqui *atriensem* nuncupabant, servum scilicet fidum validumque, cui magnarum aedium liminis custodia credebatur. — Huius loci paraphrasim videre est apud S. Paulum ad Colossenses ([6]).

[8] Obvius sensus qui ex contextu eruitur est: quomodo fieri potest, ut ego foedere cum daemone iungar, si eius everto imperium? — Est et alius his verbis sensus: medius status non est inter amicitiam cum Christo et aversionem ab eo; praeterea, aut quis homines ad Deum sancta conversatione reducit, aut illos erroribus suis ac scandalis avertit a fine eorum ultimo.

(1) II, 13-15.

12501

QUAESTIONES.

I. — *Qua ratione vocatur Spiritus Sanctus digitus Dei?*

Resp. Primo, quia sicut per digitum res indicantur, ita per Spiritum Sanctum divina hominibus demonstrantur (1); quemadmodum Filius dicitur manus et brachium Patris, quia Pater per Filium omnia operatur. *Secundo,* ad innuendam partitionem donorum quae fit per Spiritum Sanctum: in nullis enim membris nostris magis apparet partitio, quam in digitis; porro per Spiritum alii datur sermo sapientiae, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum.

II. — *Cur dicuntur mali homines vasa diaboli?*

Resp. Duplici de causa dicuntur mali homines vasa diaboli: primo, quia sicut continens quod aqua repletum est, dicitur vas aquae, ita mali isti homines, qui secundum animam moventur a diabolo et etiam interdum secundum corpus ab eo inficiuntur, dicuntur vasa diaboli; secundo, quia quaecumque instrumenta, ad quodcumque officium deputata, vasa dicuntur: unde vasa diaboli sunt mali homines, dum aliis peccandi occasionem tribuunt.

III. — *Quomodo dicitur alligatus daemon a Christo?*

Resp. Cum daemon ex virtute suae naturae possit multa facere, a quibus tamen virtute Christi prohibetur, hinc dicitur alligatus, in quantum eius nocendi potestas a Domino nostro restricta est: eo modo quo rabidus canis, catena alligatus, eos tantum mordere potest, qui ad illum propius accedunt. Pulcre pius quidam auctor (2): *Venit ergo Christus et alligavit diabolum. Sed dicit aliquis: Si alligatus est, quare adhuc tantum praevalet? Verum est, fratres, multum praevalet, sed tepidis et negligentibus, et Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est enim tanquam innexus canis catenis, et neminem potest mordere, nisi eum qui se ad illum ultro mortifera securitate coniunxerit.*

IV. — *Quomodo componi possunt haec Christi verba* (3): QUI NON EST MECUM, CONTRA ME EST, *cum his aliis* (4): QUI NON EST ADVERSUM VOS, PRO VOBIS EST?

Resp. Priora verba sibivolunt, non posse amicitiae societatem

(1) Io., XVI, 13. — (2) Serm. CXCVII al. XXXVII, de Temp., n. 5, 6, inter Opp. S. Augustin. — (3) Luc., XI, 23. — (4) Marc., IX, 39.

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S. S. CORDIS JESU.

iniri inter Christum et eius adversarium diabolum ; posterioris autem loci sensus est, posse aliquem signa in nomine Christi facere, etsi forte discipulis eius ipse non adiungatur, ut habetur ex contextu : siquidem, cum Apostoli prohibuissent quemdam ab eiiciendo daemonia in nomine Christi, tanquam indignus esset qui id faceret, eo quod illos non sequebatur, mox reprehensi sunt a Iesu, testante neminem, qui faciat virtutem in nomine suo, posse cito male loqui de ipso ([1]).

([1]) Ibid., 38.

SECTIO XCII.

(Mt. XII, 31-37; Mc. III, 28-30).

Argumentum. — *Claudit Dominus praesentem sermonem, edicens peccatum contra Spiritum Sanctum non remitti; item, bonum hominem de bono thesauro proferre bona; demum, de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, debere eos rationem reddere in die iudicii.*

Ratio Sectionis. — Cum Dominus iam confutasset calumniosum dictum pharisaeorum relate ad potestatem qua eiiciebat daemones, modo contra eosdem invehitur, et quidem ex triplici capite: primo, ex gravitate peccati quod est blasphemia in Spiritum Sanctum; secundo, ex mala agentium intentione; tertio, ex futuro iudicio peccatores manente.

(*a*) IDEO (*b*) *amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiae quibus blasphemaverint;* (*c*) *Spiritus autem blasphemia non remittetur* [1]. *Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei* (*d*) *in aeternum,* (*e*) *neque in hoc saeculo, neque in futuro;* (*f*) *sed reus erit aeterni delicti.* Quoniam dice-

(*a*) Mt. XII, 31. — (*b*) Mc. III, 28. — (*c*) Mt. XII, 31-32. — (*d*) Mc. III, 29. — (*e*) Mt. XII, 32. — (*f*) Mc. III, 29-30.

[1] Spiritus blasphemia, ἡ τοῦ Πνεύματος βλασφημία, est blasphemia in, vel contra Spiritum Sanctum, quae scilicet procedit ex certa malitia, et ex impugnatione agnitae veritatis, seu veritatis incontestabilibus argumentis confirmatae: quale quidem peccatum pharisaei commiserunt, cum opera Domini daemonio attribuerint. Hoc autem peccatum irremissibile dicitur, non quod nullatenus remittatur, sed quia raro et difficulter remittitur, non quidem ex defectu misericordiae divinae, sed quia homines de hoc peccato difficilius congruam agunt poenitentiam ([1]).

([1]) Cf. S. Thom., 2 2ae, Quaest. XIV, art. 3.

bant: *Spiritum immundum habet* [2]. — (*a*) *Aut facite arborem bonam, et fructum eius bonum; aut facite arborem malam, et fructum eius malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur* [3]. *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur* [4]. *Bonus homo de bono thesauro profert bona, et malus homo de malo thesauro profert mala* [5]. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent ratio-*

(*a*) Mt. XII, 33-37.

[2] Cum Filio attribuatur sapientia, peccatum contra Filium dicitur quod ex ignorantia procedit; similiter peccatum contra Patrem est quod procedit ex infirmitate, cum Patri attribuatur potentia; Spiritui Sancto autem attribuitur bonitas: unde peccatum contra Spiritum Sanctum est, quod procedit ex certa malitia. Sibivult ergo Christus Dominus, peccatum ex ignorantia vel infirmitate procedens, facilius remitti, quam peccatum ex malitia commissum, quale praecise erat peccatum Iudaeorum sibi calumniantium, cum malitia peior sit et inexcusabilior quam infirmitas vel ignorantia.

[3] Cum operatio arguat formam, hinc ex eo quod Christus Dominus demoniacum liberavit, non debebat iudicari illum id in principe daemoniorum operatum fuisse, sed potius in digito Dei. Porro, cum arbor pro voluntate, quae operum radix est, hic ponatur, consequenter sibivolunt Christi verba, procurandum esse homini, ut bonae sit voluntatis, quatenus ex hac radice opera bona profluant in vitam aeternam ([1]).

[4] Pharisaeos iam Ioannes Baptista progeniem viperarum appellaverat ([2]): quod nomen eisdem nunc Dominus confirmat, eo quod viperinum cor haberent, id est plenum invidiae, superbiae et odii in Christum: qua de causa letiferas in eum calumnias proferebant, cum ex ore dignoscatur cor, et ex loquela mentis affectus. — Haec eadem verba: *Ex abundantia cordis,* etc., supra iam protulerat Dominus ([3]).

[5] Quamdiu homo in malitia permanet, non potest bona loqui recta intentione, cum verba signa sint interioris conceptus: ea enim quae sunt in voce sunt notae earum passionum quae sunt in anima ([4]).

([1]) Cf. Luc., II, 14. Sect. VIII, quaest. III. Vol. I, p. 63. — ([2]) Matth., III, 7. Cf. supra Sect. XVII, n. 2, p. 121. — ([3]) Luc., VI, 45. Sect. LXXIII, n. 7. p. 431. — ([4]) Cf. Luc., VI, 45. Sect. LXXIII, l. c.

nem de eo in die iudicii [6]. *Ex verbis enim tuis iustificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis* [7].

[6] Otiosum verbum non proprie est verbum malum, turpe aut calumniosum, sed est verbum quod nulla audientis utilitate, aut loquentis necessitate profertur. Ex hoc patet severitas divini iudicii. Si enim de omni otioso verbo ratio requiretur a Christo, quale iudicium de verbis detractionis, calumniae aut blasphemiae, erit faciendum ?

[7] Non ob opera sola recipiet homo praemium aut poenam, sed etiam ob verba, sive oris, sive cogitationis: imo unum solum verbum sufficere potest ad hoc quod homo aut praemio aeterno donetur, aut condemnationem sempiternam incurrat, nempe si hinc illud verbum sit perfectae caritatis, illinc vero sit mortaliter peccaminosum ([1]).

QUAESTIONES.

I. — *Cur dicuntur peccata in Spiritum Sanctum irremissibilia? Resp.* Ita dicuntur, non quod a Deo remitti non possint, sed ob quasdam vitiosas radices ex quibus oriuntur, quae contritionem de se impediunt: sicut incurabilis dicitur morbus, in quo occluditur omnis via ad recuperationem sanitatis, sicut esset si quis, puta, nullum amplius cibum, nullamve medicinam posset sumere. — Porro, ad peccati deletionem, primo, operantur spes divinae misericordiae et timor iudiciorum Dei: contra quae ponuntur *desperatio* et *praesumptio*. Ulterius, a peccato homo retrahitur per considerationem veritatis et per auxilium interioris gratiae: contra quae habentur *impugnatio veritatis agnitae* et *invidentia fraternae gratiae*, quod ultimum vitium in hoc consistit, quod homo invidet gratiae Dei crescenti in mundo. Demum, avertitur homo a peccato, considerando, hinc quidem turpitudinem actus peccaminosi, illinc vero brevitatem boni quod quis peccando quaerit: contra quae ponuntur *impoenitentia* et *obstinatio*. Unde rite assignantur sex species peccati in Spiritum Sanctum. — Ubi notandum, impoenitentiam, quae ponitur speciale peccatum contra Spiritum Sanctum, aliam esse ab impoenitentia finali, quae dicit permanentiam in peccato usque ad mortem, quae quidem non est speciale peccatum, sed quaedam peccati circumstantia ([2]).

([1]) Cf. tr. DE NOVISSIMIS, Quaest. IV, art. 9. p. 236. — ([2]) S. Thom., 2 2ae quaest. XIV, art. 2.

II. — *Utrum ex eo quod dicitur, peccatum contra Spiritum Sanctum non esse remittendum in futuro saeculo, concludere liceat iustum esse ut orationes fundantur pro quibusdam in altera vita constitutis?*

Resp. Affirmative: ex his quippe verbis recte concluditur esse aliquas animas, carne exutas, quibus aliquid adhuc supersit solvendum divinae iustitiae: quae scilicet, nondum plene pro admissis peccatis Deo debitum persolverint, ideoque in purgatorio existunt: quas precibus nostris ac bonis operibus iurare possumus, ut a poenis solvantur (1).

III. — *Cum pharisaei verbum perniciosum protulissent, quare Dominus mentionem non facit, nisi de verbo otioso?*

Resp. Arguit Dominus a minori ad maius: nimirum, si de omni otioso verbo oportebit hominem reddere rationem, multo magis de pernicioso.

IV. — *Quid proprie dicitur verbum otiosum?*

Resp. Verbum otiosum, graece ἀργόν, contractum ab ἄεργον, quod est sine opere et arte, proprie est verbum vanum, vacuum ac frivolum, fructu et utilitate carens, cuius proinde malitia, non quidem ex ipsomet verbo, sed ex defectu rectae ordinationis eiusdem, secundum regulam rationis, desumitur. Differt igitur a verbo mendacioso, blasphemo, contumelioso, etc., quod in se suam habet malitiam; necnon a verbo festivo vel honeste iocoso, quod caritatis gratia, ad afflictos sublevandos vel proximum pie exhilarandum promitur: est igitur verbum quod nihil ad finem ultimum humanae vitae confert.

(1) Tr. DE NOVISSIMIS, Quaest. V, art. I, n. 3, p. 252. Cf. Ephes., V, 4; Iac., I, 26; III, 2, seq.

SECTIO XCIII.

(Mt. XII, 38-42; L. XI, 29-32).

Argumentum. — *Scribis et pharisaeis signum a Domino petentibus, respondet Christus, signum eis dandum et quidem signum Ionae prophetae: Ninivitas vero ac reginam austri surrecturos contra eos in iudicio.*

Ratio Sectionis. — Chronologica historiae continuatio ipsomet contextu S. Matthaei patefit, qui postquam retulit Domini nostri responsionem ad calumniam pharisaeorum, statim introducit aliam eorumdem pharisaeorum insidiosam de signo quaestionem. In hac autem narratione, bini Evangelistae, S. Matthaeus et S. Lucas, se mutuo complent. — Modum libet admirari sapientiae plenum, quo Christus Dominus moralia documenta, occasione quaestionis scribarum et pharisaeorum, interserit. — Cavendum hic est ne, uti perperam praestant aliqui interpretes, praesens S. Matthaei locus, in quo de signo Ionae prophetae disseritur, confundatur cum subsequenti simili eiusdem Evangelistae loco *, in quo etiam convenit S. Marcus **: bis enim Dominus idem protulisse dicendus est ***.

(*a*) TUNC responderunt ei quidam de scribis et pharisaeis, dicentes: *Magister, volumus a te signum videre* [1]. (*b*) Turbis autem concurrentibus, (*c*) respondens, (*d*) coepit

(*a*) Mt. XII, 38. — (*b*) L. XI, 29. — (*c*) Mt. XII, 39. — (*d*) L. XI, 29.

[1] Non ex humilitate aut sincero veritatis amore procedebat huiusmodi petitio, sed ex arrogantia, ut arguit verbum *volumus*, necnon ex curiositate ac infidelitate, ut patet ex hoc, *signum videre*. Quale vero signi genus hic illi intenderint, dictum est supra ([1]), scilicet insolitam in corporibus caelestibus immutationem ([2]). — Ceterum dici potest, interrogationem hoc loco positam aliam esse ab interrogatione, quae apud S. Lucam paulo ante legitur ([3]): cum enim praeviae interrogationi responsum non obtinuissent, illam pharisaei iteraverunt. — Demum advertendum est, signum de caelo bis iam datum fuisse in gratiam Christi divinitatis: primum, in stella quae magos ad praesepe perduxit; secundum, in columba et voce in baptismo Christi ([4]).

* Matth., XVI, 1, seq. — ** VIII, 11, 12. — *** Vide infra, Sect. CXXXII, Ratio Sect.

([1]) Sect. XC, n. 8, p. 43. — ([2]) Luc., XI, 16. — ([3]) Loc. prox. cit. — ([4]) Sect. XII et XIX.

dicere: *Generatio haec, generatio nequam est* [2], (*a*) *et adultera* [3]; (*b*) *signum quaerit: et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae* [4]. (*c*) *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus* [5]. (*d*) *Nam sicut fuit Ionas signum Ninivitis, ita erit et Filius hominis generationi isti* [6]. (*e*) *Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam: quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae* [7]. *Et ecce plus quam Ionas hic* [8].

(*a*) Mt. XII, 39. — (*b*) L. XI, 29. — (*c*) Mt. XII, 40. — (*d*) L. XI, 30. — (*e*) Mt. XII, 41.

[2] Plebs ista, signum postulat, non proficiendi desiderio, sed mala intentione.

[3] Adultera dicitur ista generatio quia, Deo derelicto, creaturis finaliter inhaerere nitebatur. Notum est, relationes populi iudaici ad Deum, saepe sub figura relationum coniugalium repraesentari ([1]).

[4] Id est, ipsum signum quod fuit ipse Ionas, quatenus hic propheta in seipso significavit Christum fore semet e mortuis suscitaturum.

[5] Synechdochica locutio: Christus scilicet fuit tum in sepulcro, tum in limbo, per partem: in primo, secundum corpus, in altero, secundum animam. Item, in eo quod dicitur *tribus diebus et tribus noctibus,* intelligendum est, uno integro die et duorum dierum partibus. Denique, signum, de quo agitur, est rememorativum praeteriti, non prognosticum futuri: tale quippe signum, quod non praecedit signatum, sed sequitur. — *In corde terrae,* ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς, idem est ac in terra occlusus, et opponitur ei quod de se ait Ionas ipse, scilicet quod fuit in *corde maris* ([2]).

[6] Ionas signum fuit Ninivitis, praedicando eorum civitatis subversionem, nisi conversi poenitentiam egissent; pariter Christus scribis et pharisaeis damnationem praedixit, nisi verbis suis ipsi credidissent.

[7] Iona in Ninive praedicante, rex et populus poenitentiam egerunt, saccis se induentes, ieiunantes et Deum invocantes ([3]).

[8] Hic, ὧδε, adverbium est, sicut infra: *Ecce plus quam Salomon hic.* Porro Christus plus quam Ionas erat, non solum naturae divinae praestantia et donis gratuitis naturae humanae, sed etiam miraculorum patratione: nullum quippe miraculum, Ionas in Ninive patrasse legitur.

([1]) Cf. Ps., LXXII, 27; Is., LVII, 3; Ezech., XXIII, 27, etc. — ([2]) Ion., II, 4. — ([3]) Cf. Ibid., III, 10.

Regina austri surget in iudicio cum (a) viris generationis huius et condemnabit illos: (b) quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis; et ecce plus quam Salomon hic [9].

(a) L. XI, 31. — (b) Mt. XII, 42.

[9] Regina Saba dicitur regina austri, respectu habito ad Iudaeam. Regina haec, igitur, homines generationis huius condemnabit, non potestate iudiciaria, sed comparatione operis melioris, quippe quae a locis valde dissitis audire venit sapientiam Salomonis: Christus vero Salomonem sapientia longe superabat, et tamen a Iudaeis deridebatur tanquam insipiens ([1]). — Verba, *a finibus terrae,* per hyperbolem dicuntur.

QUAESTIONES.

I. — *In quonam differt narratio S. Lucae a narratione S. Matthaei?*

Resp. Licet uterque utrumque factum, scilicet de Iona et de regina austri introducat, tamen S. Lucas hoc alterum inserit in priori, dum S. Matthaeus nonnisi priori absoluto, de altero verba facit. Ulterius, S. Matthaeus, expresse indicat in quonam signum Ionae consistat, scilicet in eius a ventre piscis eiectione, quod quidem S. Lucas silentio premit, dum in Ionae praedicatione recensenda totus insistit. — Attamen, non recte diceretur huiusmodi praedicatio, aut Ninivitarum conversio, signum a Christo promissum: imprimis enim denunciatio veritatis per se signum non est, sed potius signo indiget; conversio, etiam, sive individui, sive populi, proprie dictum miraculum non est; sed maxime advertendum est, neutrum esse *futurum* illud signum, quod Christus Dominus promittit et unice considerat.

II. — *Quomodo dicere potuit Christus, signum Iudaeis non dandum nisi signum Ionae, cum post horum verborum prolationem, multa alia signa, sive per se, sive per discipulos suos, eis revera dederit?*

Resp. Non negat Christus absolute se ulterius signum daturum; sed significat se hac vice illud signum non daturum, quod illi quaerebant, et hoc quidem propter eorum infidelitatem: plura enim praeclara Christi miracula iam illi perceperant, nunc vero

([1]) Cf. 3 Reg., x, 1, seq.; 2 Paralip., IX, 1, seq.

perverso corde novum postulant signum, et quidem, ut videtur, signum de caelo. Multa quidem iam dederat Christus signa Iudaeis, puta, in mortuorum resurrectione, in caecorum illuminatione, in leprosorum mundatione, in paralyticorum curatione, in daemonum eiectione: at, cum malo animo omnia ista signa illi recepissent, hinc spes non erat fore ut maiorem ex novo signo caelesti utilitatem perciperent. Attamen, simul promittit Christus, se signum signorum aliquando patraturum, illud videlicet quod accidit in ipsa persona Ionae, quatenus hic propheta Christi personam, ex Dei dispositione, gerebat.

III. — *Qua ratione dixit Christus, Filium hominis fuisse in corde terrae, tribus diebus et tribus noctibus?*

Resp. Imprimis notandum est, diem naturalem appellari solere, paraphrastice, diem ac noctem: unde, fuisse Christum in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus, aliud non est, nisi illum ibi triduo mansisse. Triduum vero intelligi potest synecdochice: non quidem sic, ut uno tantum die aut duobus diebus Christus in sepulcro iacuerit, sic enim triduum non esset; sed quia tribus diebus ibi fuit, non integris seu totis, sed uno, scilicet medio, toto; reliquis autem duobus, secundum partem. Dominus quippe mansit in sepulcro inde a vespere sabbati, usque ad mane diei dominicae, toto incluso sabbato. Pulcre S. Leo ([1]): *Ne turbatos discipulorum animos longa moestitudo cruciaret, denunciatam tridui moram tam mira celeritate breviavit, ut dum ad integrum secundum diem pars primi novissima, et pars tertii prima concurrit, et aliquantum temporis spatio decideret et nihil dierum numero deperiret.* — Ceterum, huius dicendi modi exemplum prostat et in libro Esther: dato videlicet omnibus Iudaeis, qui erant in Susan, mandato de ieiunio tribus diebus et tribus noctibus servando ([2]); nihilominus de ipsa Esther legitur, quod *die tertio induta est... regalibus vestimentis*, etc. ([3]). Videlicet, ieiunium hoc triduanum per synecdochen sumebatur, quatenus inchoatum a prandio primae diei, et continuatum tota secunda die, vespere tertiae diei fuerit solutum.

IV. — *Utrum proprias virtutes commemorare liceat?*

Resp. Hoc interdum fieri potest, scilicet ad laudem Dei et aedificationem proximi, ut Christus hic fecisse perhibetur, et ut Sancti aliquando praestitisse leguntur ([4]); at unus homo alteri se praeferre non debet, quod tamen Christo, tanquam infallibili iudici, licuit.

([1]) Serm. I *de Resurrect. Domini*, c. II. — ([2]) IV, 16. — ([3]) V, 1. — ([4]) Cf. I Cor., IV, 16; Phil., III, 17, etc.

V. — *Quo pacto regina austri condemnatura est Iudaeos in die iudicii?*

Resp. Regina austri non ea ratione condemnabit Iudaeos, quasi in magno iudicio cum Domino sit sessura, sed sua agendi ratione: scilicet, cum esset mulier gentilis, opibus et gloria conspicua, atque philosophorum orientalium sapientia referta, tamen non dedignata est venire de longinquo, et cum magno sui incommodo, Salomonem adire, ut eius exciperet consilia, et virtutem ac sapientiam demiraretur: Iudaei vero, Iesum in medio sui habentes, licet tanta repletum sapientia atque tot exornatum virtutibus, superbi despectui habuerunt, imo odio in tantum persecuti sunt, ut illum ad necem crudeliter quaererent. In hoc igitur consistit vis argumenti Christi Domini, quod dum regina austri, indocta, attamen, potentissima, a tam longinqua regione venerit, ut Salomonis, hominis mortalis, qui nullum patraverat miraculum, sapientiam, quae mere humana erat, humilis ac docilis audiret; pharisaei, e contra, non solum doctos, sed legis doctores se profitentes, veniens ad se incarnatum Dei Verbum, multis, iisque insignibus, patratis miraculis doctrinam suam confirmans, superbe respuerunt.

SECTIO XCIV.

(Mt. XII, 43-45; L. XI, 33-36; 24-26).

Argumentum. — *Edocet Dominus Iudaeos, quisnam sit oculus simplex, quisnam oculus nequam; et quomodo hominis iam ad Deum conversi corruptio pessima evadat.*

Ratio Sectionis. — Duorum quae hac Sectione continentur, primum, id est, instructio de oculo simplici, apud solum S. Lucam; alterum vero, scilicet parabola de immundo spiritu ab hominis corde eiecto et illuc postea, septem nequioribus spiritibus stipato, revertente, apud utrumque, videlicet S. Matthaeum et S. Lucam, et quidem iisdem fere verbis, legitur; nisi quod, apud priorem Evangelistam, haec postrema narratio sequitur e vestigio declarationem de signo Ionae prophetae et de regina Saba; apud posteriorem vero, immediate collocatur post confutationem blasphemiae pharisaeorum et parabolam de forti armato *.

(*a*) NEMO *lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum; ut qui ingrediuntur lumen videant* [1]. *Lucerna corporis tui est oculus tuus* [2]. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum te-*

(*a*) L. XI, 33-36.

[1] Cum perpauci Iudaeorum ad Christi praedicationem converterentur, transit Christus ad declarandum se, propter eorum incredulitatem, non debere a praedicando cessare, cum tanta sibi collata fuerit sapientia, quatenus homines ad bonum, docendo et exhortando, pertraheret. Itaque Christi sapientia non debuit ignota manere, nec sub legis veteris modio coarctari, sed super Ecclesiae candelabrum poni, ut domum hanc ingredientes illam possint intueri. — Monitum huiusmodi pluries, diversa licet forma, edixit Dominus (†). — *In abscondito,* εἰς κρυπτήν, *in cryptam.*

[2] Tropologica locutio: sicut in lucerna lux continetur, illam sua claritate perfundens; ita in organo corporali, lux visiva corpus illuminat, illud in suis motibus dirigens. Pariter intentio, quae est oculus animae nostrae, opera nostra dirigit, et si bona sit, sanctificat.

* Vide supra, Sect. XCI.

(†) Matth., v. 15; Marc., IV, 21; Luc., VIII, 16-18.

nebrosum erit [3]. *Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebrae sint* [4]. *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te* [5]. (*a*) *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulabat per loca arida,* (*b*) *inaquosa,* (*c*) *quaerens requiem, et non invenit* [6]. *Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi* [7]. *Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, et ornatam* [8]. *Tunc vadit,*

(*a*) Mt. XII, 43-45. — (*b*) L. XI, 24. — (*c*) Mt. XII, 43.

[3] Si intentio tua caruerit duplicitate et simulatione, tota operum tuorum series virtuosa consistet; si autem prava praecesserit intentio, opus, etsi bonum foris appareat, vitiosum erit ([4]).

[4] Cave ne tua intentio perversa evadat; sed illam ad Dei honorem et gloriam, et ad tuam beatitudinem converte. Huc faciunt alia verba Christi ([2]): *Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem:... omnis enim qui male agit, odit lucem* ([3]).

[5] Si bona intentio omnia opera tua informaverit, nullum habens mortale peccatum admixtum, totum opus tuum erit meritorium et Deo acceptum. Dicimus: *Nullum habens mortale peccatum:* veniale enim peccatum, etsi vera sit offensa Dei atque fervori caritatis damnum inferat, ipsam tamen caritatem, et meritum ex caritatis radice procedens, non tollit. Attamen, cum hoc stat, eo maius et abundantius esse meritum, quo ferventior fuerit caritatis motus.

[6] *Immundus* dicitur spiritus diabolicus, τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα, ob effectus quos in homine producere nititur, dum eum de luxuria turpiter et pertinaciter tentat. — Pro eo quod habet S. Matthaeus, *ambulat per loca arida,* et S. Lucas, *per loca inaquosa,* in graeco utrobique legitur, διέρχεται δι᾽ ἀνύδρων τόπων: quod quidem per metaphoram sibivult, habitationem diabolo non arridere, nisi quae sibi in homine paretur, ob invidiam et nocendi desiderium, quo erga humanum genus tenetur.

[7] Hic manifestatur vehemens desiderium diaboli, eos iterum vexandi, quibus semet nocuerit. — Notandus superbus loquendi modus: *unde exivi,* quasi videlicet sponte, et non coacte ab homine exeat diabolus.

[8] *Vacantem,* σχολάζοντα, id est, *otio deditam; scopis munda-*

([1]) Cf. Matth., VI, 22-23. — ([2]) Io., III, 19-20. — ([3]) Cf. Sect. XXXI, nn. 21, 22, p. 213.

et assumit septem alios spiritus secum nequiores se; (a) et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus [9]. *(b) Sic erit et generationi huic pessimae* [10].

(*a*) L. XI, 26. — (*b*) Mt. XII, 45.

tam, σεσαρωμένον, quod verti potest, *scopis versam* (a *verrere*), et etiam *ira concitatam; ornatam,* κεκοσμημένον. – Notandum, apud S. Lucam, duo tantum ultima epitheta reperiri. — His vocibus sane significatur, non quidem animam illam virtutibus repleri et, vitiis expulsis, in actibus supernaturalium donorum exerceri, sed eam otio et vanitatibus saeculi ita, temporis decursu, deditam, ut facilis sit diabolo in eamdem reditus. Talem nempe animam invenit diabolus, qualem invenire desiderat: scilicet, non bene ab hostium incursibus custoditam, sed otio torpentem; malis scopis subversam, quae virtutes pellunt et vitia relinquunt, quae nempe pulverem non eiiciunt, sed pavimenta dissipant; ornamentis quoque decoratam, quae daemonis ingenio placent.

[9] Per septenarium hunc numerum, magna daemonum multitudo significatur. Non autem omnes isti daemones ideo arcessuntur, quasi necessarii sint ad domum, tam male custoditam, expugnandam: sed ut gravior fiat illius domus ruina.

[10] Duplex in hoc Christi discursu applicatio continetur, et quidem utraque litteralis, etsi ad metaphoram relata: una principalis, altera secundaria. Prior applicatio respicit populum hebraicum, a quo spiritus immundus, id est, diabolus, eiectus est, primo quidem, per hoc quod legem mosaicam suscepit, postea vero, maxime tempore Machabaeorum, qui pro patriis legibus fortiter dimicaverunt. Eiectus vero spiritus malus a populo Dei, ambulavit per loca arida, id est ad gentilitatem divertit; at mox statuit ad iudaicum populum reverti: quem cum virtutibus vacantem invenerit, etsi exterioribus ritibus et caeremoniis gloriaretur, hinc iterum illum aggressus est, aliorum septem peiorum spirituum auxilio fultus, unde populus ille peior factus est quam antea, cum capitalium vitiorum servus factus fuerit. — Secundario sensu, describitur hoc loco status hominis christiani, de cuius corde daemon, per baptismum vel poenitentiam, est expulsus; qui tunc ad loca arida, id est, ad homines peccatores, divertit: at cum haec sit indoles diaboli, ut magis gaudeat de deiectione meliorum a statu suae perfectionis, quam de eorum, qui iam mali sunt, perditione; hinc ad priorem hominem aliorum daemoniorum ope suffultus, revertitur: cum autem hunc repererit non solidis munitum virtutibus, illum facile deiicit, et verificatur illud proverbii: *Corruptio optimi, pessima.*

QUAESTIONES.

I. — *Quomodo dicitur bona intentione totum opus bonum reddi, cum possit etiam opus malum bona fieri intentione, ut cum quis furatur ut pascat pauperem?*

Resp. Bona intentio hic sumitur quae sit totaliter talis, id est, non solum ex parte operis, sed etiam ex parte operantis, seu intentio caritate formata: ad quem requiritur non solum bonitas finis, sed etiam bonitas operis et circumstantiarum: unde oculus simplex, hic, cum bona intentione, includit etiam operis bonitatem.

II. — *Utrum sit tautologia in eo quod dicitur:* SI ERGO CORPUS TUUM TOTUM LUCIDUM FUERIT,... ERIT LUCIDUM TOTUM?

Resp. Negative: secundum enim membrum, sumptum cum verbis subsequentibus: *Et sicut lucerna fulgoris illuminabit te,* est explicativum prioris: nam verba ista in graeco leguntur: ὡς ὅταν ὁ λύχνος τῇ ἀστραπῇ φωτίζῃ σε, *perinde ac si lucerna suo fulgore te illuminet.* Nimirum, in priori membro, conditio statuitur: Si totum corpus fuerit lucidum, etc., ita revera erit lucidum totum, sicut si lucerna illud undequaque illuminaret; nempe, cum omnibus suis facultatibus et operationibus quae inde sequuntur. — Sunt qui, ad difficultatem solvendam, in priori membro legere vellent ὄμμα, *oculus,* non σῶμα, *corpus;* at gratuita est huiusmodi substitutio.

III. — *Utrum mali homines dici possint domus diaboli?*

Resp. Affirmative, non quidem eo iure quo iusti templum sunt Spiritus Sancti, scilicet iure creationis, sanctificationis ac perfecti dominii; sed quia peccando, se quodammodo faciunt daemonis habitaculum, imo eius servos, secundum illud (1): *A quo quis superatus est, eius et servus est.*

IV. — *Quo pacto dicitur diabolus, ab homine eiectus, ambulare per loca arida?*

Resp. Daemonem ab hominis corpore expulsum, in aridum vel inaquosum, id est, desertum locum, interdum relegari, testatur historia Tobiae, in qua Angelus Raphael legitur daemonium apprehendisse atque religasse in deserto superioris Aegypti (2): quo etiam referunt nonnulli quod apud Isaiam legitur (3), de Babylone a Persis vastanda et in desertum redigenda, ubi pilosi et onocentauri,

(1) 2 Pet., II, 19 — (2) Tob., VIII, 3. — (3) XXXIV, 14.

id est daemones in monstrorum forma, habitaturi dicuntur (1). — Ideo autem huiusmodi deserta loca daemonibus tormento esse dicuntur, quod quidem per haec verba: *ambulans et quaerens requiem,* significatur, quia ibi privantur rea illa voluptate, qua plurimum delectantur, homnibus, quorum felicitati iugiter et acre invident, nocendi. — Quod autem legitur (2): *Sub umbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus,* metaphorice est accipiendum. *Loca humentia,* ait S. Thomas, *sunt corda voluptatibus dedita* (3).

V. — *Utrum diabolus, semel ab aliquo homine superatus, illum iterum tentet?*

Resp. Affirmative, sed nonnisi transacto aliquo tempore, ut patet ex hoc quod de ipso Domino legitur (4): *Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo* (Christo), *usque ad tempus.* Revera, si ab exercitio tentandi homines diaboli omnino cessarent, ad nihil aliud amplius ordinarentur, nisi ad poenam quam semper sustinent, et quam in inferno damnatis infligunt: quod ordini divinae sapientiae non competit, quae etiam ex daemonum exercitatione procurat executionem praedestinationis electorum. — Quod autem non statim, post superatam tentationem, diabolus rursum eumdem hominem tentet, evincitur, tum ex Dei erga nostram infirmitatem commiseratione, tum ex ipso diabolo, qui instare formidat, ne frequentius triumphetur (5).

VI. — *Quomodo describit S. Petrus eorum conditionem qui Dei gratiam respuerint?*

Resp. Sequentibus verbis (6): *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus; melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato: contingit enim eis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum; et: Sus lota in volutabro luti* (7).

(1) Cf. Apoc., XVIII, 2. — (2) Iob., XL, 16. — (3) Comment., in c. XII S. Matth., vers. 43. — (4) Luc., IV, 13. — (5) Cf. tr. n DE ANGELIS, Vol. II, Quaest. CXIV, art. 5, p. 217. — (6) 2 Petr., II,20-22. — (7) Cf. Prov., XXVI, 11.

SECTIO XCV.

(Mt. XII, 46-50; Mc. III, 31-35; L. XI, 27-28; VIII, 19-21)

Argumentum. — *Muliere aliqua Matrem Iesu beatam praedicante, ipse vicissim eos declarat beatos, qui verbum Dei audiunt atque custodiunt. Matri vero ac fratribus postulantibus Iesum alloqui, declarat Dominus illos esse matrem suam et fratres suos, qui audiunt et faciunt verbum Dei.*

atio Sectionis. — Mulieris exclamationem S. Lucas, qui solus eam refert, tunc obtinuisse asserit, cum Iesus verba proferret: *Et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus* *. Tempus vero adventus Matris et fratrum Iesu a S. Matthaeo notatur, his verbis **: *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce Mater eius.* Unde deducimus S. Lucam, qui rem hanc antea retulerat, scilicet capite octavo, ordinem chronologicum non servasse; ideoque nos sequi debere ordinem S. Matthaei. Porro dubium nullum est, eamdem historiam ab his duobus Evangelistis narrari, in quo etiam convenit S. Marcus ***.

(*a*) FACTUM est autem, cum haec diceret, extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae te suxisti* [1]. At ille dixit: *Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud* [2]. (*b*) Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius et fra-

(*a*) L. XI, 27-28. — (*b*) Mt. XII, 46.

[1] Notanda hic sunt egregia verba Ven. Bedae Presbyteri ([1]): *Magnae devotionis et fidei haec mulier ostenditur, quae scribis et pharisaeis Dominum tentantibus, simul et blasphemantibus, tanta eius incarnationem, prae omnibus, sinceritate cognoscit, tanta fiducia confitetur, ut et praesentium procerum calumniam, et futurorum confundat haereticorum perfidiam.*

[2] Non negat Iesus beatissimam esse Matrem suam, quod se pepererit et lacte nutriverit; sed eam inde beatiorem implicite praedicat, quod fidem diligentissime coluerit, eiusque dictis humiliter obtemperavérit: simul docens, maioris laudis esse homini quod Christum corde concipiat, quam quod carnali cognatione ei coniungatur. — *Quinimmo*, μενοῦν, vox est biblica,

* Luc., XI, 26. — ** Matth., XII, 46. — *** III, 31-35.
([1]) In Luc., XI, l. IV, c. 49.

tres [3] stabant foris, quaerentes loqui ei; (*a*) et non poterant adire eum prae turba [4]. (*b*) Et foris stantes, miserunt ad eum vocantes eum [5]. Et sedebat circa eum turba [6]. (*c*) Dixit autem ei quidam: *Ecce mater tua et fratres tui foris stant quaerentes te,* (*d*) *volentes te videre* [7]. (*e*) At ipse respondens dicenti sibi, ait: *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei* [8]? (*f*) Et circumspicens eos qui in circuitu eius

(*a*) L. VIII, 19. — (*b*) Mc. III, 31-32. — (*c*) Mt. XII, 47. — (*d*) L. VIII, 20. — (*e*) Mt. XII, 48. — (*f*) Mc. III, 34.

quae sensum habet ἀληθῶς, *veraciter*.

[3] Isti nec Mariae filii erant, ut Helvidius Deiparae virginitati infensus criminabatur, sed nec filii Ioseph, ut nonnulli Patres, ex libris apocryphis confinxerunt: sed fuerunt sobrini vel propinqui Iesu secundum carnem; dicunturque fratres secundum Scripturae morem, appellatione scilicet latissime accepta. Quatuor enim modis in Scripturis fratres dicuntur, scilicet natura, gente, cognatione et affectu: fratres autem Domini dicti sunt, non secundum naturam, quasi ab eadem matre nati, nec solum ob communitatem patriae aut affectus, sed proprie secundum cognationem, quasi consanguinei eius existentes ([1]).

[4] Vidimus supra, Iesum ad domum venisse ([2]), unde adhuc domi versabatur, cum ad eum accesserunt eius Mater et cognati, qui turba praepediti sunt, ne ad Iesum usque accederent.

[5] Cum sacer Textus dicat generaliter, *miserunt,* dicendum est, nuntium hunc non ex solis Christi fratribus, sed etiam ex eius Matre processisse, quae cum nullomodo peccare potuerit, non importune, sed sufficienti ducta ratione, Christum accersivit, probabiliter ut eum induceret ad sanctitatis verba, in gratiam illius propinquorum, proferenda.

[6] Praedicante Iesu Evangelium regni, turba circa eum sedebat, quo pacatius homines reciperent verba vitae quae procedebant de ore eius.

[7] Nullus tam salutaris motus cordis est, quam desiderare videre Christum, totius gratiae, sapientiae et sanctitatis fontem. Beati qui illum corde sincero videre cupiunt.

[8] Male hinc haeretici quidam, ut Marcionitae et Manichaei, collegerunt, veram Christo carnem non fuisse, nullosque eum ex hominibus propinquos habuisse: cum horum verborum sensus sit, ubi de gloria et causa Dei agatur, negligendos esse amicos et

([1]) S. Thom., 3, quaest. XXVIII, art. 3, ad 5[m]; cf. supra, Sect. XXIX, quaest. I, V. I, p. 201, et infra, Sect. CIV. — ([2]) Sect. XC, n. 4, p. 41.

sedebant. (*i*) et extendens manum in discipulos suos, dixit: *Ecce mater mea et fratres mei.* (*k*) *Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt et faciunt* [9]. (*l*) *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est* [10].

(*a*) Mt. XII, 49. — (*b*) L. VIII, 21. — (*c*) Mt. XII, 50.

propinquos, nec carni aut sanguini aures praebendas, quando haec nostris officiis opponuntur.

[9] Pulcrum hic reddit Christus discipulis suis testimonium, cuius rationem ponit, videlicet, praeferre se carnis cognationi, animi dispositionem, qua quis se promptum exhibeat verbum Dei audire, amare, sectari. *Neque tamen iniuriose refutantur parentes,* ait S. Ambrosius ([1]), *sed religiosiores copulae mentium docentur esse, quam corporum.*

[10] Inferunt ex hinc nonnulli, una cum Matre et fratribus Iesu, adfuisse etiam eius sorores, id est, consanguineas, quod valde probabiliter dicitur, cum graece idem nomen sit, sola inflexione diversum, pro fratre et sorore: ἀδελφός, ἀδελφή. — Totus autem hic Christi sermo tandem aliquando evadit eloquentissimum eius sanctissimae Matris elogium, quae inde quidem *beata, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis; sed inde multo beatior, quia eiusdem semper amandi custos manebat aeterna* ([2]). Quapropter Dominus Matrem suam non plus dilexisset, nisi eam perfectiorem invenisset. — Docemur opportune ex hoc loco, ob terrenas avocationes, non facile interrumpendam esse Dei laudem.

QUAESTIONES

I. — *Utrum Beata Virgo meruerit effici Mater Dei?*

Resp. Maria Mater Dei effecta est beneficio quidem Dei prorsus gratuito; at magna fide et invicta caritate meruit excellentiam illam gratiae quae tantam decebat dignitatem, quemadmodum erui potest ex ipsis Domini nostri verbis: *Quinimmo beati,* etc. — Praeclara sunt verba S. Augustini ([3]): *Virginem matrem, non lege carnis peccati, id est, non concupiscentiae carnalis motu concipientem, sed*

([1]) L. VI in Luc., n. 36. — ([2]) Ven. Beda, l. cit. — ([3]) L. II, de peccat. meritis et remis., c. XXIV, n. 38.

pia fide sanctum germen in se fieri promerentem, quam eligeret creavit, de qua crearetur elegit.

II. — *Utrum per eos qui hic dicuntur* MATER CHRISTI ET FRATRES EIUS, *iidem significentur, de quibus S. Marcus antea scripserat, quod exierunt tenere Christum* (1)?

Resp. Licet id aliqui tenuerint, negative tamen potius respondendum esse videtur. Etenim, qui Christum tenere exierunt, vocantur οἱ παρ' αὐτοῦ, quod interpres Vulgatae vertit *sui;* hic autem, Mater et fratres Christi specifice designantur: porro, si Evangelista voluisset indicare de eisdem se tractare, non aliam adhibuisset denuntiationem, maxime cum dicendi formula, οἱ παρ' αὐτοῦ, latam valde significationem secumferat. Deinde, cum ambae designationes longiori parenthesi (2) sint interruptae, sat aperte deducitur, secundam narrationem ad primam minime referri: secus enim debuisset aliqua dicendi formula adhiberi ad ostendendam sermonis continuationem: quod eo vel magis dicitur, quia praedicta parenthesis omnino ab indole contextus aliena perhibetur. — Nec valet dici, in quibusdam codicibus graecis, ubi legitur (3), *et veniunt,* haberi, ἔρχονται οὖν, *veniunt ergo,* quasi narratio incoepta antea continuetur (4): nam in melioribus codicibus, et in editionibus criticis legitur, καὶ ἔρχονται, *et veniunt.*

III. — *Quaenam causa fuit cur Maria aliique Christi propinqui ad eum accesserint?*

Resp. Dicunt aliqui id fuisse ut Iesum, quasi furore actum, tenerent; alii, ut Christum a multitudine avocarent, ne populum converteret; alii, ut Iesum monerent conspirationis phariseorum in illius perniciem coniuratorum. At, etsi huiusmodi hypotheses, quantum pertinet ad fratres Iesu, plus minusve possent admitti, omnino excludi debent, ubi agitur de Beatissima Virgine Maria, cuius sanctitas non sinit ut quidquam suspicemur ab illa de Iesu minus dignum cogitatum fuisse, quae aliunde mundi gloriam minime quaerebat, et quae certe hominum saluti non invidebat. Insuper, ex scientia sibi indita, probe noverat Maria nihil suum Filium latere, unde necesse sibi foret illum de pervicacia pharisaeorum monere. — Dicendum igitur, Mariam Christi propinquos ad illum adduxisse ex sincero eius affectu, et ut ex eius ore illi verba salutis audirent. Dici siquidem potest, cognatos Iesu, qui illum antea, utique, ut diximus, bona intentione, tenere voluerant, nunc

(1) Supra, Sect. xc, n. 5, p. 42. — (2) Marc., III, 22-30. — (3) Marc., III, 31. — (4) Vers. 21.

Mariae verbis ad meliorem redactos sententiam, ab ea ad illum adductos fuisse, eius doctrinam dociliori animo suscepturos.

IV. — *Cur Christus dicens:* QUICUMQUE FECERIT, *etc., non tamen addidit:* ET PATER EST?

Resp. Primo, quia de patre non fuerat ei nuntiatum, sed tantum de Matre et fratribus: ex quo inferunt nonnulli, at certe absque fundamento, sanctum Ioseph iam e vivis excessisse; secundo, ob reverentiam Patris sui caelestis, maxime cum iam in priori parte sententiae dixisset: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est:* unde non conveniebat ut adderet: *ille meus pater est.* Addi potest, quod si patrem nominasset, suspicio oriri potuisset, illum, sicut a matre, ita etiam a patre terrestri, ortum habuisse; unde etiam ob Matris suae honorem tacuit patrem.

V. — *Quid discriminis est in eo quod dicit Christus de faciente voluntatem Patris sui:* ILLE MEUS FRATER ET MATER EST?

Resp. Qui simpliciter voluntatem Patris facit, ille Christi frater est; qui vero insuper alios convertit, Christum in eis generat, iuxta illud S. Pauli (1): *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* E contra, occidit Christum in aliis, qui eos provocat ad malum.

VI. — *Utrum Matri suae ac fratribus quaerentibus sibi loqui, Christus postea morem gesserit?*

Resp. Probabiliter dici potest, Christum revera Matrem suam et fratres, licet prima quidem facie eos neglexisse videatur, postea tamen fuisse allocutum: si enim nemini se quaerenti Christus se subtrahit, multo minus decuit ut cognatis suis secundum carnem verba salutis denegaret.

(1) Gal., IV, 19.

SECTIO XCVI.

(Mt. XIII, 1-9; Mc. IV, 1-9; L. VIII, 4-8).

Argumentum. — *Conscensa Iesus navicula ne a confluentibus turbis opprimeretur, auditores suos per similitudines abunde erudit; et primo quidem eis proponit insignem seminantis parabolam.*

Ratio Sectionis. — Supra vidimus Iesum, post liberationem daemoniaci caeci et muti, domum intrasse *, e qua nunc exit, eodem, ut ex S. Matthaeo deducendum videtur, die, maris littus petens, quo frequentiorem possit multitudinem erudire. Eamdem parabolam tres similiter Evangelistae referunt; nisi quod tempus prolationis parabolae S. Lucas omnino silet; S. Marcus vero illud nonnisi generaliter indicat: *Et iterum coepit docere ad mare.* Optime autem colligatur praesens parabola cum verbis immediate praecedentibus, quibus Dominus beatos praedicaverat, qui audiunt verbum Dei et custodiunt.

(*a*) In illo die exiens Iesus de domo, (*b*) iterum coepit docere ad mare [1]. (*c*) Cum autem turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad eum [2], (*d*) ita ut in naviculam ascendens, (*e*) sederet in mari [3]; et omnis turba circa mare super terram erat (*f*) in littore. (*g*) Et do-

(*a*) Mt. XIII, 1. — (*b*) (Mc. IV, 1. — (*c*) L. VIII, 4. — (*d*) Mt. XIII, 2, — (*e*) Mc. IV, 1. — (*f*) Mt. XIII, 2. — (*g*) Mc. IV, 2.

[1] Ad oram lacus Genezareth iterum proficiscitur Iesus, quo sermonem ad plures dirigere possit. — Notandum, in quibusdam, licet paucis, codicibus, legi: ἓν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, *in diebus autem illis*.

[2] Κατὰ πόλιν, id est *de singulis civitatibus:* properabant igitur turbae ad Christum, motae, ut plurimum, desiderio percipiendi ab eo documenta salutis.

[3] Cum in littore stans Dominus frequenti turba facile potuisset opprimi, piscatoriam conscendit cymbam, e qua, a littore paululum abducta, verba facere exorditur. Facile poterat frequens populus, in aliquo sinuum inibi existentium, quasi in amphitheatro, dispositus, Christi vocem e navi loquentis percipere. — Pulcra omnino hic habetur figura, scilicet navis, e qua loquitur Christus, qua quidem repraesentatur Ecclesia, quae licet a fluctibus huius

* Sect. XC, n. 4, p. 41.

cebat eos in parabolis multa [4], et dicebat illis in doctrina sua, (*a*) per similitudinem [5]: (*b*) *Audite: Ecce* [6] *exiit seminans ad seminandum* (*c*) *semen suum* [7], *et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est;* (*d*) *et venerunt volucres caeli, et comederunt illud* [8]. *Aliud vero cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam; et statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terrae; et quando exortus est sol,*

(*a*) L. VIII, 4. — (*b*) Mc. IV, 3. — (*c*) L. VIII, 5. — (*d*) Mc. IV, 4-6.

mundi agitetur, semper tamen est columna et firmamentum veritatis ([1]); Christus autem, e navi praedicans, omnes ante se auditores habet, ut sic innuatur veritatis doctrinam ab eis tantum percipi, qui ad eum recta mente convertuntur.

[4] Docebat Christus ea auctoritate, qua ex divina sua missione pollebat; *erat enim docens eos, sicut potestatem habens* ([2]). — Plures iam Dominus parabolas proposuerat ([3]); at frequentius, ex hoc tempore, ad parabolas recurrit. Porro, septem in hoc decimo tertio S. Matthaei capite, parabolae proponuntur, quarum duas tantum recenset S. Marcus in capite quarto, scilicet parabolas seminantis et grani sinapis; quibus aliam addit, nempe seminis in terram iacti ([4]); S. Lucas vero, capite octavo, unam tantummodo ex illis recenset, nempe parabolam de seminante, licet serius ([5]) recitet parabolas grani sinapis et fermenti. — Ad parabolam recurrisse et Ioatham et Nathan prophetam, legimus in veteri Testamento ([6]).

[5] *In doctrina sua,* hic significat *quantum ad modum docendi,* scilicet parabolis utens, ad annuntianda spiritualia mysteria, ad quae subtiliter capienda homines illi non erant idonei vel digni, qui tamen postea per Apostolos edoceri possent. — *Per similitudinem,* graece est διὰ παραβολῆς. — *In doctrina sua,* idem est ac *inter docendum.*

[6] Duplici hac praemonitione excitat Christus auditorum attentionem.

[7] Seminator est ipse Christus Dominus, qui ad hoc venit in mundum, ut semen aeternae veritatis in mentibus hominum, per sanctos Apostolos seminaret.

[8] Via omni homini ambulanti patens est: sic cor vanum cuilibet levi cogitationi; et sicut granum secus viam decidens conculcatur et a volucribus comeditur, ita divina monita in corde vano et instabili recepta cito evanescunt. Hic tangitur primus defectus, qui

([1]) 1 Tim., III, 15. — ([2]) Matth., VII, 29. — ([3]) Marc., II, 21, 22; Matth., V, 11-12; XI, 16-17; XII, 43-45. — ([4]) Marc., IV, 26-29. — ([5]) XIII, 18-21. — ([6]) Iudic., X, 7; 2 Reg., XII, 2.

exaestuavit; et eo quod non habebat radicem, exaruit [9]. (*a*) *Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortae spinae* (*b*) *creverunt* (*c*) *et soffocaverunt illud, et fructum non dedit* [10]. *Et aliud cecidit in terram bonam, et dabat fructum ascendentem et crescentem* [11]; *et afferebat unum triginta, unum sexaginta, et unum centum* [12]. (*d*) Haec dicens clamabat (*e*) et dicebat: *Qui habet aures audiendi, audiat* [13].

(*a*) L. VIII, 7. — (*b*) Mt. XIII, 7. — (*c*) Mc. IV, 7-8. — (*d*) L. VIII, 8. — (*e*) Mc. IV, 9.

est defectus memoriae per vanitatem.

[9] Per petram significatur durities superbi ac protervi cordis, in quo verbum Dei pravo affectu arefit et exuritur. — Pro *altitudinem,* graece est βάθος, id est *profunditatem;* pro *exaestuavit,* ἐκαυματίσθη, id est *aestu exustum est.*

[10] Significatur hic impedimentum proveniens ex causis fructum destruentibus, quemadmodum spinae frustraneum reddunt germen et culmum.

[11] Bona est terra quae tribus supradictis vitiis vacat: quae scilicet culta est, non lapidosa, non spinosa; planta nempe, fixae radici innixa, in liberam auram assurgit et fructum fert, usque ad plenam maturitatem crescentem.

[12] Magna haec seminis multiplicatio, etsi non tamen solita, praeter fidem tamen non est, cuius exempla suppetunt praesertim in Aegypto; unde de Isaac legimus ([1]), quod *sevit..... in terra, illa, et invenit in ipso anno centuplum.* — Notandum, apud S. Matthaeum, recenseri fructum ordine inverso, scilicet centesimum, sexagesimum et trigesimum; S. Lucam vero nonnisi fructum centuplum commemorare. — Notandum etiam, iuxta graecum S. Marci textum, hunc erui posse sensum: *alia,* scilicet grana, *ceciderunt in terram bonam, et dabant fructum, ascendentia et crescentia,* id est, cum in perfectum culmum ascendere et crescere potuissent; *et afferebant usque ad triginta,* etc.

[13] Vulgaris videtur fuisse inter Iudaeos haec formula ([2]), et ponitur ut auditores attentiores reddantur; ex quo deducitur, quanto facere debemus doctrinam Christi, ne iis adnumeremur, quos redarguebat Moyses ([3]): *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens et oculos videntes, et aures quae possunt audire usque in praesentem diem.*

([1]) Gen., XXVI, 12. — ([2]) Cf. Deut., XXIX, 14; Apoc., II, 7, 11, etc. — ([3]) Deut. XXIX, 4.

QUAESTIONES.

I. — *Quare doctrina et praedicatio evangelica semini comparatur?*

Resp. Ob analogiam quam habet cum semine. Et primo quidem, sicut semen ordinatur ad messem suo tempore colligendam, ita praedicationis evangelicae finis est vita aeterna in immediata Dei visione obtinenda. Ulterius, sicut messis ex semente non statim colligitur, sed tantummodo post determinatum tempus, et quidem nonnisi mediante caeli influxu et opera agricolae, ita Dei verbum, in hominis corde semel seminatum, multiplici Dei adiutorio, homine ipso cooperante, indiget. Et quidem ex parte Dei, gratia opus est, et praeveniente et adiuvante, qualis opportune figuratur in sole et pluvia; ex parte hominis vero, necesse est ut ille semen verbi Dei recipiat in corde puro et simplici, quatenus malas vitiorum radices ab anima exstirpet et fortiter contra ingruentes passiones resistat: quarum rerum symbolum est diligens agricolae cura, qui terram vertit, spinas et tribulos eradicat, atque damna a vento et procellis illata reparat. Alia comparationis capita vide apud Cornelium a Lapide ([1]).

II. — *Quomodo dici potest verbum Dei cadere in terram bonam, cum hominis cor, antequam Dei gratia praeveniatur, sit maledicto obnoxium?*

Resp. Cum parabolae non per omnia sint extendendae, dicendum est hominis cor utique non fieri terram bonam, nisi per divinam gratiam, quae in illud, sicut pluvia fructifera, cadit: attamen cum possit, ob propriam malitiam, a gratia excidere atque pravum et perversum fieri, ideo semen veritatis revelatae omni fructu interdum vacuatur. Nihil vero obstat quominus cor hominis, etiam antequam gratia informetur, bonum dicatur, ob naturales quibus fors pollet, bonas dispositiones: non quidem simpliciter, sed secundum ordinem divinae praedestinationis.

III. — *Cum S. Matthaeus et S. Marcus inverso ordine fructum recensent, uter ordinem a Christo retentum refert?*

Resp. Nil certi statui valet: probabiliter tamen dici potest Christus ordinem a S. Marco retentum observasse, cum naturale sit ut qui rem, utique bono sensu, exaggerare vult, crescente utatur oratione.

([1]) In Cap. XIII S. Matth., vers. 18.

SECTIO XCVII.

(Mt. XIII, 10-17; Mc. IV, 10-12; L. VIII, 9-10).

Argumentum. — *Interrogantibus Iesum discipulis, cur in parabolis loqueretur, respondet, illis quidem divinitus concessum fuisse nosse mysterium regni caelorum, ceteris autem in parabolis omnia fieri, iuxta Isaiae prophetiam: unde illorum beatos oculos, beatas aures praedicat.*

Ratio Sectionis. — Cum seminantis parabola una ex principalioribus sit inter parabolas evangelicas, mirum non est si Dominus noster, discipulorum petitioni obsecundans, paulisper commoretur, generaliter explicans finem parabolarum. — Notandum, Isaiae textum hic allatum, etsi omnes Synoptici, saltem quoad sensum, referunt, a solo tamen S. Matthaeo, tanquam huius Prophetae expresse recitari, cui pariter tacite alludit S. Paulus in epistola ad Romanos *.

(*a*) ET cum esset singularis [1], (*b*) accedentes (*c*) interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim (*d*) discipuli eius, quae esset haec parabola [2]. (*e*) Et (*f*) dixerunt ei: *Quare in parabolis loqueris eis* [3]? Qui respondens ait: *Quia vobis datum est nosse mysteria regni caelorum*, (*g*) *ceteris autem* (*h*) *qui foris sunt* (*i*) *non est datum;*

(*a*) Mc. IV, 10. — (*b*) Mt. XIII, 10. — (*c*) Mc. IV, 10. — (*d*) L. VIII, 9. — (*e*) Mc. IV, 10. — (*f*) Mt. XIII, 10-11. — (*g*) L. VIII, 10. — (*h*) Mc. IV, 11. — (*i*) Mt. XIII, 11.

[1] *Singularis*, κατὰ μόνας, id est *solitarius*, seu *semotus a turbis*: quod est, cum Iesus aut reversus esset domum, aut solus cum discipulis esset extra urbem, nullo teste extraneo praesente.

[2] Cum timore et reverentia accedunt duodecim discipuli ad Christum, eique dubia sua pandunt, confisi se ab eo veritatis verba audituros. — Advertendum, in graeco S Marci, legi, οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα, *qui circa illum erant, cum duodecim*, ad significandum, praeter Apostolos, fuisse Iesu alios assiduos comites.

[3] His verbis iam praeoccupant discipuli id quod Christus mox edisserturus erat, scilicet, turbis quidem se in parabolis, his vero in aperto loqui.

* XI, 8.

(*a*) *in parabolis omnia fiunt* [4]. (*b*) *Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit; qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo* [5]. *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt; et* (*c*) *ut videntes videant et non videant, et audientes audiant, et non intelligant; ne quando convertantur et dimittantur eis peccata* [6]. *Et* (*d*) *adimpletur in eis prophetia Isaiae, dicentis* [7]: *Auditu audietis*

(*a*) Mc. IV, 11. — (*b*) Mt. XIII, 12-14. — (*c*) Mc. IV, 12-13. — (*d*) Mt. XIII, 14-17.

[4] Notanda hic est oppositio inter discipulos et non discipulos: illi dicuntur οἱ περὶ αὐτόν, quasi *asseclae;* isti vero οἱ ἔξω, scilicet *extranei.* Ita pariter Apostoli ethnicos ac Iudaeos τοὺς ἔξω vocitant (1). Hoc quoque nomine eos nuncupabant philosophi, qui inter auditores suos non computabantur. — Porro differentia inter Christi discipulos et extraneos attendenda formaliter non est in hoc quod Dominus his quidem veritatem sub parabolis vel figuris, illis vero sine huiusmodi parabolis, praesentaverit, cum et discipuli parabolas audierint, et extranei etiam veritatem sine parabolis: sed discrimen est quod discipuli veritatem sub parabolis contentam intellexerint, et intimo veluti sensu penetraverint; extranei vero, ob suam superbiam, absconditam sub figurarum cortice veritatem respuentes, nihil nisi nudum parabolae involucrum perceperint. Quocirca, rite parabola assimiliatur cortici nucleum involventi: porro, e nuce nucleum qui edere vult, frangat nucem necesse est.

[5] Qui modicum possidet, nihil habere censetur: quod si auferatur, omnia tolluntur. Verborum Christi sensus est: Discipulis iam in mysteriis edoctis, maior ob suam fidem addetur notitia mysteriorum, maior gratia: Iudaeis vero, etiam iubar illud, ex maiorum lege perveniens, ob suam duritiam, auferetur. Ex quo pronum est ut inferatur alius horum verborum sensus, verus quidem, sed qui tamen non videtur hoc loco directe intentus a Domino, scilicet, eum qui gratiae correspondet, maiorem ex merito gratiam accepturum; superbum vero et ingratum, etiam minima illa gratia, quam forsan possidet, sua malitia privandum (2).

[6] Rationem hic reddit Christus quare Iudaeis amplior subtracta fuerit divinorum notitia atque gratia, scilicet ob volitam mentis caecitatem, auris surditatem, atque cordis duritiem.

[7] Verba haec Isaiae desu-

(1) 1 Cor., XII, 13; 2 Cor., IV, 16, etc. — (2) Cf. infra, Sect. XCIX, n. 7; cf. etiam Matth., XXV, 29.

et non intelligetis, et videntes videbitis et non videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt: ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos [8]. *Vestri autem beati oculi quia vident: et aures vestrae quia audiunt* [9]. *Amen quippe dico vobis, quia multi prophetae et iusti cupierunt videre quae videtis, et non viderunt; et audire quae auditis, et non audierunt* [10].

muntur ex capite VI ([1]), paulo aliter quam in hebraeo leguntur, a S. Matthaeo recitata. Hic quippe videtur Evangelista Septuaginta interpretes potius secutus fuisse; quod mirum esse non debet, cum huiusmodi versio in Palaestina etiam esset nota: unde, licet S. Matthaeus aramaice scriberet, ipse tamen, aut eius interpres graecus, potuit Septuaginta translationem, pro re nata, adhibere. In hebraeo habetur: *Crassum reddito cor populi huius, et aures eius fac hebetes, et oculos eius claude,* etc.: ubi notandum, haec dici per modum propheticae comminationis. Saepe enim dicuntur prophetae ea facere, quae ipsi futura vaticinantur.

[8] Obcaecationis et obdurationis duplex est causa, scilicet homo et Deus: homo quidem, qui sua pervicacia oculos claudit luci divinae revelationis et in suo sensu pertinaciter inhaeret; Deus vero qui hominem in sua obdurata superbia iuste derelinquit.

[9] Apostoli iustis et sanctis viris veteris Testamenti in eo praestabant, quod cum isti Dei Filium a longe tantum prospexerint, illi, e contra, propriis eum videbant oculis, atque ex ipso beatissimo eius ore verba vitae percipiebant.

[10] Similia Christi verba, alia, ut putamus, occasione, a S. Luca narrata ([2]), inferius recitabuntur ([3]). Advertendum autem, in hoc sensu loqui S. Paulum ([4]): *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas adspicientes et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram* ([5]).

QUAESTIONES.

I. — *Quid per parabolam intelligitur?*

Resp. Parabola, παραβολή, a παραβάλλω, *confero, comparo,* nomine tenus, idem est ac *comparatio,* aut etiam *similitudo;* at

([1]) Vers. 9-10. — ([2]) Luc., x, 23, 24. — ([3]) Sect. CLXXIII. — ([4]) Hebr., XI, 13. — ([5]) Cf. Ps. XXXVIII, 13.

Scripturae usu significat narratiunculam ex humana vita aut naturae regno tractam, ad veritatem aliquam supernaturalem convenientius exponendam et profundius imprimendam. Interdum tamen significat enigmaticum dictum ([1]), interdum vero brevem moralem sententiam, unde habemus parabolas Salomonis ([2]), aliquando etiam prophetica nuntia ([3]), aut etiam dicta brevia ([4]), aut simplices narrationes ([5]). Quocirca differt parabola ab apologo qui inducitur ad aliquam veritatem insinuandam, quae tamen historiae speciem non praeseferat, necnon a fabula, in qua bruta animalia aut etiam res inanimatae loquentes introducuntur. Differt etiam a similitudine vel metaphora simpliciter dicta, quae est alicuius verbi de re propria ad rem non propriam usurpata translatio, necnon ab allegoria, quae est continuata metaphora, et a proverbio, quod est sententiuncula veritatem aliquam paucis verbis fortiter exprimens.

II. — *Quisnam est parabolarum sensus litteralis?*

Resp. Sensus litteralis parabolarum non est figura, sed figuratum, ut monet S. Thomas ([6]); quod sibivult, in parabolis sensum litteralem esse, non sensum proprium, sed metaphoricum; etsi non repugnet aliquam ex parabolis a Christo Domino propositis veram continere historiam, ut est, verbi gratia, parabola de filio prodigo, aut de Samaritano.

III. — *Quomodo proponuntur parabolae?*

Resp. Parabolae aliquando proponuntur absolute, sub forma narrationis historicae, ut puta parabola boni Samaritani ([7]), aliquando sub forma similitudinis, sicut cum Dominus ait regnum caelorum simile esse homini qui seminavit bonum semen in agro suo ([8]). Desumuntur autem parabolae interdum ex occurrentibus in vita civili aut domestica, ut parabola de vidua oppressa ([9]), et alia de filio prodigo ([10]); interdum vero ex agricultura, ut parabola seminantis ([11]), vel grani sinapis ([12]); interdum ex piscatione ([13]); interdum ex negotiatione ([14]).

IV. — *Quot recitatae fuerunt a Domino nostro parabolae?*

Resp. Innumerabiles prorsus fuerunt a Domino nostro recitatae parabolae, ut ex ipso sacro Textu clare eruitur ([15]), quae

([1]) Ps. XLVIII, 5; LXVIII, 12. — ([2]) Eccle., XLVII, 17; Prov., I, 1. — ([3]) Ps. LXXVII, 2. — ([4]) Luc., IV, 23. — ([5]) Marc., XIII, 28. — ([6]) Sum. Theol., I, quaest. 1, art. 10, ad 3[m]. — ([7]) Luc., X, 30-37. — ([8]) Matth., XIII, 24-30. — ([9]) Luc., XVIII, 2 8. — ([10]) Luc., XV. 11-32. — ([11]) Hoc loco. — ([12]) Matth., XIII, 31-32. — ([13]) Matth., XIII, 47-50. — ([14]) Luc., XIX, 12-27; Matth., XXV, 14-30. — ([15]) Matth., XIII, 34; Marc., IV, 33.

tamen omnes in sacro Textu consignatae non sunt: nam in Evangeliis quadraginta tantum circiter recensentur, inclusis similitudinibus parabolicis; quarum maior pars penes S. Lucam deprehenditur. At praeter has, multas alias Dominus recitavit; unde nil mirum si, priscis Ecclesiae saeculis, plura penes fideles circumferentur, tanquam a Domino aliquando prolata, parabolica dicta, quae tamen ad canonicam Scripturam minime pertinent (1).

V. — *Quisnam est scopus evangelicarum parabolarum?*

Resp. Parabolae evangelicae eo semper tendunt, ut in aliqua veritate ordinis supernaturalis homines edoceantur, quae scilicet vel ad morum instructionem pertineat, vel ad divina attributa manifestanda aut ad sortes populi hebraici, necnon conditae Christi Ecclesiae declarandas, aut ad Apostolorum et populi Christiani eruditionem ordinetur. In quo quidem ob oculos habenda est condemnatio quam Pius X tulit in sequentem modernistarum positionem (2): *Parabolas evangelicas ipsimet Evangelistae ac christiani secundae et tertiae generationis artificiose digesserunt, atque ita rationem dederunt exigui fructus praedicationis Christi apud Iudaeos.*

VI. — *Quare turbis Christus in parabolis locutus est?*

Resp. Primo, ut morem gereret hominum ingenio, qui magis excitantur ad inveniendam veritatem, quando sub figurarum atque imaginum similitudinibus praesentatur. Hic quippe dicendi modus per aenigmata, comparationes et exempla, utilis valde est ad exercitationem quaerentis et delectationem audientis (3); animum enim iucunde movet ad arcana mysteriorum perscrutanda et veritas sic concepta specialiter gustatur, unde et praedictum legimus (4): *Aperiam in parabolis os meum.* Praeterea, hoc utilitatis habuerunt parabolae a Domino nostro prolatae, ut inimicorum eius invidia, quae nimis aperta locutione facile excitari potuisset, efficacius cohiberetur. Demum, hoc medio Dominus noster hominibus doctrinae suae infensis aliquam, si fieri posset, excusationem praebere voluit. — At diversus est pro bonis et malis ex parabolis exitus: illi quidem ob fidei simplicitatem et cordis rectitudinem, ex rudi cortice merentur ingredi usque ad medullam supernaturalium veritatum; hi vero, ob suam duritiem et superbiam, non valentes usque ad intima parabolarum ingredi, illas contemnunt, nec ullum inde fructum percipiunt.

(1) Cf. Λογία Ἰησοῦ, Sayings of Our Lord, from an early greek papyrus, discovered and edited by Bernard P. Grenfell, M. A. and Arthur S. Hunt, M. A., London, 1897. — (2) Est 13ª in Decr. *Lamentabili sane exitu*, 3 Iul., 1907. — (3) S. August., l. XII contra Faust., c. 7. — (4) Ps. LXXVII, 2; Matth., XIII, 35.

VII. — *Utrum omnia, quae in parabola continentur, sint ad veritatem, quae sic vult imprimi, applicanda?*

Resp. Normam hac in re sapientissimam praebet S. Ioannes Chrysostomus (1): *Parabola narratur, nec oportet in parabolis omnia ad litteram explorare: sed, cum scopum parabolae didicimus, hunc decerpere, nec cetera curiosius explorare.* Quocirca, in omni parabola sedulo distinguenda sunt finis ipse parabolae, et accessoria: et ille quidem ad essentiam parabolae, haec autem ad ornamentum eiusdem ita pertinent, ut, si qua inveniantur dicta ex quibus falsus posset ingeri de veritate supernaturali sensus, haec minime extendi aut applicari debeant, sed sint relinquenda.

VIII. — *Utrum aliquid Christus in occulto docuerit?*

Resp. Nihil Christus in occulto docuit, quasi veritatem ex invidia subtrahere cuperet, sed nec etiam aliquid abscondere debuit, sicut philosophi pagani, in quorum doctrina plura turpia continebantur. Attamen, non omnia quae cognoscebat, debuit Christus docendo tradere, cum doctrina eius in infinitum excederet capacitatem hominum; ea etiam quae docuit, non omnibus promiscue tradidit; sed primum quidem Apostolos mysteria regni Dei docuit, quibus datum erat ea cognoscere (2); quae quidem postea ad fideles usque derivari potuerunt (3).

IX. — *Utrum aequaliter omnibus mysteria regni caelorum manifestentur?*

Resp. Negative, ut patet ex loco hic recitato: *Vobis datum est nosse mysteria regni caelorum, caeteris autem in parabolis.* Nam ea quidem primo Christus manifestari voluit discipulis suis; tum per eos Iudaeis, qui Deo propinquiores erant per fidem et verum cultum; postea, per Iudaeos transmissa est haec notitia ad gentes, ut debitus ordo servaretur. At cavendum est ne dicatur mysteriorum cognitionem reservari solis praedestinatis, cum hic videamus ipsum Iudam non fuisse exclusum a speciali Christi institutione.

(1) Homil. LXIV in Matth., c. XIX, t. VII, p. 92. — (2) Matth., IV, 11. — (3) Cf. S. Thom., 3, Quaest. XLII, art. 3.

SECTIO XCVIII.

(Mt. XIII, 18-23; Mc. IV, 13-20; L. VIII, 11-15).

Argumentum. — *Seminantis parabolam benigne exponit Dominus, dilucide declarans quodnam sit triplex illud impedimenti genus, quo frustratur perfecta verbi Dei in cordibus hominum germinatio.*

Ratio Sectionis. — Recitatam modo seminantis parabolam Dominus ipse amplioribus verbis explicat, prout concorditer referunt Synoptici: quod quidem de paucis admodum parabolis factum videmus: hoc autem ideo praestitum existimamus, non quod praesens parabola magis quam aliae, expositione indigeat; sed ut nos doceat Dominus quomodo debeat unusquisque nostrum conari, ex allegoriis vel similitudinibus ab eodem adductis, medullam eruere veritatis.

(*a*) Et ait illis: *Nescitis parabolam hanc? Et quomodo omnes parabolas cognoscetis?* (*b*) *Vos ergo audite parabolam seminantis* [1]. (*c*) *Semen est verbum Dei* [2]. (*d*) *Qui seminat, verbum seminat* [3]. (*e*) *Omnis qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et rapit quod seminatum*

(*a*) Mc. IV, 13. — (*b*) Mt. XIII, 18. — (*c*) L. VIII, 11. — (*d*) Mc. IV, 14. — (*e*) Mt. XIII, 19.

[1] Vult hic Dominus noster ut Apostoli probe intelligentes quanto melior foret propria conditio prae conditione Sanctorum veteris Testamenti, uti constat ex verbis ultimo loco prolatis, intus excitentur ad percipiendam modo prolatae parabolae explicationem. Praemittit autem admirationis verba, ex eo ducta quod illi, in sua iam schola edocti, tamen tam facilem parabolam de se intelligere non valerent.

[2] Sicut semen ex manu serentis, huc illuc proiicitur, ita Dei verbum ex ore praedicantis spargitur in mundo; praeterea, verbum Dei in hominis corde pullulat et increscit, quemadmodum *ultro terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica* (1). — Notandum vero, propositionem hanc: *Semen est verbum Dei*, reddi non debere: *Semen significat verbum Dei*, sed: *Id quod per semen significatur, est verbum Dei.*

[3] Seminator, κατ' ἐξοχήν, alius non est, nisi Dominus noster

(1) Marc., IV, 28.

est in corde eius, hic est qui secus viam seminatus est [4]. (*a*) *Hi autem sunt, qui circa viam ubi seminatur verbum; et cum audierint, confestim venit Satanas, et aufert verbum quod seminatum est in cordibus eorum,* (*b*) *ne credentes salvi fiant* [5]. (*c*) *Et hi sunt similiter, qui super petrosa seminantur; qui cum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud: et non habent radicem in se, sed temporales sunt* [6]; *deinde orta tribulatione et persecutione propter verbum, confestim scandalizantur* [7], (*d*) *ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt* [8]. (*e*) *Et alii sunt, qui in spinis seminantur: hi sunt qui verbum audiunt; et aerumnae* (*f*) *et sollicitudo saeculi istius, et fallacia* (*g*) *et deceptio divitiarum, et circa reliqua*

(*a*) Mc. IV, 15. — (*b*) L. VIII, 12. — (*c*) Mc. IV, 16. — (*d*) L. VIII, 13. — (*e*) Mc. IV, 18-19. — (*f*) Mt. XIII, 22. — (*g*) Mc. IV, 19.

Iesus Christus, qui factus est homo, ut nos viam salutis edoceret. Seminatores vero secundarii et per participationem sunt Apostoli eorumque successores, necnon veteris Testamenti prophetae.

[4] Primum hic tangitur obstaculum quod impedit quominus verbum Dei fructificet in anima, nempe levitas animi, qua fit ut quis ad verba vitae non attendat. — *Malus*, ὁ πονηρός, scilicet diabolus, qui totus ad malum versus est.

[5] Diabolus modo pravas aut vanas cogitationes et affectiones in hominis corde excitat, modo perniciosos suscitat socios, qui id omne evertant, quod sacrarum rerum lectio vel auditio in animis feliciter inchoarat.

[6] *Temporales*, πρόσκαιροι, *temporarii*, id est exiguo tempore perdurantes (1). Isti videlicet firmo virtutum fundamento carent, ideoque radix eorum facile exsiccatur (2).

[7] Christi verba atque praecepta aut stultitiae eis sunt, aut scandalo. Ita S. Paulus (3): *Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.*

[8] Mox ac isti a mundo impugnantur, mente avertuntur a Deo, et victi consentiunt falsitati. Huiusmodi homines, corde instabiles, inter virtuosos quidem compunguntur; inter vitiosos vero mox subvertuntur. — *Recedunt* ἀφίστανται, *fiunt a longe*: sic illi, quibus Dominus promiserat se daturum Eucharistiam, *abierunt retro et iam non cum illo ambulabant* (4).

(1) 2 Cor., IV, 18. — (2) Osee, IX, 16. — (3) 1 Cor., I, 23. — (4) Io, VI, 67.

concupiscentiae introeuntes suffocant verbum, et sine fructu efficitur [9]: (*a*) *voluptatibus vitae euntes suffocantur, et non referunt fructum.* (*b*) *Quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono et optimo audientes, verbum retinent, et fructum afferunt in patientia* [10], (*c*) *unum triginta, unum sexaginta, et unum centum* [11].

(*a*) L. VIII, 14. — (*b*) L. VIII, 15. — (*c*) Mc. IV, 20.

[9] Spinae verbum suffocantes illudque fructu vacuum reddentes ordinatim a Christo recensentur: scilicet, aerumnae, αἱ μέριμναι, id est curae huius saeculi, sollicitudines vitae; fallacia et deceptio divitiarum, id est superfluae divitiae, quae videntur hominem felicem reddere, revera autem poenales generant affectiones; concupiscentiae introeuntes, quae a S. Luca vocantur voluptates vitae, quibus nempe divitiae istae ostium aperiunt. Haec igitur omnia vitam gratiae opprimunt ac ruinam animae parant, infructuosum reddentes verbum Dei. — Supradicta impedimenta ita ordinatim recenset Angelicus Doctor ([1]): *Requiritur* (primo quod semen) *memoria conservetur;* (secundo) *quod radicetur per amorem; tertio, requiritur sollicitudo... Haec tria per tria tolluntur: memoria, per vanitatem; amor sive caritas, per duritiam: sollicitudo, per germinationem vitiorum.* — In spinis εἰς τὰς ἀνάνθας, *in spinas.*

[10] Cor bonum dici potest per respectum ad dona naturae, quae hominem aptant ad opera vitae supernaturalis, optimum vero cor habent, qui semen divinae gratiae sibi insitum caute retinent. Huiusmodi ergo homines fructum afferunt *in patientia,* qua immoderata tristitia, ex vitae praesentis adversitatibus orta, refraenatur, et sine qua nemo potest proficere, pacem mentis habere et Deo placere; quandoquidem quanto se homo virilius ad virtutes accinxerit, tanto molestius se a diabolo impugnari deprehendet.

[11] Sicut semina eodem solo, etsi optimo, non eodem tamen modo, multiplicari contingit, ita verbum Dei in animis hominum exceptum non eodem semper fructu germinat: variae enim sunt praestantiae gradus, variae agricolae industriae. Fructus hic intelligitur praemium vitae aeternae; nam petrosi et spinosi illius meritum ad tempus quidem habent, quos tamen Dominus negat fructum referre. — Notandum, idem hic discriminis haberi inter S. Matthaeum et S. Marcum, quod supra observatum est ([2]): scilicet, ab illo quidem decrescente ratione, ab hoc vero succrescente, fructus designatur.

([1]) Comm. in h. l. S. Matth. — ([2]) Sect. XCVI, n. 12, p. 72. Cf. quaest. III, p. 73.

QUAESTIONES.

I. — *Quomodo potest quis scandalum pati propter Evangelii verbum ?*

Resp. Hoc fieri potest, non per se, sed per accidens. Nimirum, aliquis homo est per se alteri homini occasio scandali, quando admonitione vel exemplo illum ad culpam inducere nititur ; vel, etsi hoc ipse non intendat, ponit tamen opus quod ex sua natura alium ad malum possit inducere, vel quia malum est, vel quia speciem mali habet ; per accidens vero, aliquis est alteri occasio scandali, quando ex dicto vel facto illius hominis, ille scandalizatur praeter intentionem agentis, et praeter conditionem illius operis : ut quando opus in se bonum est, sed alter ex sua malitia inde ad peccandum inducitur. Igitur, licet verbum Evangelii sit in seipso sanctissimum, aliquibus tamen esse potest scandali occasio, in quantum isti tribulationi et persecutioni propter huiusmodi verbum expositi, ex sua infirmitate vel malitia occasionem accipiunt contra Deum murmurandi aut a fide discedendi (1).

II. — *Quid per fructum centesimum, sexagesimum ac trigesimum significatur ?*

Resp. Generaliter significari potest diversus fructificationis gradus verbi Dei, in animis hominum, secundum diversas eorum in illo suscipiendo dispositiones — Specialiter vero S. Augustinus centesimum fructum tribuit martyribus, sexagesimum virginibus, trigesimum nuptis (2). S. Hieronymus vero centesimum tribuit iis qui perfectam continentiam profitentur, sexagesimum viduis, trigesimum iis qui pudici coniugii legibus sancte obtemperant (3). Demum alii, cum S. Gregorio Nazianzeno (4), centesimum assignant perfectis, sexagesimum proficientibus et trigesimum incipientibus.

III. — *Utrum ex praesenti parabola, liceat colligere parvum esse electorum numerum ?*

Resp. Negative : non enim huc tendit parabolae scopus, sed tantum ut ostendatur, quibus ex causis eveniat, quod semen verbi Dei in multorum cordibus minime fructificet ; maxime cum omnis seminans, ut plurimum, semen in bonam terram iaciat, et praeter

(1) Cf. S. Thom., 2 2ae, quaest. XLIII, art. 1, ad 4m. — (2) L. 1, Quaest. in Evang., cap. IX. — (3) In h. l., et l. 1 contra Iovin. — (4) Orat. XXVIII.

eius intentionem sit quod aliqua grana aut circa viam aut in solo petroso vel spinis obsito cadat. Quocirca, quod dicitur de parte prima, secunda, etc., ex ipsius parabolae nativa indole, non ita accipiendum est, quasi hae partes aequales sint, ita ut quarta tantum pars totius seminis massae ad effectum perducatur; sicut nec ex adverso, cum in semine iaciendo, pauca tantum grana generaliter frustrentur, non est inde deducendum, plures longe esse electos prae reprobis.

IV. — *Utrum tria hic exposita obstacula, quibus praepeditur evangelici verbi fructificatio, reduci possint ad diabolum, mundum et carnem?*

Resp. Affirmative: nimirum, primus hostis noster est diabolus, qui id quod praedicatione a nobis auditum est, inconsideratione, levitate animi, aut oblivione abolere studet: quo fit ut fides catholica, sicut granum in via iacens, conteratur et evanescat: unde proprie diabolus est adversarius fidei. Alter hostis est mundus, qui persecutionibus et calumniis conatur scandalum procreare, unde diminuatur fervor caritatis, et homo tandem a gratia deiiciatur. Tertius demum est caro, quae desiderio voluptatum, et appetentia divitiarum et honorum, hominem in coenum vitiorum praecipitem ruit. Itaque, quanto fortius hostes istos homo devicerit, tanto maiorem fructum spiritualem in vitam aeternam percipiet.

SECTIO XCIX.

(Mc. IV, 21-29; L. VIII, 16-18).

Argumentum. — *Docet iterum Dominus, lucernam sub modio non esse tenendam, itemque dandum esse illi qui habet: tum parabolam instituit de semine ultronee fructificante.*

Ratio Sectionis. — Similitudinem de lucerna sub modio non tenenda iam recitavit Christus in sermone in Monte, qualis legitur apud S. Matthaeum *, qui hic illam praetermittit, dum eam concorditer referunt S. Marcus et S. Lucas: non inutiliter autem eamdem parabolam hoc loco repetendam duxit Dominus, ut intelligerent Apostoli, ad quos speciaLiter hic sermo dirigebatur, se lucem veritatis, quam eis impertiebat, non debere intra se concludere, sed in mundo diffundere. Parabolam autem de semine ultronee fructificante solus S. Marcus immediate post praedicta, refert; nec ratio est dubitandi quin ab eo ordo chronologicus observetur.

(*a*) ET dicebat illis: *Numquid venit lucerna, ut sub modio ponatur, aut sub lecto* [1]*? nonne ut super candelabrum ponatur* (*b*)*, ut intrantes videant lumen* [2]*? Non est enim occultum quod non manifestetur; nec absconditum quod non cognoscatur;* (*c*) *nec factum est occultum, sed ut in palam veniat* [3]*. Si quis habet aures audiendi, audiat* [4]. Et dice-

(*a*) Mc. IV, 21. — (*b*) L. VIII, 16-17. — (*c*) Mc. IV, 22-24.

[1] Licet sermo praesens, iuxta S. Lucam, praecedenti sermoni ad solos discipulos directo coniungatur, tamen penes S. Marcum indiscriminatim ad omnes ordinatus exhibetur. — In S. Luca, pro *modio*, habetur σκεύει, *vase*. — De lectis hic agitur, quales a Romanis adhibebantur, scilicet a terra elevatis. — *Venit*, ἔρχεται, hic ponitur pro *affertur*.

[2] Cum obscura ratione apud turbas utor, non mei est consilii, ut veritas illos lateat: ad vos spectat veritatem, parabolarum ambagibus exutam, eis ad salutem expendere. Hoc sensu iam dixerat Christus ([1]): *Luceat lux vestra coram hominibus.*

[3] Sensus obvius et contextui cohaerens est: quae nunc in parabolis edissero, aliquando manifesta fient, cum mea non sit voluntas, ut quae vos doceo, latentia remaneant ([2]). Alius sensus est: omne vitae huius secretum in die iudicii evulgabitur.

[4] Attentiores iterum vult Do-

* Sect. XLVI. Vol. I, p. 289.

([1]) Matth., V, 16. — ([2]) Cf. Matth., X, 27.

bat illis: (*a*) *Videte ergo* (*b*) *quid*, (*c*) *quomodo audiatis* [5]. (*d*) *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, et adicietur vobis* [6]. (*e*) *Qui enim habet, dabitur illi; et quicumque non habet, etiam* (*f*) *quod habet*, (*g*) *quod putat se habere, auferetur ab illo* [7]. (*h*) Et dicebat: *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, et dormiat, et exurgat nocte et die* [8]: *et semen germinet et increscat, dum nescit ille* [9]. *Ultro enim terra fructificat, primum herbam.*

(*a*) L. VIII, 18. — (*b*) Mc. IV, 24. — (*c*) L. VIII, 18. — (*d*) Mc. IV, 24. — (*e*) L. VIII, 18. — (*f*) Mc. IV, 25. — (*g*) L. VIII, 18. — (*h*) Mc. IV, 26-29.

minus discipulos reddi, ad verba sua sedulo percipienda.

[5] Perpendite quasnam veritates, et qua ratione has ego vobis dixerim, ut easdem vos vicissim proferatis.

[6] Videte, ut quas veritates a me didicistis, magna diligentia retineatis atque excolatis: quo enim alacriores fueritis in acquirenda cognitione rerum divinarum, eo maiori a Deo earumdem intelligentia, ad vestram atque aliorum utilitatem, donabimini.

[7] Quanto quis doctrinam revelatam diligentius custodierit et excoluerit, atque in ea crescere studuerit, tanto abundantiori luce divinitus cumulabitur; qui vero hanc superbus aut deses neglexerit, cito lumen quod habet, amittet. Sic etiam videmus divitem opes suas levi negotio adaugere; pauperes vero, quod habent, vel putant se habere, facile amittunt. Hoc per modum proverbii dictum est (1).

[8] Ad idem refertur haec parabola, quae apud solum S. Marcum legitur, sicut praecedens: nempe, ut ostendat Dominus mirabilem propagationem veritatis evangelicae in cordibus hominum, in ordine ad salutem aeternam. — Ultima verba, *et dormiat,* etc., non pertinent ad partem principalem vel ad scopum parabolae, sed tantummodo ad ornatum vel complementum orationis. — *Nocte et die* divisim sumenda sunt: ita ut illud ad *dormiat,* hoc vero ad *exurgat* referatur. In graeco legitur νύκτα καὶ ἡμέραν, *per diem et per noctem.*

[9] Quemadmodum homo agricola mittit semen in terra, sic Christus per se et per suos ministros transfundit verbum Dei in mentes humanas; et sicut homo ille dormit et debitis horis surgit ac visitat agrum suum, sic Christus ad tempus per modum dormientis se habet, homines propriae relinquens voluntati, licet non cesset occulte visitare suam Ecclesiam (2).

(1) Cf. Sect. XCVII, n. 13. — (2) Dion. Cartus., in h. l. S. Marci.

deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica [10]. *Et cum produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis* [11].

[10] Sicut semen proiectum in terram, ordinato quodam processu venit ad frumentum, sic verbum Dei in corde seminatum successive pertingit ad opus perfectum ([1]). — Potest etiam hoc referri ad praedicationem Evangelii, quae sensim sine sensu dilatata est per mundum, usquedum universum orbem occuparet. — *Ultro,* αὐτομάτη ἡ γῆ, *terra motu proprio acta, seu sponte sua.* — *Plenum frumentum in spica,* inversio est emphatica, pro *spica plena frumento.* — Mystice potest per *herbam* intelligi opus incipientium, qui moventur timore servili; per *spicam,* opus proficientium, qui aguntur spe vitae futurae; per *plenum* frumentum, opus perfectorum, quos informat et ad agendum movet fervor caritatis.

[11] Adimpleta iam mensura meritorum per patientiam comparatorum, Christus electum per mortem abscindit, atque ponit in area regni caelestis. — Pro, *cum produxerit fructus,* graece legitur: ὅταν δὲ παραδῶ ὁ καρπός, quod reddi potest, *cum prodiderit sese fructus.*

QUAESTIONES.

I. — *Quid per lucernam hic intelligitur?*

Resp. Primo, intelligitur Christus Dominus, qui est lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum ([2]): secundo, evangelica doctrina et iussio, secundum illud ([3]): *Mandatum lucerna est, et lex, lux;* tertio, Apostoli a Christo illustrati, quibus regni caelestis mysterium patefecit; quarto, evangelici praedicatores, qui quidem duplici possunt impedimento praepediri, ne luceant in Ecclesia, scilicet timore carnali et delectatione quietis terrenae: quorum prius per modium, aut ut habetur in S. Luca, per vas; alterum autem per lectum significatur. Quemadmodum igitur candelabrum in altum erigitur et in ipso lumen levatur; sic qui in Ecclesiis praeficiuntur, debent esse sublimes per vitam virtuosam, intusque lucidi per fidem, rectam intentionem ac sapientiam, et foris lucentes atque calefacientes per doctrinam et exemplarem conversationem ([4]).

([1]) Dion. Cartus., in h. l. S. Marci. — ([2]) Io., I, 9. — ([3]) Prov., VI, 23. — ([4]) Dion. Cartus., in c. VIII Luc, v. 16.

II. — *Ad quidnam refertur id quod hic ait Dominus*: In qua mensura mensi fueritis, *etc.?*

Resp. Referri hoc proverbium debet ad studium atque diligentiam in audienda atque addiscenda, necnon aliis tradenda sacra doctrina, a Christo Domino annuntiata et propagata. Licet enim verba haec, in sua generalitate accepta, ad alia plura possint applicari, puta ad exercitium muneris apostolici, aut fraternae caritatis, necnon ad acquisitionem gratiae et virtutum ([1]); tamen, cum verba haec hic ponantur tanquam conclusio parabolae seminantis, eisque praemittat Christus solemne monitum: *Si quis habet aures audiendi, audiat,* et: *Videte quid, quomodo audiatis,* hinc dicendum est proprie hoc loco intendi studium ac fervorem doctrinam revelatam addiscendi et dispensandi. Confirmari videtur hic sensus eo quod in quibusdam graecis codicibus legitur: *Adiicietur vobis qui auditis,* ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν.

III. — *Quo sensu dicitur terra ultro fructificare?*

Resp. Non hoc sensu dicitur, quod hominis cor fructum possit ferre vitae aeternae sine operatione gratiae Dei; sed quia, dormiente homine qui praedicando semen verbi proiecit in terram, pergit semen verbi in corde germinans: terra enim cordis nostri ita gratiae adiutorio secreto influxu foecundatur, ut non sit opus hominem plantantem et rigantem continuo adesse; at necessaria semper est Dei motio et adsistentia, iuxta illud ([2]): *Qui autem administrat semen seminanti,... multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum iustitiae vestrae* ([3]).

IV. — *Quid intelligitur hic per hominem iacientem sementem in terram?*

Resp. Aliqui intelligunt solum Dominum nostrum, qui ultimo vitae suae tempore, verbi Dei semen in hominum corda proiecit, in caelum postea reversus et invisibilis manens, dum semen germinat et crescit. Alii vero melius intelligunt, una cum Christo Domino, Apostolos necnon evangelicos omnes praedicatores, qui non cessabunt semen veritatis revelatae in mundo spargere, usquedum compleatur numerus electorum in superna felicitate locandus: post mortem vero ultimi inter electos, desinet mundi forma praesens, quae solum propter illos ad gloriam adducendos sic perdurat.

([1]) Cf. Matth., vii, 2, Sect. liv, p. 331; Matth., xiii, 12; Sect. xcvii, n. 5, p. 75. — ([2]) 2 Cor., ix, 10. — ([3]) Estius, in h. l. S. Marci.

V. — *Utrum parabola de homine iaciente sementem in terram referri possit ad sortes militantis Ecclesiae?*

Resp. Affirmative: sic, ut homo qui proiicit sementem sit Christus, institutor Ecclesiae, quae per diversas aetates secundum diversos gradus succrescit, primo quidem, teneritudinem bonae inchoationis habens; deinde magnos in sanctitate et virtutum operibus profectus accipiens; demum, cum ad maturitatem pervenerit, electa grana transferentur ad horrea caelestia.

SECTIO C.

(Mt. XIII, 24-30).

Argumentum. — *Aliam Christus parabolam proponit, scilicet de zizaniis vel de lolio, quae simul cum grano ad messem usque crescere permittuntur.*

Ratio Sectionis. — Sequens de zizaniis vel lolio parabola solum S. Matthaeum habet narratorem, qui illam immediate refert post parabolam seminantis, qui etiam post recensitas duas alias parabolas, quas ut videbimus *, referunt etiam S. Marcus et S. Lucas, solus ponit huius parabolae expositionem. — Notandum, omnes istas parabolas protulisse Christum, turbis ad maris littus magna frequentia coadunatis.

(*a*) ALIAM parabolam proposuit illis [1], dicens: *Simile factum est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo* [2]. *Cum autem dormirent homines* [3], *venit inimicus eius, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit* [4]. *Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc*

(*a*) Mt. XIII, 24-30.

[1] Scilicet turbis in littore stantibus, Christo vero existente in navi. — Cum parabolam hanc ipsa incarnata Veritas proprio ore exposuerit, ut videre est suo loco (†), ideo eius elucidatione praetermissa, nonnulla tantum pro litterae claritate hic breviter tanguntur.

[2] Regnum caelorum hic est Ecclesia militans, in qua nonnulli, Dei nomine, lolium pro bono semine spargunt. Hoc facere non desinunt haeretici et novatores.

[3] Sicut fures et malefici noctem expectant, quo facilius et securius fines suos obtineant, ita inimicus hominis, diabolus, quantum potest se occultat, quo perversam suam operam tutius et amplius explicet: quod est maxime cum praelati vel doctores ex hac vita migrant, vel praesules a diligenti custodia sui gregis desistunt.

[4] Zizania, graeca vox ζιζάνιον vel αἶρα, idem sunt ac latine *lolium tremulentum,* herba scilicet in segetibus nascens, hordo similis, cuius vitium esse putatur: fit enim ex corruptis tritici ac hordei seminibus. Panis multo mixtus lolio ebrietatem quamdam

* Sect. seq.

(†) Sect. CII.

apparuerunt et zizania [5]. *Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania* [6]? *Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit* [7]. *Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, et colligimus ea? Et ait: Non; ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum* [8]. *Sinite utraque crescere usque ad messem* [9], *et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum* [10].

et capitis stuporem parit. — Per zizania, hic, ex ipsa Christi interpretatione, intelliguntur filii nequam, qui gravia suscitant scandala, id est persecutiones et tentationes, quibus boni frequenter in malum inducuntur. Sic diabolus, per perversos homines, suscitat haereses inter fideles, lites inter pacificos, peccatum inter sanctos, *non ut acquirat zizania, sed ut triticum perdat, nec ut reos capiat, sed ut adimat innocentes,* ut ait S. Petrus Chrysologus (1).

[5] Primo tempore similia sunt zizaniorum et tritici germina, unde unum ab alio discerni non potest; cum autem succreverint, iam illa ab istis facile secernuntur.

[6] Per servos patrisfamilias, intelligi possunt fideles, quos magna admiratio tenet, dum mala cernunt in Ecclesia: qui cum talem non suspicentur fraudem, ideo zelo se mox permotos exhibent ad lolium eradicandum.

[7] Inimicus homo seu diabolus, in Deum et hominem odio permotus, malum semen superseminavit, ex quo omnis noxia haec fructificatio provenit.

[8] Multiplici de causa potest periculum oriri ne, collectis zizaniis, eradicetur simul triticum: nempe, vel quia non bene unum ab altero secernitur; vel quia qui inter homines modo malus est, postea fieri potest bonus; vel quia contingit ut malorum occasione boni magis clarescant; vel denique interdum zizania, adeo fortiter radicantur, ut timeri possit ne, si evellantur, debile triticum simul abducatur.

[9] Differentia est inter plantas et homines, quod, in illis, malae herbae praesentia tritico damnum infert; mali autem homines sunt bonis ad excitationem virtutis: unde notum est illud S. Augustini (2): *Omnis malus, aut ideo vivit, ut corrigatur; aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur.* — Pro *crescere*, graece est συναυξάνεσθαι, quod est *simul crescere* vel *pariter augeri.*

[10] En, ex eodem agro prodit lolium in clibano comburendum, et frumentum in horreo reponendum.

(1) Serm. XCVI, de Parab. Zizan. — (2) Enarrat. in Ps. LIV, n. 4.

QUAESTIONES.

I. — *Undenam ripetenda sit ratio mali in mundo?*

Respondet S. Thomas ([1]), perfectione universi requiri inaequalitatem in rebus, ut omnes bonitatis gradus impleantur. Porro, est unus gradus bonitatis, ut aliquid ita bonum sit, quod numquam deficere possit; aliud autem gradus est, ut sic aliquid bonum sit, quod a bono possit deficere, ad quod sequitur ut illud interdum a bono revera deficiat: in hoc autem consistit ratio mali, quod res a bono deficiat. Attamen tantae sapientiae Deus est, ut etiam de malis possit benefacere: sic igitur multa tollerentur bona, si nullum malum esse permitteretur; nec laudaretur iustitia vindicans aut patientia sufferens, si non esset iniquitas ([2]).

II. — *Utrum malum sit ut in pluribus?*

Resp. In rebus physicis, malum est ut in paucioribus; natura enim finem suum ut in pluribus attingit, et defectus in rebus naturalibus inveniuntur ut in paucioribus. In moralibus vero, malum videtur esse ut in pluribus: quia, ait S. Thomas ([3]), bonum hominis secundum sensum non est hominis, in quantum homo, id est, secundum rationem; plures autem sequuntur sensum quam rationem.

III. — *Utrum, in eo quod dicuntur zizania superseminata dum homines dormirent, notetur negligentia pastorum?*

Resp. Etsi revera, proh dolor! mala multa eveniunt incuria vel desidia pastorum, non tamen videtur id, hoc loci, a Christo notari voluisse. Imprimis enim, non dicitur *cum dormirent servi patrisfamilias,* per quos quidem significari videntur praelati Ecclesiae, sed simpliciter, *cum dormirent homines,* quod aliud de se non significat, nisi noctis tempore ([4]), cum praecise ad callidam artem diaboli pertineat, clanculum et occulte mala sua germina ponere et insidias struere. Quod autem Ecclesiae praelati non directe hic significentur, ex hoc patet, quod quovis tempore, inde ab Ecclesiae initio, mali fuerunt bonis permixti, cum etiam in coliegio apostolico proditor extiterit: atqui, si id praelatorum incuriae adscribi deberet, Apostoli, imo ipsemet Christus Dominus, negligentiae essent arguendi.

([1]) I, Quaest. XLVIII, art. 3. — ([2]) Ibid., ad 3[m]. — ([3]) Ibid., Quaest. XLIX, art. 3 ad 5[m]. — ([4]) Cf. Iob, IV, 13; XXXIII, 15.

IV. — *Utrum ex praesenti parabola inferre liceat, debere permitti ut haereses impune grassentur?*

Resp. Negative: secus enim pari ratione sequeretur nullum scelus debere coerceri. Igitur, ex parabolae scopo dicendum est, ubi boni ex malorum praesentia, in magnum periculum non veniunt, hos patienter tolerari posse, ad mala graviora evitanda; secus, quantum fieri potest, cohiberi et coerceri debent, ne ulterius noceant.

SECTIO CI.

(Mt. XIII, 31-35; Mc. IV, 30-34; L. XIII, 18-21).

Argumentum. — *Alias duas proponit Dominus parabolas, scilicet, alteram de grano sinapis, quod minimum est omnibus seminibus, cum autem creverit, maius est omnibus oleribus; alteram vero de fermento a muliere in farina abscondito.*

Ratio Sectionis. — Duae istae parabolae concorditer a tribus Synopticis, licet non eodem tempore, referuntur: S. Matthaeus enim et S. Marcus illas referunt post parabolam seminantis, excepto quod prior Evangelista inter illam parabolam et has duas interserit parabolam zizaniorum, alter vero parabolam de semine in terram iacti; S. Lucas autem postremas has binas parabolas alio ponit loco, scilicet post historiam mulieris sabbato sanatae: ex quo tamen perperam inferretur easdem bis Dominum recitasse, cum de una prorsus eademque re, iisdem fere verbis expressa, agatur. Ambas istas parabolas in una simul Sectione ponimus, cum ad idem referantur argumentum.

(*a*) ALIAM parabolam proposuit eis, (*b*) et dicebat: *Cui assimilabimus regnum Dei? aut cui parabolae comparabimus illud*[1]? *c*) *Simile est regnum caelorum*[2] *grano sinapis*[3], *quod accipiens homo,* (*d*) *misit in hortum suum,* (*e*) *seminavit in agro suo*[4]. (*f*) *Quod cum seminatum fuerit*

(*a*) Mt. XIII, 31. — (*b*) Mc. IV, 30. — (*c*) Mt. XIII, 31. — (*d*) L. XIII, 19. — (*e*) Mt. XIII, 31. — (*f*) Mc. IV, 31-32.

[1] Hoc interrogationis modo evidenter vult Dominus auditores verbis suis attentiores reddi. — *Cui assimilabimus,* πῶς ὁμοιώσωμεν, id est, *quanam ratione, quanam similitudine illud illustrabimus?*

[2] Per regnum caelorum hoc loco intelligit S. Hieronymus praedicationem vel notitiam Scripturarum.

[3] Similitudines assumit Christus ex rebus omnibus notissimis: sinapis vero semen, eiusdem quidem speciei est in Palaestina ac in Italia, ibi tamen in proceram crescit arborem: varia quippe caeli natura magnopere confert, ut huius plantae magnitudo augeatur. Significat autem sinapis granum verbum Dei quod in hominum corde seritur.

[4] Per hominem seminantem, Christus intelligitur, vel quilibet homo, verbum Dei in agrum proprii cordis diligenter mittens.

in terra, minus est omnibus seminibus quae sunt in terra [5]; *et cum seminatum fuerit, ascendit, et fit maius omnibus oleribus;* (*a*) *et crevit, et factum est in arborem magnam,* (*b*) *et facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra eius aves caeli habitare* [6]; (*c*) *et volucres caeli requieverunt in ramis eius* [7]. (*d*) Aliam parabolam locutus est eis, (*e*) et iterum dixit: *Cui simile aestimabo regnum Dei? Simile est fermento* [8], *quod acceptum mulier abscondit in farinae sata tria, donec fermentaretur totum* [9]. (*f*) Haec omnia locutus est Iesus,

(*a*) L. XIII, 19. – (*b*) Mc. IV, 32. — (*c*) L. XIII, 19. — (*d*) Mt. XIII, 33. — (*e*) L. XIII, 20. — (*f*) Mt. XIII, 34.

[5] Id est, unum est ex minimis olerum seminibus: quaedam enim semina, ut papaveris et rutae, minora adhuc sunt semine sinapis.

[6] Aves caeli, hic, sunt animae contemplantes caelestia, vel principes et magnates ad fidem conversi.

[7] Sicut parvum sinapis granum in altum crescit, sic evangelica praedicatio, primo valde contempta, et prae omnibus scientiis magis derisa, per omnes nationes crevit, ita ut sub ramis, id est, sub diversis dogmatibus eius, fideles animae moveantur et conquiescant, omnisque saecularis scientia et philosophorum doctrina minorata sit sub ea, eique subiecta maneat. De Evangelii propagatione insignia prostant testimonia, tum in Actibus Apostolorum (1), tum in Epistolis S. Pauli (2).

[8] Eadem est huius atque superioris parabolae significatio: scilicet christiana religio, humilibus quidem initiis, miras sensim conversiones excitavit, et electa quaeque ingenia peperit.

[9] Acceptum fermentum mulier abscondit, id est, locavit ac miscuit in sata tria, vel, ut habet S. Matthaeus, in satis tribus farinae. Satum erat mensura, unum modium cum dimidio capiens. Hoc modo autem tota massa, fermento permixta, panis salubris affecta est. Igitur Sapientia incarnata tribus satis, id est, diversis locis ubi fideles conversantur, infusa, mundum ad Deum convertit. Sacra enim doctrina, primo quidem in unius alteriusve hominis corde abscondita, mirabiliter usque ad orbis confinia insinuata est et penetravit. Igitur, sicut farina res in se mortua est, at quodammodo per fermentum vivificatur, turgescit et augetur; ita fidei sermo, licet in se modicus, cum in cordibus hominum conditur, ea transmutat

(1) II, 41, 47; V, 14; VI, 1, etc. — (2) Rom., I, 8; X, 18; Col., I, 6; I Thess. I, 8.

in (*a*) talibus multis parabolis (*b*) ad turbas, (*c*) prout poterant audire [10]: (*d*) et sine parabolis non loquabatur eis [11], ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi* [12]. (*e*) Seorsum autem discipulis suis disserebat omnia [13].

(*a*) Mc. IV, 33. — (*b*) Mt. XIII, 34. — (*c*) Mc. IV, 33. — (*d*) Mt. XIII, 34-35. — (*e*) Mc. IV, 34.

et ad opera virtutum idonea reddit. Huc pertinet Domini nostri prophetia ([1]): *Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus.*

[10] Proportionabat Iesus sermonem suum capacitati audientium, ut aliquo modo intelligerent quae dicebantur, etsi id perfecte capere non possent.

[11] In hoc videlicet sermone: nam alias sine parabolis, maxime cum de re morali ageretur, Iesus turbis est locutus.

[12] Locus desumitur ex psalmo LXXII ([2]), et in nostra Vulgata ita legitur: *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.* Ultima verba sibi volunt: Pandam, seu interpretabor voce forti mysteria regni caelorum, quae a mundi constitutione homines latuerunt. In quo quidem Christus se manifestat tanquam munus excellentissimi prophetae exercentem, non solum in ipsa doctrina tradenda, qua prophetarum documenta mirabiliter complet, sed etiam in modo docendi, in miraculis quibus doctrinam suam fulcit, necnon in persecutionibus et morte ipsa ([3]). — Ad idem hic referuntur *parabolae* et *abscondita*, seu *propositiones;* scilicet ad res gestas Israelitarum et varias eorum sortes, ab exitu de Aegypto usque ad David regem, quas Psaltes eo consilio recenset, *ut ponant in Deo spem suam et mandata eius requirant* ([4]): at parabolae dicuntur, in quantum in illis doctrina continetur ([5]), abscondita vero, in quantum in oblivionem ceciderant: quae quidem ampliori ratione perfecit Christus, caput prophetarum. — Pro *a constitutione* mundi, in plerisque codicibus est ἀπὸ καταβολῆς, *a constitutione:* cui correspondet hebraeum *ab initio,* et versio Septuaginta, ἀπ᾽ ἀρχῆς.

[13] En privilegium discipulorum, per quos Ecclesia docens intelligitur, cui Deus curam commisit supernaturalium veritatum depositum conservare aliisque tradere.

([1]) Matth., XXIV, 14. — ([2]) Vers. 2. — ([3]) Cf. Matth., V, 12; XXIII, 30; Luc., XIII, 33. — ([4]) Ps LXX, 7. — ([5]) Cf. supra, Sect. XCVII, quaest. I.

QUAESTIONES.

I. — *Qua ratione dici potest, granum sinapis minimum esse omnibus seminibus, cum sint alia semina grano sinapis minutiora ?*

Resp. Proportione quadam, in hoc scilicet, quod nullum semen adeo parvum in tantam excrescit plantam ; praeterea, cum expresse dicatur : *Cum autem creverit, maius est omnibus oleribus,* hinc semina papaveris et rutae, quae etiam minora sunt, in comparationem non veniunt. Ceterum, locutio haec proverbialis est et vulgaris, ideoque non subtiliter investiganda, Domino illam ex vulgi opinione recitante. — Quod hic dicit Christus : *Fit maius omnibus oleribus,* referendum est ad fruticem sinapis, qui in Syria ad altitudinem decem circiter pedum succrescit : arbor autem sinapis altitudinem viginti quinque pedum attingit.

II. — *Quid per parabolam grani sinapis significatur ?*

Resp. Primo, significatur ipsum Evangelii semen, quod crescit et dilatatur, et quo Christi regnum in terris propagatur. Porro, Evangelium, inter omnia doctrinarum genera, minimum quidem videtur ; et Iudaeis scandalo cedit, gentibus vero stultitiae ; attamen sublimitate et utilitate sua cetera doctrinarum genera longe superat, ita ut nulla alia doctrina maiorem habeat diffusionem. Et sicut granum sinapis subtilis et penetrantis est naturae, ita doctrina evangelica sublimis est ac omnino spiritualis, ad intima mentium pertingens, errores dissipans, ad poenitentiam provocans, et virtutum omnium exercitium promovens. — Secundo, per granum sinapis, significatur ipsa Christi Ecclesia, quae initio quidem in angusto terrae spatio coarctata atque multiplici persecutionum genere impugnata, mox per universum orbem diffusa est, ita ut nulla sit vel remotissima insula, ad quam Christi notitia non pervenerit. — Tertio, per granum sinapis, mystice intelligi potest fervor boni desiderii in cordibus hominum accensus, qui illos ad magnifica virtutum opera complenda interdum incitat, ut in Sanctis evenisse videmus.

III. — *Quid per parabolam fermenti significatur ?*

Resp. Idipsum proportionaliter, quod per parabolam grani sinapis. Nimirum, sicut fermentum calore suo humidam panis massam maturat et in se quodammodo convertit, ita doctrina evangelica, etsi initio humilis et exigua, totum tamen orbem modo permeat atque ad se convertit.

IV. — *Quonam sensu intelligendus est progressus in fidei doctrina?*

Resp. Rationem huius progressus per varias aetates egregie describit S. Vincentius Lirinensis (1): *Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. Imitetur animarum religio rationem corporum, quae licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quae erant permanent.*

V. — *Cur Christus tria sata in parabola commemoravit.*

Resp. Dici potest Dominus id fecisse, ob memoriam eius quod in veteri Testamento aliquando legitur, scilicet similem farinae mensuram ad panem pro solemni convivio coquendum fuisse adhibitam (2). — Plures autem sunt mysticae huius numeri applicationes, quas inter haec eminet, qua dicitur per hoc nos doceri, ut caritatis fervor vigeat in toto corde, in tota anima et in omnibus viribus.

VI. — *Cur doctrinam suam Christus Dominus scripto non tradidit?*

Resp. Cum Christus sit altissimus atque excellentissimus Doctor, ideo modus ei docendi specialis competebat, ut videlicet in cordibus auditorum verba sua immediate imprimeret, non autem ut ea in inanimata materia sculperet, quemadmodum facere solent homines; unde etiam Socrates atque Pythagoras, qui praecellentes doctores extiterunt, scripto nihil relinquere voluerunt. Pariter, noluit Dominus libros edere, ut doctrina sua ad omnes ordinate perveniret, id est, primo quidem immediate ab ipso ad Apostolos, deinde vero per Apostolos usque ad nos: communis enim est ordo divinae providentiae, ut per homines ad nos divina veritas perveniat. In quo clare apparet diversitas inter legem veterem quae sensibilibus signis data est, et Legem novam, quae est lex spiritus vitae, quae scribi debuit, *non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus,* ut ait Apostolus (3). Ceterum, cum Christus discipulorum suorum sit caput, hi vero ea scripserint quae ille ostenderat et dixerat, hinc quodammodo in eisdem ipsemet scripsisse dicendus est (4).

(1) In Commonit., c. XXIII. — (2) Gen., XVIII, 6; cf. Iudic., VI, 19; 1 Reg., I, 24. — (3) 2 Cor., III, 3. — (4) S. Augustin., l. 1 de Consensu Evangel., cc. VII, seq. Cf. S. Thom., 3, Quaest. XLII, art. 4.

SECTIO CII.

(Mt. XIII, 36-43).

Argumentum. — *Dimissis turbis, edisserit Iesus, coram solis discipulis, parabolam zizaniorum, ostendens per eam figurari sortes militantis Ecclesiae, in qua mali cum bonis permixti inveniuntur.*

Ratio Sectionis. — Superius vidimus * Christum domo egressum, ad maris littus accessisse, ut turbas doceret, ubi primo eis proposuit parabolam seminantis. Completa iam instructione ac dimissis turbis, domum reversus est, discipulis enigma parabolae explicaturus. Porro, quamvis S. Matthaeus, qui solus narrat discipulos quaesiisse huius parabolae expositionem, de aliis nunc parabolis sileat, credi tamen potest eos aliarum quoque parabolarum dilucidationem a dilecto magistro postulasse, maxime cum apud S. Marcum legatur quod seorsum Christus discipulis suis disserebat omnia **. Signanter autem huius parabolae explicatio ponitur, quia inter ceteras specialis est momenti.

(*a*) TUNC, dimissis turbis, venit in domum [1]: et accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: *Edissere nobis parabolam zizaniorum agri* [2]. Qui respondens, ait illis: *Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. Ager autem est*

(*a*) Mt. XIII, 36-43.

[1] Diximus, Christum Dominum domo exiisse, et ad maris littus docuisse, ubi sex proposuit parabolas, scilicet, de seminante, de lucerna non abscondenda, de terra ultro fructificante, de zizaniis in medio tritici seminatis, de grano sinapis et de fermento: quae omnia, cum multis explicationibus, populo proposita sunt. Nunc autem revertitur Christus in domum, probabiliter ad cibum capiendum.

[2] Beati discipuli, qui non solum, ut scribae et pharisaei, Christi verba exterius audiebant, sed etiam interiori Spiritus Sancti gratia moti, percupidi cognoscendi intimum eorumdem sensum, illum immediate ab ipsa incarnata Veritate percipere merentur.

* Sectio XCVI, p 70. — ** IV, 34. Sect. praec., n. 13, p. 96.

mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni [3]. *Zizania autem, filii sunt nequam* [4]. *Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus* [5]. *Messis vero, consummatio saeculi est* [6]. *Messores autem, angeli sunt* [7]. *Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur, sic erit in consummatione saeculi. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem: et mittent eos in caminum ignis* [8]. *Ibi erit fletus et stridor dentium* [9]. *Tunc iusti*

[3] Id est, heredes regni caelorum: hi sunt filii Ecclesiae, fideles, sinceri ac in iustitia perseverantes. Hi quidem ex bono semine verbi Dei progeniti, vicissimi, instar boni seminis, alios plures, oratione, exemplo et doctrina, Christo progignere nituntur.

[4] Graece, οἱ υἱοὶ πονηροῦ, id est, filii illius mali, seu maligni, qui diabolus est, qui filios sibi similes progignit. Hic est qui exemplo, suasionibus, promissis atque omnis generis insidiis, nititur homines facere servos peccati: *ille enim homicida erat ab initio* ([1]).

[5] Diaboli suggestione et exemplo surgunt haeretici et perversa sua propagant dogmata: sicque ex daemone seminari dicuntur, alio tamen modo ac iusti a Christo seminantur, qui ita est eorum dux, ut etiam vitam spiritualem in eis infundat.

[6] Consummatio saeculi est iudicii dies, in quo electi in Dei palatio, velut in horreo, collocabuntur.

[7] Angeli sancti erunt executores et promulgatores divini iudicii, unde et in Ioele describuntur tanquam messores ([2]), et Dominus ipse ait Filium hominis venturum esse ad iudicium cum angelis ([3]).

[8] Sancti Angeli dispositive agent ad mortuos suscitandos, eorum cineres colligendo; tum suscitatos ad iudicii locum perducent, reprobos ab electis segregantes, et damnatos in inferno retrudentes ([4]). — Infernus, qui hic vocatur *caminus ignis,* in Apocalypsi appellatur ([5]) *stagnum ignis ardentis sulphure* ([6]).

[9] Ob intolerabiles ignis poenas. Fletus hic, potius quam materiales lacrymas, conturbationem designat cerebri et oculorum, atque vehementem eiulatum ob conceptum dolorem; stridor autem dentium designat conatum naturae acerbum dolorem leniendi ([7]).

([1]) Io., VIII, 44. — ([2]) III, 13; cf. Apoc., XIV, 15. — ([3]) Matth., XXIV, 31; cf. 1 Thess. IV, 15. — ([4]) Cf. tr. n. DE NOVISSIMIS, Quaest. VII, art. 2, n. 10, p. 411, — ([5]) XIX, 20. — ([6]) Cf. Ibid., XX, 9. — ([7]) Tr. DE NOVISS., Quaest. IV, art. 3, n. 9, p. 185.

fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum [10]. *Qui habet aures audiendi, audiat* [11].

[10] Peracto iudicio, iusti in corpore fulgebunt per dotem claritatis, non solum sicut sol relucet, sed sicut lucebit, quando lux eius erit septempliciter sicut lux septem dierum ([1]). Ex hoc tamen non sequitur quod omnes aequaliter fulgebunt, cum scriptum sit ([2]): *Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum:... sic erit in resurrectione mortuorum.* — Cum dicat Christus, *in regno Patris eorum,* deducere licet, quanta dilectione Deus eos prosequatur, quos ad vitam aeternam praedestinavit.

[11] Similia sunt verba haec istis S. Ioannis verbis ([3]): *Qui ex Deo est, verba Dei audit:* id est, ad verba ista rite percipienda, necesse est mentales aures a Spiritu Sancto informari ([4]). Consulto autem nos admonet Christus ut sedula mente quae dixit perpendamus; nam, ut habet S. Paulus ([5]): *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum.*

QUAESTIONES.

I. — *Quomodo ex zizaniorum parabola, probatur esse in Ecclesia malos bonis permixtos?*

Resp. Primo, quia initio parabolae dicitur: *Simile factum est regnum caelorum;* per regnum caelorum autem Ecclesia praesentis temporis hic significatur: unde mox dicuntur seminata zizania *in medio tritici.* Secundo, quia dicuntur Angeli collecturi de regno Dei, id est, de Ecclesia militanti, omnia scandala et facientes iniquitatem. — Nec obstat quod Christus agrum interpretatur mundum, non Ecclesiam: significatur enim per hoc, Ecclesiam toto orbe esse diffundendam. — Per hanc igitur parabolam refelluntur haeretici, qui tantae fuerunt superbiae, ut omnem in Ecclesia malorum communionem excluderent, dicentes solos bonos in ea esse, et si qui mali in eam irrepserint, statim eiiciendos.

II. — *Quid sibi vult, colligi zizania?*

Resp. Sibi vult homines similium peccatorum reos, similes in poenis socios habituros, ita ut adulteri cum adulteris, homicidae

([1]) Is., XXX, 26. — ([2]) 1 Cor., XV, 41, 42. — ([3]) Io., VIII, 47. — ([4]) Cf. Sect. XCVI, n. 13. - ([5]) 1 Cor., II, 9.

cum homicidis, raptores cum raptoribus, sacrilegi cum sacrilegis daturi sint poenas, etsi maiores, minoresve, pro peccati quantitate. Unde post verba: *Sicut colliguntur zizania,* opportune subauditur: *Et alligantur in fasciculos.* Sic etiam in regno caelorum martyres cum martyribus, virgines cum virginibus, specialiter gavisuri sunt.

III. — *Utrum ex hac Christi parabola sequatur haereticos, eos scilicet qui perversis suis dogmatibus fidem inficere nituntur, debere omnino tolerari?*

Resp. Circa hoc, discrimen fuit olim inter S. Ioannem Chrysostomum et S. Augustinum. Illi siquidem visum est, haereticos non esse occidendos, quia multa inde sequerentur mala ([1]). S. Augustinus vero, licet initio idem senserit, postea tamen, cum eorum pervicaciam et malitiam esset expertus, contrarium docuit; *quia,* ait ([2]), *nondum expertus eram, vel quantum mali auderet eorum impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinae* ([3]). -- Circa quod respondet S. Thomas ([4]), quod circa haereticum duo pensantur, videlicet eius iniquitas, et Ecclesiae pietas. Quantum ad primum, meretur non solum excommunicari, sed occidi, cum multo gravius sit fidem corrumpere, quam falsare pecuniam: et tamen falsatores pecuniae secundum iura occiduntur. Quantum ad secundum, non decet haereticum statim damnare, sed ad veritatem pro posse reducere. Ideo Ecclesia non immediate et subito, sed post primam et secundam correptionem, damnat haereticum, sicut docet Apostolus ([5]). Si vero ex tunc in suo errore manserit pertinax, separat eum Ecclesia a se per excommunicationis sententiam, et relinquit eum saeculari iudicio morti tradendum. Unde dicit S. Hieronymus ([6]): *Secandae* (sunt) *putridae carnes, et scabiosum animal a cauliis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus et pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed quia non statim oppressus est, totum orbem eius flamma populata est.* — Haec utique valent pro haereticis non natis, sed factis, et iis quidem qui per perversa sua dogmata fidem nituntur destruere ([7]).

([1]) Homil. XLVI in c. XIII S. Matth., — ([2]) L. II contra Parmen., cap. II; L. II Retract., cap. V. — ([3]) Cf. Epist. XCIII (olim XLVIII), ad Vincent. Rogatist.; Ep. CLXXXV (olim L) ad Bonif; Ep. C (olim CXXVII) ad Donat. — ([4]) 2 2ae, quaest. XI. art. 3. — ([5]) Tit., III, 10. — ([6]) Commen. sup. Ep. ad Gal., l. III, c. 5. — ([7]) Cf. op. n. De stabilitate et progressu Dogmatis, Romae, 1910. p. 195. Cf. etiam App. ad hoc opus.

SECTIO CIII.

(Mt. XIII, 44-52).

Argumentum. — *Tres alias parabolas Christus Dominus proponit: primam, de thesauro abscondito in agro; alteram, de inventa pretiosa margarita; tertiam, de sagena in mare missa.*

Ratio Sectionis. — Sequentes tres breves parabolas solus S. Matthaeus ponit, et quidem immediate post explicatam parabolam zizaniorum; unde deducere licet, eas a Christo domi solis discipulis propositas fuisse, ut etiam inferri potest ex interrogatione eisdem, ut videtur, facta: *Intellexistis haec omnia?* — Duae priores parabolae ad idem omnino referuntur; tertia parum diversam habet applicationem.

(*a*) SIMILE *est regnum caelorum thesauro abscondito in agro; quem, qui invenit homo, abscondit, et prae gaudio illius vadit, et vendit universa quae habet, et emit agrum illum* [1]. *Iterum simile est regnum caelorum homini negotiatori, quaerenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quae habuit, et*

(*a*) Mt. XIII, 44-52.

[1] Vera doctrina catholica ac sincera in Deum pietas thesaurus est inaestimabilis, quem ut consequatur homo, pro nihilo ducere debet amissionem bonorum temporalium, iuxta illud S. Pauli ([1]): *Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Non autem invidiae causa homo ille thesaurum abscondit, sed inimici timore, ne illum surripiat. Sic sapiens blanditias mundi caute devitat, ne gratia quam possidet, citius defraudetur. — Dupliciter potest intelligi id quod dicitur, *prae gaudio illius,* ἀπὸ χαρᾶς αὐτοῦ: scilicet, vel prae gaudio de thesauro reperto, vel prae gaudio suo; quae tamen in idem reincidunt, cum gaudium homini ex invento thesauro proveniat. — Clare hic innuitur quanta sit vitae aeternae, quae per regnum caelorum significatur, pretiositas, cum pro illa comparanda homo omnia quae habet ultro vendat.

([1]) Phil., III, 8.

emit eam [2]. *Iterum simile est regnum caelorum sagenae missae in mare* [3], *et ex omni genere piscium congreganti* [4]. *Quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione saeculi: exibunt Angeli* [5], *et separabunt malos de medio iustorum, et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, et stridor dentium* [6]. *Intellexistis haec omnia* [7] ? Di-

[2] Homo veraciter christianus, pretiosas quaerens margaritas, id est occasionem quaeritans se ipsum spiritualiter ditandi, ductum Spiritus Sancti secutus, veram invenit sapientiam, de qua legitur (1): *Melior est... cunctis pretiosissimis,* et omne desiderabile ei non potest comparari. — Notandum, hominem hunc, primo quidem generaliter bonas quaerere margaritas: at, cum, spiritualiter una tantummodo sit vere pretiosa margarita, scilicet vita aeterna, ideo bonus negotiator perituras divitias cum hoc nunquam amittendo bono feliciter permutat.

[3] *Sagena* graeca vox est, σαγήνη, genus retis significans, vel potius ipsum retis sinum, in quem capti pisces congregantur. Vulgo *verriculum*, seu *everriculum* dicitur, a verrenda aqua, ut pisces capiantur. — Notandum, in graeco textu, deesse nomen *piscium*.

[4] Hac iterum parabola evidenter docet Christus, in Ecclesia militante, contineri bonos similiter et malos: nam Apostoli eorumque successores, sermonem ex Sacra Scriptura per modum retis texentes, illum miserunt in mundum, qui procelloso mari assimilatur, et quosdam de omni natione in Ecclesiam congregaverunt: ex quibus discrimen faciet Deus in fine mundi, ut piscatorum mos est, bonos a malis piscibus post piscationem discernentium. — Convenit haec metaphora cum eo quod legitur (2): *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* — Pro *elegerunt,* graece est συνέλεξαν, id est, *collegerunt.* — Pro *bonos,* graece habetur τὰ καλά; pro *malos* autem τὰ σαπρά, id est, neutro genere, hinc pulcra, illinc spurca, marcida, putrida atque foetentia.

[5] Hic iterum ministerium discretionis in fine mundi Angelis attribuitur (3).

[6] Nunc quidem nescitur quinam homines sint electi, qui reprobi: in fine autem mundi, hoc clare manifestabitur, quando scilicet reddet Deus unicuique mercedem suam. De aeterno supplicio saepius sermonem iniecit Dominus (4), ne quis ignorantiae excusationem promeret, si de eo subobscure tantum fuisset locutus.

(1) Prov., VIII, 11. — (2) Matth., IV, 19. — (3) Cf. Sect. praec., n. 7, p. 100. — (4) Cf. Matth., V, 29; VIII, 12; X, 28; XII, 32, etc.

cunt ei: *Etiam.* Ait illis: *Ideo omnis scriba doctus in regno caelorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera* [8].

[7] Interrogatio haec, ut videtur, discipulis facta, evincit quam sollicitus foret Christus ut tanti momenti veritates illi probe intelligerent, quas per totum mundum praedicandas eisdem commissurus erat. Cognoscebat sane Christus illorum scientiam; attamen responsionem ex eorum ore provocabat, ut novum adiiceret veritatis documentum.

[8] Quia nostis quam pretiosus sit iste sacrae doctrinae thesaurus, ideo vos, qui a me constituimini novae Legis evangelicae praecones, instar providorum patrum familias, depromere debetis et aliis erogare salutis documenta, quae sint eorum statui et captui accommoda, ut fecit S. Paulus, qui de se testabatur ([1]): *Sapientibus et insipientibus debitor sum.* — In multis codicibus graecis legitur, ναί, κύριε, *utique, Domine,* quo animi reverentes et grati significantur. — *Ideo,* διὰ τοῦτο, ponitur ad significandum, ex eo quod discipuli parabolas Christi intellexerint, posse eosdem, ex thesauro scientiae suae non solum vetera documenta, sed multas etiam ex eis applicationes proferre. — *Scriba,* γραμματεύς, id est, *magister* vel *doctor.* — *Doctus in regno caelorum,* in multis codicibus est μαθητευθεὶς εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, *factus discipulus erga regnum caelorum,* seu in doctrina regni caelorum, sicut dicitur quis discipulus S. Thomae, id est, quantum ad eius doctrinam.

QUAESTIONES.

I. — *Cur homo, in prima parabola, simpliciter dicitur invenisse thesaurum, in altera vero quaesisse bonas margaritas?*

Resp. Ad innuendum veritatem revelatam quandoque homini sine suo studio obvenire, sicut iis obtingit qui in christiana religione nascuntur; quandoque vero eamdem non posse absque hominis conatu et plurima sollicitudine reperiri, ut facere debent qui in haeresi sunt nati.

II. — *Ad quemnam pertinet inventus thesaurus?*

Resp. Variae fuerunt hac super re legislationes. Apud Syros, dominus agri conditos etiam in eodem thesauros acquirebat, quem-

([1]) Rom., I. 14.

admodum in hoc loco narratur. Apud alias gentes, thesauri proprietas saepe principis erat, vel, ex dimidio, eius qui thesaurum invenisset, et agri domini. Iure praesenti, thesaurus a fundi domino repertus, totus cedit inventori; repertus autem fortuito in alterius fundo, aeque dividitur inter dominum fundi et inventorem; si autem ex industria et inscio fundi domino, ideoque absque huius consensu, reperitur, post sententiam iudicis, totus huic cedit.

III. — *Cur regnum caelorum thesauro abscondito comparatur?*

Resp. Quia beatitudo aeterna, necnon ea quae hominem ad ipsam perducunt, multis quidem tanquam res tectae ac prorsus ignotae sunt; aliis autem adeo leviter innotescunt, ut divina promissa parvipendant ac turpiter negligant. Quapropter, eloquenter dicebat S. Paulus ([1]): *Verumtamen, existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Iesu Christi, Domini mei;* et Dominus noster admonet nos ([2]): *Regnum Dei intra vos est:* ad quod respiciens S. Augustinus, exclamabat: *Quaerebam te foris, et eras intus.*

IV. — *Quid intelligitur per nova et vetera?*

Resp. Secundum plures patres, ut S. Hilarium, S. Chrysostomum, S. Hieronymum, per *nova et vetera,* intelligitur notitia Scripturarum tum veteris tum novi Testamenti: et vetus quidem Testamentum Apostoli iam exploratum habere poterant; at regulas et instituta Christi adhuc addiscere debebant, ut nihil suae deesset praedicationi. Unde id praestare debent praelati Ecclesiae, quod herus in familia: sicut enim ille sive in eduliis, sive in suppellectili, id totum profert quod alendae familiae requiritur, ita Ecclesiae antistites divinae legis cognitionem generaliter colligere debent, pro spirituali ovium sibi subditarum aedificatione. Quapropter legitur ([3]): *In portis nostris omnia poma: nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.*

V. — *Quid generaliter significatur per omnes parabolas hic a Christo Domino propositas?*

Resp. Per diversas istas parabolas seu similitudines a Domino nostro hic propositas ([4]), generaliter designatur conditio Evangelii, seu doctrinae a Christo et Apostolis annuntiatae et praefiguratur successus quo in orbe terrarum, usque ad finem mundi, sit fructificatura.

([1]) Phil., III, 8. — ([2]) Luc., XVII, 21. — ([3]) Cantic., VII, 13. — ([4]) Sect. XCVI et seq.

SECTIO CIV.

(Mt. XIII, 53-57; Mc. VI, 1-3; L. IV, 16-22).

Argumentum. — *Veniens Iesus in patriam suam Nazareth, intrat sabbato in synagogam, ibique legit et commentatur prolatam ab Isaia de se prophetiam, eius concivibus primum mirantibus, mox scandalum de eo sumentibus.*

Ratio Sectionis. — Quod hic continetur, diversa a singulis Synoptici narrationis amplitudine, diversis quoque locis refertur: probabilius vero videtur chronologicus ordo a S. Matthaeo servatus, qui id ponit immediate post expensas de regno caelesti parabolas. Igitur, cum Iesus, in sua missione, Nazareth praetermisisset, eo quod propheta *in patria sua honorem non habet* *, nunc tamen miraculorum fama iam celeber effectus, prima vice, postquam a Praecursore baptizandus ab illa civitate exierat, illo se confert, ut suis etiam concivibus vivifica praedicatione benefaciat, etsi, ut videbitur, infelici exitu. Dicendum igitur totam Lucae narrationem de iis quae in civitate Nazareth evenerunt, in illo capite quarto ** per anticipationem, aut ad modum parenthesis poni, ut evidenter patet ex verbis: *Quanta audivimus facta* (a te) *in Capharnaum, fac et hic in patria tua;* maxime cum idem S. Lucas ad hunc usque locum nulla Christi miracula recitaverit in Capharnaum patrata. Nimirum cum hic Evangelista, post tentationem, agere coeperit de praedicatione galilaica, ea primum referre voluit, quae Christo apud suos concives evenerant, mox de aliis civitatibus, et signanter de Capharnaum, verba facturus ***. Ex altera parte, quod S. Marcus post parabolas refert, nempe a versiculo 35 capitis quarti, usque ad finem capitis quinti, ad aliud tempus, nempe ad primum Pascha vitae publicae Christi pertinere dicendum est ****; unde verba quae habet ille *****: *Et ait illis in illa die*, intelligi congrue possunt dicta pro, *in illo tempore*.

(*a*) ET factum est, cum consummasset Iesus parabolas istas, transiit inde. Et veniens in patriam suam (*b*) Nazareth, ubi erat nutritus, (*c*) sequebantur eum discipuli sui [1]. (*d*) Et intravit secundum consuetudinem suam die

(*a*) Mt. XIII, 53-54. — (*b*) L. IV, 16. — (*c*) Mc. VI, 1. — (*d*) L. IV, 16.

[1] A domo, in qua zizaniorum parabolam Christus coram dilectis discipulis explicuerat et tres alias parabolas tradiderat, transit nunc ad civitatem suam Nazareth. Illum ergo comitabantur iidem discipuli, percupidi percipiendi ex benedicto eius ore

* Io., IV, 44; cf. supra, Sect. XXXVIII, XXXIX. — ** 16-30. — ** Cf. supra, Sect. XXXIX. — **** Vide Sect. LIX-LXI, LXV-LXVII. — ***** Marc., IV, 35.

sabbati in synagogam; (*a*) coepit in synagoga docere. (*b*) et surrexit legere [2]. Et traditus est illi liber Isaiae prophetae. Et ut revolvit librum [3], invenit locum ubi scriptum erat [4]; *Spiritus Domini super me: propter quod unxit me* [5], *evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde* [6], *prae-*

(*a*) Mc. VI, 2. — (*b*) L. IV, 16-21.

documenta salutis. In Nazareth revera, Christus conceptus fuit, et in adolescentia habitavit, usque ad tempus quo ad baptismum Ioannis accessit. Hoc dicendi modo infertur implicite Christum iam per aliquod tempus a Nazareth abfuisse.

[2] Consuetudo, hic, non refertur ad civitatem Nazareth, cum illo prima vice Christus legatur reversus, sed generaliter respicit loca, ad quae Salvator solebat diverti. — Apud S. Matthaeum legitur ([1]): *Docebat eos in synagogis eorum:* pro quo tamen in graeco habetur: ἐδίδασκεν αὐτοὺς ἐν τῇ συναγωγῇ αὐτῶν. Profecto plures, Nazarethae, oppido obscurissimo, synagogae fuisse non videntur. — Ob reverentiam erga Sacram Scripturam Iudaei illam stantes legebant.

[3] Libri antiquitus erant oblongae pergamenae, ex una tantum parte exaratae, quae circa binos cylindros ligneos, qui megillah dicebantur, obvolvebantur, unde eisdem nomen, *volumina*. Sic ergo libri sacri in synagogis tenebantur involuti: lector vero unum cylindrum in utraque manu tenere solebat.

[4] Non fortuito, sed deliberate, locum hunc invenit Christus, cum per scientiam animae suae inditam, a principio, distinctissime noverit cuncta creata. Desumitur locus iste, ex capite sexagesimo primo Isaiae ([2]), secundum liberam lectionem Septuaginta: ideoque aliquo modo discrepat a textu hebraico. In Vulgata legitur: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem: ut praedicarem annum placabilem Domino, et d em ultionis Deo nostro: ut consolarer omnes lugentes.*

[5] Christus Dominus, plenus donis gratiae gratum facientis et gratis datae, unctus est a Spiritu Sancto in sacerdotem, prophetam et regem ([3]). — Quod dicitur, *propter quod,* οὗ εἵνεκεν, verti potest, *propterea quod;* ut sensus sit: ideo Spiritus Domini est super me, quia unxit me.

[6] Per *pauperes,* vel, ut habent Septuaginta, *mansuetos*, hic, humiles corde optime intelliguntur: hinc Dominus noster pauperes

([1]) XIII, 54. — ([2]) 1-2. — ([3]) Cf. Act., X, 38.

dicare captivis remissionem, et caecis visum [7], *dimittere confractos in remissionem* [8], *praedicare annum Domini acceptum, et diem retributionis* [9]. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit [10]. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum [11]. Coepit autem dicere ad illos: *Quia hodie impleta est haec scriptura in auribus vestris* [12]; (*a*) et (*b*) docebat eos. (*c*) Et omnes testimonium illi dabant [13]; et mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius [14], et (*d*) in doctrina eius, dicentes: *Unde*

(*a*) Mc. VI, 2. — (*b*) Mt. XIII, 54. — (*c*)L. IV, 22. — (*d*) Mc. VI, 2-3.

spiritu et mansuetos, beatos nuncupavit. Sanat autem Christus contritos corde, per suorum sacramentorum elargitionem. — Notandum, verba haec: *Sanare contritos corde,* deesse in quibusdam graecis manuscriptis.

[7] Iis quos peccatum privat libertate sancte operandi et clara veritatis visione, affert Christus Dominus balsamum confortans et lumen vivificans.

[8] Legalibus observantiis oppressos ad spirituale novae Legis levamen deducere debebat benignissimus Dominus.

[9] Annus Domini acceptus est annus Iubilaei, qui typus erat novae Legis, quae tempus est gratiae et misericordiae, iuxta illud ([1]): *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Igitur iam advenerat tempus specialis clementiae in vocatione gentilium; instabat quoque tempus iustae retributionis et ultionis pro infidelibus Iudaeis ([2]).

[10] Sedet nunc Christus, ut, tanquam magister et doctor, quod legit congrue exponat. — *Plicuisset,* πτύξας, proprie, *obvolvisset,* ut dictum est de volumine ([3]).

[11] Rapiebantur auditores, tum fulgore vultus Christi, tum suavitate eius eloquentiae, tum renovitate: mirabantur enim quomodo legeret, cum scirent illum litteras non didicisse ([4]).

[12] Eodem momento, quo Christus loquebatur, plenum accipiebat prophetia complementum, cum praecise loqueretur Isaias de Christo et praedicatione Evangelica.

[13] Bonum de Christo testimonium proferebant, quod scilicet vere sapiens esset et in bonum populi intentus.

[14] Verba Christi Domini erant verba gratiae, originaliter, quia ex gratia procedebant; materialiter, quia de gratia tractabant; formaliter, quia eloquentiae gratia decorabantur; causaliter,

([1]) 2 Cor., VI, 2. — ([2]) Cf. Act., X, 38. — ([3]) Supra, n. 3. — ([4]) Io., VII, 15.

huic haec omnia? et quae est sapientia quae data est illi, et virtutes tales quae per manus eius efficiuntur[15]? *Nonne hic est faber? (a) Ioseph (b) fabri filius, (c) filius Mariae*[16]? *(d) Nonne mater eius dicitur Maria; et fratres eius Iacobus, et Ioseph, et Simon, et Iudas? Et sorores eius nonne omnes apud nos sunt*[17]? *Unde ergo huic omnia ista?* Et scandalizabantur in eo.[18].

(*a*) L. IV, 22. — (*b*) Mt. XIII, 55. — (*c*) Mc. VI, 3. — (*d*) Mt. XIII, 55-57.

quia gratiam audientibus producebant (1).

15 Intelligere non valebant Nazarethani, undenam tanta Iesu sapientia obvenisset; virtutem quoque miraculorum non aestimabant, eidem, ob generis ignobilitatem, attribui posse. — Notandum est pronomen indicativum, *huic,* τούτῳ, quod cum aliquo contemptu illi proferunt: huic, nempe, quem a pueritia novimus, et qui ex paupere familia ortum duxit. — *Virtutes*, δυνάμεις, quae vox in Scriptura adhibetur ad miracula significanda.

16 Haec despective proferebant Iudaei, cum scirent Iesum patrem suum Ioseph, in officio fabri lignarii, adiuvisse.

17 De consobrinis et cognatis Iesu, hic sermo est: non enim Maria solum, sed etiam Ioseph virgo in aevum permanserunt. Ceterum, quod hi non fuerint fratres Iesu ex eadem matre, evincitur tum ex S. Matthaeo (2), tum ex S. Marco (3), ubi alia Maria, certe diversa a Matre Domini, dicitur mater Iacobi et Ioseph. — Hic Iacobus *minor* dicitur, non aetate, sed aut statura, aut alia ratione. Graece dicitur μικρός, *parvus* (4).

18 Scandalum hoc fuit pharisaicum, seu quaesitum, ortum scilicet ex malitia cordis Nazarethanorum et ex praeiudiciis quibus eorum mentes tenebantur.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum narrationes trium Evangelistarum, hic et in sequenti Sectione positae, ad idem argumentum pertineant?*

Resp. Probabiliter affirmative: etenim, de identitate narrationum S. Matthaei et S. Marci vix est unde ambigi possit, cum eisdem fere verbis concipiantur; nec ulla est valida ratio, cur negari debeat

(1) Cf. Io., I. 14; VII, 46. — (2) XXVII, 56. — (3) XV, 40, 47. — (4) Cf. supra Sect. XXIX, quaest. I, Vol. I, p. 201; et Sect. XCV, n. 3, p. 66.

ad eamdem rem referri S. Lucae historiam, cum idipsum quod ille narrat de commentatione facta a Iesu de Isaiae prophetia, de contemptu in prophetam ab eius concivibus exhibito, necnon de horum voluntate Christum praecipitandi, clare explicet id quod S. Matthaeus et S. Marcus referunt de scandalo Nazarethanorum. Maxime autem attendendum est, hac horum exprobratione: *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua,* supponi sat longum ministerium Capharnaiticum: cui locus deest, nisi Lucae narratio narrationi S. Matthaei et S. Marci coniungatur, nec id quod apud S. Ioannem dicitur (1), Christum mansisse Capharnaum non multis diebus, aut iterum (2) filium reguli in eadem civitate ab ipso sanatum fuisse, sufficit ut dictum illud eorumdem civium possit intelligi. Denique, ex vehementi admiratione quam in tribus Synopticis, ad Domini nostri praedicationem, aequaliter excitatam legimus, confirmari potest id quod dicimus, nempe narrationem S. Matthaei et S. Marci ad primum Christi in suam civitatem adventum referri, ad quem praecise pertinet S. Lucae narratio.

II. — *Utrum citata Isaiae verba litteraliter intelligi possint de Cyro?*

Resp. Affirmative, at solum in parte, videlicet per haec verba significatur Iudaeos per Cyrum a babylonica captivitate liberandos esse. Attamen huiusmodi insignis prophetia nonnisi de Domino nostro plene verificatur, cum etiam Cyrus figura extiterit, etsi valde imperfecta, Domini nostri: nimirum, ex ipso Incarnatae Veritatis testimonio ultro constat, omnes huius prophetiae partes, ad Christum, secundum naturam assumptam, plene pertinere.

III. — *Cum dictum sit quod omnes Iesu testimonium darent, quomodo mox iidem aspernantes subdiderunt:* NONNE HIC EST FABER?

Resp. Primo quidem concives Iesu illum, ob sermonis gratiam, honoraverunt; at post paulum, attendentes ad paupertatem illius parentum, ad illum contemnendum ex invidia commoti sunt. Licet dici etiam possit, subsequentia verba a diversis fuisse prolata; ita ut nonnulli illum extollerent, alii vero illum deprimerent. In quo quidem figura habetur inconstantiae iudiciorum plebis.

IV. — *Utrum Dominus noster artem exercuerit fabri lignarii?*

Resp. Affirmative, uti fert antiqua traditio, contra S. Hilarium et Ven. Bedam, qui censent Iesum fabrum ferrarium fuisse. Etenim, fabri nomine, nihil addito, faber intelligi solet lignarius; et hoc

(1) II, 12. — (2) Io., IV, 46 seq.

quidem mysterio convenit, cum Christus filius sit illius fabri, qui totum mundus fabricatus est, quod non per fabrum ferrarium, sed per lignarium significatur. Nec conveniebat Dominum in opificio versari ferramentario, quod sordidum est, faciem et manus commaculans. Voluit igitur Dominus honesto labore victum quaerere, patri putatitio, in eo opificio quod exercebat, cooperarium se exhibendo; ut exemplo monstraret, victum opere honesto esse comparandum, et illos non esse dignos Christo, qui laborem refugientes, otiosam traducunt vitam. Aliunde Christus patri putativo in opere mechanico, cooperans, nobis sese quodammodo exhibet, ut Filius Dei est, Patri cooperantem in fabricatione et conservatione totius mundi. Notum est id quod scribunt Theodoretus ([1]) et Sozomenus ([2]), scilicet Libanio sophistae, res christianas deridenti, et quaerenti quid ageret fabri filius, respondisse paedagogum quemdam antiochenum, virum pium: *Sandapilam,* γλωσσοκομεῖον, pro magistro eius Iuliano Apostata ([3]).

V. — *Quid docemur per hoc, quod Nazarethani in Christo scandalizabantur?*

Resp. Docemur parati esse ad suscipiendam repulsam vel ab eis qui nobis propinquiores sunt et quibus forsan maiora contulimus beneficia, iuxta illud ([4]): *Hospitabitur, et pascet, et portabit ingratos, et ad haec amara audiet.* Nam, si Dominus a suis concivibus non susceptus est, nec eam laudem invenit quam extranei eidem obtulerant ([5]); nil mirum, si eius discipulorum beneficia ab eis qui maxime grati esse deberent, interdum non agnoscantur.

VI. — *Utrum S. Ioseph iam mortuus fuerit, cum Iesus in civitate sua Nazareth praedicavit?*

Resp. Probabiliter negative, ut erui posse videtur ex verbis trium priorum Evangelistarum, in fine praesentis Sectionis recitatis. Nimirum, si quis huiusmodi verbis mentem bene applicuerit, facile deprehendet, primo quidem omnes personas, sive nominatim, sive generatim hic designatas, in vivis adhuc supponi, dum haec a Nazarethanis proferrentur. At, ulterius, aliquid omnino singulare innuitur, in eo quod de fabro, secundum graecum textum S. Matthaei dicitur ([6]): Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ τέκτονος υἱός; quod paraphrasi reddi potest: *Nonne hic est ille filius fabri civitatis, quem nos omnes novimus?* Nimirum, unus tantum, tunc temporis, sicut etiam hodiedum, erat in parvis oppidis, faber, omnibus notis-

([1]) Hist. Eccl., III, 18. — ([2]) VI, 2. — ([3]) Sandapila genus est feretri lignei, quo plebeiorum cadavera portabantur: gall., *bière;* it., *cataletto;* angl., *hearse;* germ., *totenbahre.* — ([4]) Eccli., XXIX, 32. — ([5]) Cf. Luc., IV, 15. — ([6]) XIII, 55.

simus: unde, si antea iam Ioseph mortuus fuisset, alius faber ei certe subrogatus fuisset, et sic non potuisset amplius Christus designari tanquam fabri, scilicet fabrilem artem actu exercentis, filius; imo, dato etiam plures in oppido Nazareth fabros extitisse, a fortiori debuisset adiungi designatio proprii nominis S. Ioseph, maxime si iam hic mortuus fuisset. — Clarior adhuc res evadit, si considerentur verba S. Lucae (1): Οὐχὶ υἱός ἐστιν Ἰωσὴφ οὗτος; *Nonne filius est Ioseph iste?* Quorum verborum obvius sensus est, S. Ioseph adhuc vixisse cum haec tam indubitanter proferrentur. Dici ergo probabiliter potest S. Ioseph adhuc tunc temporis in vivis fuisse; adiungi autem potest, illum mortuum esse circa tertium Pascha vitae publicae Christi, et quidem in urbe Hierusalem, quo se cum Filio putativo ad festum de more contulerat (2).

(1) IV, 22. — (2) Cf. Tract. n. de S. Ioseph, 2a ed., P. II, art. 7.

SECTIO CV.

(Mt. XIII, 57-58; Mc. VI, 4-6; L. IV, 23-30).

Argumentum. — *Exprobrantibus Iesum Nazarethanis, quod nullum in sua patria signum patrasset, ipsemet protestatur prophetam non esse acceptum in patria sua: qua de causa, illum volunt de monte praecipitare: Iesus autem illorum furori se subtrahit.*

Ratio Sectionis. — Eorum quae hic narrantur potior pars ab uno S. Luca refertur, licet, ut diximus *, non proprio historiae loco: enimvero a S. Matthaeo et a S. Marco tantummodo recitatur dictum Iesu: *Non est propheta sine honore*, etc., et quod ibi virtutes multas ob eorum incredulitatem facere non posset.

(*a*) Et ait illis: *Utique dicetis mihi hanc similitudinem* [1]: *Medice, cura te ipsum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua* [2]. Ait autem: *Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua* [3]. (*b*) Et dicebat illis Iesus: *Quia non est propheta sine honore,*

(*a*) L. IV, 23-24. — (*b*) Mc. VI, 4.

[1] *Dicetis,* id est, in animo habetis ut dicatis: sic Christus concivium suorum tacitae obiectioni praeveniendo occurrit. — *Similitudinem,* παραβολήν, seu *proverbium,* aut *adagium vulgo iactatum* (1). — Non constat utrum proverbium hoc Nazarethani expresse, an solum interno mentis motu protulerint. Saepius Iesus intimas cordium cogitationes, quas scientia indita probe cognoscebat, exterius pandit.

[2] Sic ergo illi arguebant: O medice, qui extraneos curas, infirmos scilicet urbis Capharnaum, cura nunc concives tuos ad te specialiter pertinentes. — Notandum, ex dicendi modo, *quanta audivimus,* ὅσα ἠκούσαμεν, supponi, in notitia Nazarethanorum fuisse, plura mira Iesum in Capharnaum patravisse. — *In Capharnaum,* εἰς τὴν Καφαρναούμ, quasi in gratiam vel bonum huius civitatis.

[3] Obiecto sibi a Nazarethanis proverbio aliud Iesus proverbium opponit, quo significatur, hominem suis popularibus gratum non

* Sect. praeced., Ratio Sect., p. 107.

(1) Cf. Sect. XCVII, quaest. 1, p. 76.

nisi in patria sua, et in domo sua, et in cognatione sua [4]. (*a*) *In veritate dico vobis* [5]: *Multae viduae erant in diebus Eliae in Israel, quando clausum est caelum annis tribus et mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra* [6]; *et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniae, ad mulierem viduam* [7]. *Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta, et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus* [8]. Et repleti sunt omnes in synagoga ira,

(*a*) L. IV, 25-30.

esse. Huius autem ratio una est, ait S. Thomas ([1]), quia quando quis est in patria sua, facile reducuntur infirma eius in aliorum memoriam; et cum illum sibi in aliquo parem viderint, putant illum neutiquam sibi maiorem esse posse. — *Acceptus est*, δεκτός ἐστιν, id est, honori et existimationi habetur, ut patet ex opposito adiectivo, quo utuntur S. Matthaeus et S. Marcus, ἄτιμος.

[4] Non semper ab omnibus extraneis propheta honori habetur; sed a suis facilius contemnitur quam ab aliis, ob sociorum suorum invidiam vel superbiam: invidia enim aegre fert ut compares praeferantur sibi; superbia vero eorum imperfectiones magis advertit et exaggerat.

[5] Duo hic ponit Christus exempla ad comprobandum quomodo prophetarum concives privarentur insignibus beneficiis, quae tamen per eos Deus extraneis communicabat.

[6] De huiusmodi fame sermo est in tertio libro Regum ([2]), cum ad Eliae preces, pluvia de caelo non cecidit annos tres et, ut hic dicitur, menses sex. — In illo loco tres anni assignantur tanquam periodus siccitatis, quae tamen iam perduraverat, quando Elias in Sarepta se contulit. — *In omni terra,* id est, in tota Palaestina.

[7] Non est hic sensus, mulierem hanc fuisse de israeliticis viduis; sed sensus est, praetermissis viduis in Israel, Eliam ad hanc solam viduam Sareptanam fuisse missum. — Sarepta, vel Sarephta, vicus erat ad oram maris mediterranei, inter Tyrum et Sidonem, qui ab hac ultima civitate pendebat. Nomen habet hodie Surafend.

[8] Hic iterum sensus non est, Naaman fuisse unum de leprosis Israel, sed illum solum inter leprosos fuisse sanatum, ut in quarto Regum libro legitur ([3]). — In huius rei confirmationem legimus ([4]): *Quatuor ergo viri erant leprosi iuxta introitum portae, qui dixerunt ad invicem:*

([1]) Comment. in h. l. — ([2]) XVII, XVIII. — ([3]) V. — ([4]) 4 Reg., VII, 3.

haec audientes [9]. Et surrexerunt, et eiecerunt illum extra civitatem [10]; et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat aedificata, ut praecipitarent eum [11]. Ipse autem transiens per medium illorum ibat [12]. (*a*) Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum. (*b*) Et non poterat ibi virtutem ullam facere [13], nisi paucos infirmos impositis manibus curavit [14]: et mirabatur

(*a*) Mt. XIII, 58. — (*b*) Mc. VI, 5-6.

Quid hic esse voluimus, donec moriamur? Porro viri isti tempore Elisei vivebant.

[9] Haec fuit non ira per zelum, sed ira per vitium, inde derivata, quod illi se putarent a Christo vilipendi et gentilibus postponi.

[10] En quomodo ira Nazarethanos excaecavit, eosque ad excessum vindictae perduxit.

[11] Locus iste, *mons praecipitii* vocatus, duo circiter millia distat ab urbe Nazareth: a quo non longe sita est cappella Beatae Virgini paventi erecta ([1]), in memoriam pavoris atque formidinis, qua censetur fuisse correpta cum percepit Iesum in eo esse ut a Iudaeis e cacumine illius montis praecipitaretur. — Prostat, in veteri Testamento, exemplum similis supplicii, in libro secundo Paralipomenon ([2]): *Et alia decem millia virorum coeperunt filii Iuda, et adduxerunt ad praeruptum cuiusdam petrae, praecipitaveruntque eos de summo in praeceps, qui universi crepuerunt.* Sic quoque a Tarpeia rupe rei praecipitabantur, nisi quod in hoc ultimo casu, huiusmodi supplicii genus tanquam criminum mulctatio formaliter habebatur. — Sic ad litteram verificata sunt verba S. Ioannis ([3]): *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Ceterum, non semel leguntur Iudaei voluisse apprehendere Christum, ut illi nocerent ([4]).

[12] Ideo voluit tunc Christus sese e manibus Iudaeorum praeripere, quia tempus passionis eius divinitus praefixum nondum impletum erat, et opera ob quae missus fuerat a Patre, nondum perfecta; ceterum, aliud mortis genus elegerat, videlicet crucifixionem.

[13] Hoc dicitur, non de potentia Christi absoluta, sed de eius potentia ordinata: scilicet, ob eorum perversitatem, non decuit illum miracula ibi operari. *Aspernator enim Dominus invidorum est,* ait S. Ambrosius ([5]); *et ab iis qui divina beneficia in aliis persequuntur, miracula suae potestatis avertit.*

[14] Quaedam igitur miracula

([1]) Huic nomen est, *Notre Dame de l'Effroi.* — ([2]) XXV, 12. — ([3]) I, 11. — ([4]) Io., VII, 30, 44; VIII, 59; X, 39; XVIII, 6. — ([5]) L. IV in cap. IV Luc.

propter incredulitatem eorum [15], et circuibat castella in circuitu, docens [16].

fecit ibi Iesus, ne illi excusationem suae infidelitatis haberent. — Ex nomine graeco quo utitur S. Marcus ad significandum *infirmos,* scilicet ἄρρωστοι, infertur illos non graviter aegrotasse: ἄρρωστος enim proprie est *debilis :* unde verum est, tum Christum non fecisse virtutem ullam, scilicet magnam, tum illum paucos infirmos curasse.

[15] Quemadmodum olim Iesus de fide centurionis gaudens miratus erat; ita nunc visa concivium suorum perversitate, dolens miratur : abstinet igitur ab edendis prodigiis, quia congruum non erat ut inter incredulos miracula operaretur.

[16] Relicta sua civitate, Iesus ad illos transiit, de quorum sanctificatione spes certior habebatur. Sic postea acturi erant Apostoli ([1]).

QUAESTIONES.

I. — *Utrum universaliter verum sit, prophetam non esse acceptum in patria sua?*

Resp. Hoc dictum est secundum communiter contingentia, cum superbia et invidia saepe faciant ut homines aegre ferant compares sibi praeferri, et ut eos, quos sibi similes cognoverunt, considerent non secundum eorum virtutes, sed potius secundum eorum defectus. Id tamen in hominibus purgatis non contingit, qui proximum ex caritate Dei diligentes, de illius profectu et eminentia ob Deum sincero corde laetantur. Unde David sanctos prophetas Nathan et Gad, et ceteros sui regni vates honore prosecutus est.

II. — *Cur Christus de Elia et Eliseo, potius quam de aliis prophetis, ponit exemplum?*

Resp. Quia eorum facta, quae hic memorantur, suo proposito specialiter congruebant, et quia excellentes prophetae fuerunt, imo in gestis hic recensitis expressam Christi figuram gesserunt.

III. — *Quomodo Christus per medios concives suos transierit?*

Resp. Primo, potuit Christus divina virtute invisibilem se reddere, aut etiam visum hominum circumstantium immutare potuit; deinde, probabilius est eum eorum mentem subito immutasse, ac

([1]) Act., XIII, 46.

veluti stupefactam reddidisse, sicut tempore passionis sceleratos hostes prostravit, dicendo (1): *Ego sum.*

IV. — *Utrum, si Christus se invisibilem reddidit, hoc fuerit miraculum proprie dictum?*

Resp. Affirmative. Equidem, est in anima glorificata, virtute dotis subtilitatis, potestas se invisibilem reddendi: attamen, cum anima Christi, licet visione beatifica donata, passibili tamen corpori uniretur, et dispensatione divina permitteretur carni Christi agere et pati quae propria; ideo, non poterat anima Domini nostri, quin specialiter derogaretur legi relate ad eam divinitus statutam, corpus suum, ante resurrectionem, invisibile reddere (2).

(1) Io., XVIII, 5, 6. — (2) Cf. S. Thom., 3, Quaest. XLV, art. 2.

SECTIO CVI.

(Mt. X, 1; 5-8; Mc. VI, 7; L. IX, 1-2).

Argumentum. — *Missurus Salvator prima vice Apostolos ad praedicandum regnum Dei, virtutem eis impertit eiiciendi daemones et curandi infirmos, eisque generalia tradit vitae et praedicationis documenta.*

Ratio Sectionis. — Retulimus supra * electionem, a Christo factam, duodecim ex discipulis in Apostolos, *ut mitteret eos praedicare* **. Nunc igitur prima occurrit eorumdem missio, uti clare colligitur ex S. Marco, qui illam immediate recenset post narrationem adventus Iesu a Nazareth, et ante historiam decollationis S. Ioannis Baptistae. Primo loco Iesus Apostolos probe edocet, ad quosnam eos pergere conveniat, et quanam potestate illos instructos esse voluerit.

(*a*) ET convocatis duodecim discipulis suis, (*b*) coepit eos mittere binos [1], (*c*) praedicare regnum Dei et sanare infirmos [2]. (*d*) Et dabat illis (*e*) virtutem et potestatem super omnia daemonia (*f*), potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem [3]. (*g*) Et praecepit eis, (*h*) dicens:

(*a*) Mt. x, 1. — (*b*) Mc. vi, 7. — (*c*) L. ix, 2. — (*d*) Mc. vi, 7. — (*e*) L. ix, 1. — (*f*) Mt. x, 1. — (*g*) Mc. vi, 8. — (*h*) Mt. x, 5-8.

[1] Ideo binos mittebat Dominus Apostolos, ut eorum consecraretur testimonium, cum *in ore duorum vel trium testium* stet *omne verbum* ([1]), et ut unus auxilio alterius fulciretur ([2]).

[2] En duplex praedicatoris apostolici finis: gloriam Dei quaerere, et salutem hominum, tum spiritualem, tum etiam corporalem, procurare.

[3] Multiplicem hanc potestatem contulit originarie et velut in radice Dominus Apostolis in eo-

* Sect. LXX, Vol. I, p. 412. — ** Marc., III, 14.

[1]) Matth., XVIII, 16. — ([2]) Cf. Prov., XVIII, 19; Eccl., IV, 9

In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis. Sed potius ite ad oves, quae perierunt, domus Israel [4]. *Euntes autem praedicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum caelorum* [5]. *Infirmos curate, mortuos suscitate,*

rum electione ([1]): nunc igitur illammet eis, intuitu proximae missionis, confirmat. Talia autem Apostolis confert Dominus, quae nemo alius potest tribuere, et quae magnam hominibus afferunt utilitatem. — Distinctio languoris ab infirmitate attendi potest, vel penes diversitatem aegritudinum, scilicet incurabilium naturaliter, vel curabilium, vel penes distinctionem morborum spiritualium et corporalium. — Ulterius notandum, potestatem et virtutem in eo distingui, quod illa ad quamdam velut auctoritatem, haec ad efficaciam operandi pertineat: unde potestas sine virtute pene inutilis evadit; virtus sine potestate, quandoque temerariam se prodit. — *Ut,* ὥστε, quod est, *ita ut* possent eiicere.

[4] Non prohibet Christus Apostolis ne gentibus aliquando Evangelium regni praedicent: sed quia Iudaeis factae erant promissiones, ideo iubet ut eis prius veritas annuntietur, quatenus inexcusabiles fierent de sua incredulitate. Samaritani natione gentiles erant, a rege Assyriorum adducti, filiis Israel captis ([2]); et licet quinque Moysis libros reciperent, prophetas tamen respuebant atque cultum veri Dei multis vanis ac superstitiosis observantiis commaculabant ([3]). — *In civitates,* in graeco est, *in civitatem,* εἰς πόλιν. — Quod autem et gentibus aliquando praedicandum foret Evangelium, evidenter apparet ex hoc Apostoli ([4]): *Notum sit vobis, quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei, et ipsi audient.* Iudaeis autem pro maxima parte induratis, ad gentes Apostoli profecti sunt ([5]): *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes.* Huic autem Domini nostri monito correspondet quod ipsemet Christus, ante suam Ascensionem, eisdem Apostolis praecepit ([6]): *Eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae.*

[5] Per peccatum impeditur homo ab ingressu in regnum caelorum: ergo per hoc quod Christus venerit ad tollenda peccata mundi, homines ad adeptionem regni caelorum efficaciter disposuit. Huc enim tendere debet omnis bene ordinata praedicatio, ut homines inducat ad credenda, speranda et amanda ea quae sunt regni caelorum.

([1]) Cf. Sect. LXX,n. 6, Vol. I, p. 413 — ([2]) 4 Reg. XVII, 24. — ([3]) Cf. Sect. XXXV, Quaest. III, Vol. I, p. 236. — ([4]) Act., XXVIII, 28. — ([5]) Ibid., XIII, 46. — ([6]) Ibid., I, 8.

leprosos mundate, daemones eiicite [6]: *gratis accepistis, gratis date* [7].

[6] Dat Salvator Apostolis congrua et proportionata argumenta probandi doctrinam evangelicam, per potestatem miracula instrumentaliter patrandi. — Sciendum, verba, *mortuos suscitate*, νεκροὺς ἐγείρετε, in plerisque codicibus deesse.

[7] Per hoc denique vetat Christus, in spiritualium rerum communicatione, omnem prorsus simoniae labem: quam rem ita inculcat S. Petrus ([1]): *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei.*

QUAESTIONES.

I. — *Utrum Apostolis Dominus eamdem contulerit potestatem, quam ipse habebat, in ordine ad erectionem daemoniorum, necnon ad curationem infirmorum?*

Resp. Negative: ipse enim Christus daemones eiiciebat et languores curabat propria auctoritate et proprio Nomine: scilicet, ut Deus, principaliter; ut homo, tanquam instrumentum coniunctum divinitati; Apostoli autem nonnisi in Nomine Christi id praestabant; unde dicitur ([2]): *In Nomine meo daemonia eiiciunt.*

II. — *Utrum potestatem miraculorum Apostoli tanquam donum permanens possederint?*

Resp. Negative: sic enim debuissent habere omnipotentiam. Dicendum igitur, donum illud in eis fuisse imperfecte, seu per modum actus transeuntis, sic non ut quotiescumque vellent, potestatem illam exercerent, sed tantummodo cum illos ad hoc specialiter moveret Spiritus Sanctus, in finem annuntiandi et propagandi Evangelii ([3]).

III. — *Cur modo non fiunt miracula de quibus in praesenti littera?*

Resp. Quia miracula ordinantur ad probationem fidei; atqui fides iam est sufficienter comprobata; aliunde, omnium miraculorum maximum est, quod videmus totum mundum conversum ad praedicationem paucorum rudium piscatorum. Sed nec cessat Deus

([1]) 1 Ep., IV, 10. — ([2]) Marc., XVI, 17. — ([3]) Cf. op. n. DEL MIRACOLO, c. X, n. 6.

miracula facere, maxime ad testificationem sanctitatis suorum servorum.

IV. — *Cur prohibuit Iesus Apostolis ne in viam gentium abirent?*

Resp. Quia divinae Providentiae ordine statutum erat, ut Iudaeis primum praedicaretur Evangelium; gentiles vero a Iudaeis fidem reciperent, et in eis quodammodo insererentur, eo modo quo oleaster in bonam olivam insertur (1); secundo, quia sicut ignis primo agit in ea quae sunt prope, ita Deus gratiam salutis primo infudit Iudaeis, quorum multi iam per fidem erant dispositi; tertio, quia si primo ad gentiles ivissent Apostoli, Iudaei, qui hos odio prosequebantur, illorum praedicationem indignabundi reprobassent (2).

(1) Rom., xi, 17, 24. — (2) S. Thom., Comment. in h. l. S. Matth

SECTIO CVII.

(Mt. X, 5; 9-15; Mc. VI, 8-11; L. IX, 3-5).

Argumentum. — *Pronuntiat Christus mirabilem ad Apostolos suos discursum; et primo quidem eis vetat ne argentum vel aurum possideant; iubet vero ut, ubi domum aliquam ingressi fuerint, pacem illuc afferant; monetque ut si quando recepti non fuerint, pulverem pedum suorum excutiant.*

Ratio Sectionis. — Dubitandum non est quin ea, quae hic ponuntur, Christi monita, ad primam Apostolorum missionem pertineant: quandoquidem, quae his similia a S. Luca capite decimo * referuntur, eviden-ter dicta sunt a Christo non solis duodecim Apostolis, sed septuaginta duobus discipulis, postmodum ab eo designatis et ad praedicandum missis **.

(*a*) T ait ad illos, (*b*) praecipiens eis, (*c*) ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum [1]. (*d*) *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris* [2]: *non peram in via* [3], (*e*) *non panem, (f) neque duas tunicas, neque calceamenta, (g) sed calceatos sandaliis, (h) ne-*

(*a*) L. IX, 3. — (*b*) Mt. X, 5. — (*c*) Mc. VI, 8. — (*d*) Mt. X, 9-10. — (*e*) Mc. VI, 8. — (*f*) Mt. X, 10. — (*g*) Mc. VI, 9. - (*h*) Mt. X, 10.

[1] Christus Apostolis baculum tantum concedit, cui gradientes incumbant, mystice significans, debere operarium evangelicum soli divinae gratiae inniti. — *In via,* εἰς ὁδον, *in viam;* id est, pro itinere faciendo.

[2] Graece, pro *pecuniam,* est χαλκόν, *aes,* quo vocabulo idem graecum nomen apud S. Marcum vertitur; significat autem nummos minores, in oppositione ad nummos maiores, significatos per aurum et argentum. — *In zonis,* id est, in marsupiis vestris, quae solebant ad zonas εἰς τὰς ζώνας, mitti, ut ibidem in tuto essent.

[3] Vult Christus Apostolus suos omnibus exemplo esse perfectionis, maxime in paupertate ac plena in Deum fiducia: temporalium enim rerum sollicitudo impedit animi libertatem et hominem reddit minus expeditum ad praedicationis officium. Igitur vult benignus Dominus ut Apo-

* Vers. 3, seq. — ** Cf. infra, Sect. CLXX.

que virgam [4]: *dignus enim est operarius cibo suo* [5]. (*a*) Et dicebat eis [6]: (*b*) *In quamcumque autem civitatem aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit; et ibi manete donec exeatis.* (*c*) *Quocumque introieritis in domum, illic manete, donec exeatis inde* [7]. (*d*) *Intrantes autem in domum, sa-*

(*a*) Mc. VI, 10. — (*b*) Mt. X, 11. — (*c*) Mc. VI, 10. — (*d*) Mt. X, 12-14.

stoli sui divino se totos praesidio committant, iuxta illud ([1]): *Iacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet;* unde et videbimus eum postea illos indubitanter compellaturum ([2]): *Quando misi vos sine sacculo et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil.*

[4] Necessaria vitae Christus Dominus Apostolis non denegat, sed superflua resecari vult, ne Evangelii dilatationi impedimento evadant ([3]).

[5] Certum est divinam providentiam ministris altaris in temporalibus nunquam defuturam esse. Sane, valde mirabile est cernere quomodo Deus Ecclesiae suae, inter tot persecutionum gravamina, iugiter, etiam in temporalibus, adstiterit.

[6] Hucusque de itinere locutus est Christus. Iam de adventu et commoratione in determinato loco documenta tradit. Porro, magnum certe beneficium est, apostolicum virum hospitio excipere: unde non locupletiores aut nobiliores hospites sunt a sacris praedicatoribus eligendi; sed quos maior christianae vitae fama cohonestat. Sic Philippis Paulus apud Lydiam purpurariam divertit ([4]); sic, Thessalonicae, idem Apostolus, una cum Sila fuit apud Iasonem hospitio receptus ([5]).

[7] Hospitii facilem mutationem, tanquam inconstantiae signum, vetat Christus. *Alienum est a praedicatore regni caelestis,* ait S. Ambrosius ([6]), *cursitare per domos, et inviolabilis hospitii iura mutare.* — Notandum, apud S. Lucam ([7]), graece haberi: καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε, *et inde exeatis,* cum tamen latinus interpres habeat: *et inde ne exeatis:* at, ut consideranti patet, idem sensus est cum eo qui eruitur ex verbis S. Matthaei ([8]) et S. Marci ([9]). Vetantur igitur Apostoli hospitium mutare, de domo in domum ire, ne pro gulosis habeantur, aut videantur primos, qui illos honeste susceperant, iniuria afficere. — Notandum, dicere Christum: *Quocumque introieritis in domum,* vel ut habet S. Lucas ([10]): *In quamcumque domum intra-*

([1]) Ps. LIV, 23. — ([2]) Luc., XII, 35. 36. — ([3]) Vide infra, quaest. III, p. 126 — ([4]) Act., XVI, 15. — ([5]) Ibid., XVII, 7. — ([6]) Enarr. in Luc., l. VI, n. 66. — ([7]) IX, 4. — ([8]) X, 11. — ([9]) VI, 10. — ([10]) IX, 4.

lutate eam, dicentes: Pax huic domui [8]. *Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos* [9]. *Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel civitate* (*a*) *illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos* [10]. (*b*) *Amen dico vobis: tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhaeorum in die iudicii, quam illi civitati* [11].

(*a*) L. IX, 5. — (*b*) Mt. X, 15.

veritis, nulla facta domorum distinctione.

[8] Sancta haec et omnino christiana salutatio Apostolicis viris esse debet loco praefationis aut litterarum commendationis. Porro, duplicem debet homo Dei pacem receptori suo desiderare: exteriorem, scilicet quietem ab hostium impugnatione, et interiorem, nempe mentis et cordis tranquillitatem.

[9] Si incolis domus illius fuerit cor rectum et bene ad pacem dispositum, pax quam eis optastis illis revera obveniet: sin minus, vestra vos mercede, meritis debita, minime frustrabimini. Hoc Christus Apostolis praedixit, ne in contristationem aut desperationem labantur, cum viderint suam reiici praedicationem.

[10] Duo per excussionem pulveris e pedibus apostolicis significata includuntur. Primum, non esse imputandum Apostolis, si illi in damnationem ruant: id quippe suae malitiae adscribere debent: in cuius rei signum pulverem pedum excutiunt, quasi terra ipsa peccatis incolarum commaculetur. Alterum est, nihil viro apostolico ab iis percipiendum esse, qui Evangelium abiecerint, non victum, non hospitium, non pecuniam: quandoquidem illi digni non sunt, qui ministris evangelicis subveniant. Hoc Salvatoris documentum ad praxim deduxerunt Paulus et Barnabas, de quibus legitur ([1]): *At illi excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium* ([2]). — *In testimonium supra illos,* graece ἐπ' αὐτούς, quasi dicat, *contra illos.*

[11] Duo fidei nostrae dogmata, ex hac terribili Domini nostri sententia, comprobata manent: primum, circa diversitatem suppliciorum vitae futurae; alterum, circa magnitudinem culpae respuentium evangelicam praedicationem et ministros qui eam annuntiant persequentium.

([1]) Act., XIII, 51. — ([2]) Cf. Ibid., XVIII, 6.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum quae hic a Christo Apostoli praecipiuntur, omnia sint ad litteram accipienda?*

Resp. Negative; sed ratio habenda est potissime eius quod Christus intendebat, scilicet Apostolos, eorumque successores a bonis huius mundi animum omnino liberum habere debere, quo liberius ac sedulius rebus officii sui vacent; temporalium enim rerum possessio cordis sollicitudinem parit, atque impedit animi libertatem, et sic hominem minus expeditum reddit ad divinum praedicationis officium. Praedicatores ergo evangelici sola futuri saeculi bona quaerere debent, et omnibus quae possident libere renuntiare ([1]); sic quippe efficacius poterunt verbum Dei in cordibus hominum seminare.

II. — *Utrum vetuerit Christus Apostolis pecuniam habere?*

Resp. Christus, in legatione Apostolorum, ante suam passionem facta, eis praecepit ne quid tollerent in via, quia mittebantur ad notos, qui satis eis de temporalibus providerent, nec persecutionem eis inferrent; post passionem vero, cum mirabilia de Christo praedicare coeperunt et idola publice reprobare, tunc permissi sunt Apostoli secum ferre necessaria vitae, iuxta illud ([2]): *Quando misi vos sine sacculo et pera, numquid aliquid defuit vobis? sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram.* Ceterum et ipse Salvator aliquid tulit in via, scilicet peram et pecuniam, quorum Iudas custos fuit: nam cum Christus in coena ei dixisset ([3]): *Quod facis, fac citius,* putabant Apostoli illum ei dixisse ([4]): *Eme ea quae opus sunt nobis ad diem festum;* discipuli quoque intraverunt civitatem Samaritanorum cibos empturi. Ceterum, quod Christus non prohibuerit virum ecclesiasticum aliquid proprium, pro impenso labore, accipere, constat ex eo quod hic addit: *Dignus est enim operarius cibo suo;* cuius loco, apud S. Lucam legitur ([5]), *mercede sua;* unde proventus ecclesiastici tanquam officii stipendia rite habentur, et non solum tanquam purae eleemosynae, intuitu paupertatis oblatae.

III. — *Quomodo componitur S. Matthaeus* ([6]) *vetans Apostolis suis ne haberent calceamenta, aut virgam, cum S. Marco concedente, e contra* ([7]), *ut sumant virgam tantum, et sint calceati sandaliis?*

Resp. Quoad calceamenta, dicendum, sandalia esse incompleta

([1]) Luc., XIV, 33. — ([2]) Luc., XXII, 35, 36. — ([3]) Io., XIII, 27. — ([4]) Ibid., 29. — ([5]) X, 7. — ([6]) X, 10. — ([7]) VI, 8, 9.

calceamenta, nec reputari pro calceis: σανδάλια enim sunt soleae e corio vel ligno, quibus plantae pedum proteguntur; calceamenta vero, ὑποδήματα, totum pedem operiunt. Aut subintelligi potest Christum vetuisse ne duplicia calceamenta gestarent, eo scilicet sensu quo vetuit ne mutatorias vestes acciperent, quod eorum est, qui nimis solliciti sunt de necessariis huius vitae. — Quod vero ad virgam attinet, dici potest, primo quidem, aliud in S. Matthaeo, aliud in S. Marco significari. Et quidem, in illo dicitur: *Nolite vobis comparare,* μὴ κτήσησθε, *virgam:* in hoc vero, *ne sumerent,* μηδὲν αἴρωσιν, *virgam;* quasi dicat: si quis virgam secum habeat, ferat; qui vero non habet, non quaerat, sed illico proficiscimini: Deus siquidem vobis, ab omni sollicitudine liberis, ultro providebit. — Potest etiam dici, Christum Dominum discipulis concessisse virgam portare, sumpta virga litteraliter, ut scilicet illi ea innixi facilius possent longa subire itinera, necnon quoad significationem, quatenus Iudaeorum consuetudo erat ut doctores virgam ferrent in signum doctrinae, et in signum quod hi, quibus praedicabant, tenebantur eis de victualibus providere; noluisse tamen ut discipuli sui virga inniterentur, sumpta virga spiritualiter, pro innitentia animi super quamcumque rem temporalem; aut virgam concessit Christus viatoriam, negavit defensoriam, cum eiusdemmet praesidio illi solum inniti deberent.

IV. — *Utrum maior futura sit damnatio reiicientium praedicationem evangelicam, quam Sodomorum et Gomorrhaeorum?*

Resp. Certum est, peccata quorumdam Iudaeorum, eorum videlicet qui Christum occiderunt, et forte eorum qui occiderunt eius discipulos, graviora esse sceleribus Sodomitarum; praeterea, adest in horum peccato specialis malitia, quae in peccato Sodomitarum deerat, scilicet apertus contemptus veritatis manifestae et obstinatio in malo; unde in Spiritum Sanctum peccasse dicuntur Iudaei; aliunde, ceteris paribus, maior est damnatio malorum fidelium, quam infidelium, et tanto maius est peccatum, quanto maior est gratia quae spernitur.

SECTIO CVIII.

(Mt. X, 16-25).

Argumentum. — *In secunda parte sui sermonis, pergit Christus Dominus Apostolis suis monita tradens, de vera prudentia, de fiducia in adsistentia Spiritus Sancti, de tolerandis persecutionibus, et si opus fuerit de iisdem fuga declinandis.*

Ratio Sectionis. — Cum iam Dominus Apostolos instruxisset de eorum officio, necnon de necessariis ad victum et vestitum, modo illos erudit de periculis imminentibus, et quidem, hoc loco, de periculis ex parte hominum, et signanter ex parte falsorum fratrum, imo ipsorum parentum: quae quidem ad tempus futurum, id est, ad tempus Christi ascensionem subsequens, pertinebant: ex quo deducitur Dominum Apostolos suos praemonere voluisse de eis quae futura praevidebat. — Porro, quae hic et subsequentibus duabus Sectionibus ponuntur, a solo S. Matthaeo recitantur.

(*a*) ECCE [1] *ego mitto vos sicut oves in medio luporum* [2]: *estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae* [3]. *Cavete autem ab omnibus* [4]: *tradent enim vos in conciliis: et in synagogis suis flagellabunt vos: et ad*

(*a*) Mt. x, 16-25.

[1] Hoc adverbio innuit Christus, magnum quid se mox prolaturum esse.

[2] Ego, caeli et terrae creator, mitto vos, non ut leones, sed ut teneras, simplices ac timidas oves, undique lupis insidiantibus vallatas; id autem hoc fine facio, non solum ut lupos superetis, sed etiam ut eos in oves commutetis, et sic meam in vobis omnipotentiam manifestam faciam. — *Oves in medio luporum,* πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων, id est, oves *stantes* mediis lupis.

[3] Apostolos suos vult Christus circumspectos esse, providos et cautos, ne a lupis fallantur; simulque iubet eos esse sine simulatione aut duplicitate, ut lupos ipsos magistro suo lucrifaciant. — Vis graeci textus est: *Efficiamini ergo prudentes, quemadmodum prudentes sunt serpentes, et simplices, quemadmodum simplices sunt columbae.* Bene hic inducitur figura serpentis, qui facillime se abscondit, pericula fugit et damnum sibi illatum eludit. — *Simplices,* ἀκαίρατοι, id est, sinceri, sine fuco vel vafritie aut malo dolo.

[4] Ab hominibus vos ipsos observate et custodite, ne illi vo-

praesides et ad reges ducemini propter me [5], *in testimonium illis, et gentibus* [6]. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini* [7]. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* [8]. *Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium; et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient* [9]. *Et eritis odio omnibus propter nomen meum* [10]: *qui autem perseveraverit usque in*

bis gratiae detrimentum inferant, terrendo aut blandiendo.

[5] Id est, ut vos coram praesidibus, regibus et gentibus, testimonium de me feratis. Haec quidem ante Christi passionem non leguntur Apostolis illata, sed postea frequenter (1), ut patet de Iacobo et Petro, qui fuerunt ab Herode rege, ille quidem occisus, hic vero in carcerem trusus (2), necnon de S. Paulo, ante praesides Felicem et Festum adducto (3). — Notandum, graece legi *in concilia,* εἰς συνέδρια, quo significatur vis aut violentia quam passuri erant Apostoli. — In synagogis factas fuisse flagellationes, legimus in Actibus Apostolorum (4). — Non solum autem ante tribunalia, sed etiam ante magistratus traducemini, prout Paulus ante Agrippam (5), Petrus et Paulus ante Neronem, etc. — At consolamini: res ista cedet vobis gloriae et honori: causa enim Christi agitur: patiemini enim *propter me.*

[6] Id est, ut constanter fortiterque patiendo, tum Iudaeis, tum gentibus testimonio sitis meae virtutis et sanctitatis meaeque doctrinae.

[7] Debet quidem homo facere quod in se est, rite considerando quid aut quomodo respondere debeat; sed omnem sollicitudinem, quae pacem subvertat, excludere debet, quod quidem significatur hoc verbo *cogitare,* graece μὴ μεριμνήσητε, quod est *ne anxie praemeditamini,* aut cum sollicitudine inquirite. Hoc modo vetuit Dominus de victu crastino sollicitudinem (6).

[8] Suggeret vobis Spiritus Sanctus quid loqui debeatis, qui proinde per os vestrum loquetur, tanquam principalis causa locutionis vestrae. — Praesens, hic, pro futuro ponitur.

[9] Hoc quam frequenter evenerit, ipsa docemur historia: saepe enim, etiam hodiedum, videmus, in eadem, non solum carnali, sed etiam spirituali familia, membra quaedam, a Christo aliena, fideles Christi asseclas dire persequi.

[10] *Omnibus,* id est, cunctis perversis, quos in omni hominum coetu reperire est. Porro, causa

(1) Act., IV, 5-7, etc. — (2) Ibid., XII, 1-4. — (3) Ibid., XXIV, XXV. — (4) XXII, 19; XXVI, 11. Cf. 2 Cor., XI, 24. — (5) Act., XXV, 23. — (6) Matth., VI, 25.

finem, hic salvus erit [11]. *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam* [12]. *Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis* [13]. *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo ut sit sicut magister eius; et servo, sicut dominus eius* [14]. *Si patrem familias Beelzebub vocaverunt; quanto magis domesticos eius* [15]?

huiusmodi universalis persecutionis aperta est, scilicet Nomen Christi, id est gloriosa professio christianae religionis. Non est ergo cur gloriari debeat, cui nulla subest persecutio ferenda.

[11] Qui in fide et caritate, usque ad finem vitae praesentis, perseveraverit, beatitudinem consequetur: non enim inchoasse, sed consummasse, virtutis est. Ad rem S. Ioannes Chrysostomus ([1]): *Etiamsi enim vos a prioribus periculis eruam, gravioribus vos reservo;... nec finis erit insidiarum usque ad extremum halitum. Hoc enim subindicavit, cum dixit:* QUI AUTEM PERSEVERAVERIT USQUE IN FINEM, HIC SALVUS ERIT. — Pro, *qui perseveraverit,* graece est, ὁ ὑπομείνας, *qui sustinuerit.*

[12] Sic Dominus noster fugit in Aegyptum et saepius abscondit se; sic etiam Petrus de carcere ab Angelo liberatus, relicta Hierosolyma, fugit in alium locum; pariter, lapidato Stephano, fideles qui erant Hierosolymis, dispersi sunt per regiones Iudaeae; Paulus quoque, quaesitus a praeposito regis Aretae, fugit Damasco. Fugiebant autem, non timendo passionem, sed declinando, ut tribulationis occasio seminarium fieret Evangelii, ut ait Venerabilis Beda ([2]).

[13] Tacite obiicienti, aliquando defuturas Apostolis civitates Evangelio imbuendas, si ex una civitate in aliam fugerint, respondet Christus, id nunquam eventurum, sed semper, usque ad ultimum sui adventum, adfuturas civitates evangelizandas. Non solum Iudaei generaliter non convertentur, nisi instante secundo Christi adventu, sed multi etiam, usque ad illud tempus, se exhibebunt incredulos et hostes Evangelii.

[14] Haec ait Salvator, ut sui exemplo discipulos et fideles provocet ad inconcussam in persecutionibus patientiam.

[15] Iudaei non veriti sunt Christum Dominum Beelzebub vocitare, utique non per naturam, sed per participationem diabolicae pravitatis ([3]): unde nil mirum si eamdem eius quoque discipulis iniuriam sint illaturi. — *Patrem familias,* οἰκοδεσπότην, se nominat Christus, et merito: cum Ecclesiam, magnam fidelium familiam a se constitutam, gubernare non desistat.

([1]) Homil. XXXIII in Matth., n. 5. — ([2]) In h. l. — ([3]) Cf. supra, Sect. XC, n. 7. p. 42.

QUAESTIONES.

I. — *Qua ratione dicit se Christus Apostolos mittere in medio luporum?*

Resp. Cum unumquodque denominetur ab eo quod principalius est in eo, si quidem ratio in homine imperet, homo dicitur; si vero concupiscentia, tunc vocatur canis vel porcus; si ira, dicitur ursus vel leo; si crudelitas, lupus (1). Sensus igitur est Apostolos missos fuisse inter homines crudeles et truces, qui eos mitamortem quaererent, ut saepe fecerunt tyranni.

II. — *Cum ad hominem pertineat loqui, cur id dicitur a Spiritu Dei fieri?*

Resp. Cum aliqua actio a duobus causis procedit, quarum una est principalis, altera vero instrumentalis, a principaliori proprie denominatur; unde, cum Apostoli fuerint agentes instrumentales, et Spiritus Sanctus agens principalis, hinc tota actio a Spiritu Sancto proprie denominatur.

III. — *Utrum Christi promissio:* SPIRITUS PATRIS LOQUETUR IN VOBIS, *ad alios praeter Apostolos extendatur?*

Resp. Affirmative: legimus enim in Annalibus Ecclesiae, haud semel simplicibus puellis aut rudibus hominibus singularem collatam fuisse sapientiam, per quam philosophorum sophismata devincerent: hoc operante Spiritu Dei in commendationem humilitatis, atque in superbiae confusionem, iuxta illud Christi Domini (2): *Confiteor tibi, Pater,... quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.*

IV. — *Utrum Christi admonitio de fuga capienda, sit ad modum praecepti intelligenda?*

Resp. Potest interdum fuga sub praecepto cadere ut, puta, quando necessitas Ecclesiae vel Evangelii aut boni publici id exigat; quemadmodum de magno Athanasio legimus, illum ad necem quaesitum, fuga se hostibus subduxisse: ratio quoque periculi id interdum exigere potest. — Aliquando vero fuga consulitur, etsi non praecipiatur, quando scilicet maior ex fuga perfectio, propria vel aliena speratur. — Ulterius, fuga aliquando solummodo permittitur, ut si quis poenas inferendas valde metuit, nec manere

(1) S. Thom., in h. l. S. Matth. — (2) Matth., XI, 25.

tenetur. Denique prohibitum est fugere, quando fidei aut iustitiae periculum instet, aut ovibus concreditis scandalum paretur. Quae cum ita sint, patet exorbitasse Tertullianum cum, iam montanista factus, praefracte negaverit, licere christianis fugere.

V. — *Quomodo intelligendum est dictum Christi:* NON EST DISCIPULUS SUPER MAGISTRUM, *etc.?*

Resp. Si, ut hic casus est, per magistrum et dominum intelligatur Christus, tunc absolute dicendum est nullum hominem esse tanto magistro ac domino maiorem aut parem. Si vero quicumque magister et dominus intelligatur, tunc verbum istud formaliter intelligendum est, os: ut sensus sit: Discipulus, in quantum discipulus, super magistrum non est, id est non est maior aut doctior eo; item servus, secundum quod talis, super dominum suum non est, id est nec maior nec dignior eo esse potest; licet revera possit discipulus magistrum aut servus dominum suum, temporis progressu, scientia, sapientia, aut opibus superare ([3]).

VI. — *Cur ait Christus se a Iudaeis vocatum fuisse Beelzebub, cum id in Evangelio non legatur?*

Resp. Licet id expresse non legatur, credi tamen potest huiusmodi iniuriosum epitheton, una cum multis aliis conviciis, Salvatori impactum fuisse, maxime cum eum tamquam Beelzebub amicissimum pravi illi homines traducere ausi fuerint. — Potest etiam respectus haberi ad cuiusdam graeci codicis lectionem, ubi nomina *pater familias* et *domestici* in dativo ponuntur, ita ut legatur εἰ τῷ οἰκοδεσπότῃ Βεεζεβοὺλ ἐπεκάλεσαν, et sensus sit: si patri familias obiecerunt Beelzebub, quod est, exprobraverunt societatem et amicitiam cum Beelzebub, etc.

VII. — *Utrum in veteri quoque Foedere cognita fuerit excellentia Crucis, cui alludit Dominus, cum dicit:* SI PATREM FAMILIAS, *etc.?*

Resp. Affirmative, ut patet ex multis locis psalmorum, ubi tum necessitas, tum dignitas passionum, et quidem exemplo Christi passuri tolerandarum, expresse vel implicite celebratur, maxime cum lex dolorem patienter sustinendi non minus tunc quam nunc viguerit. Quocirca, dici non debet excellentiam virtutis patientiae non potuisse cognosci aut attingi, nisi exemplo iam passi Christi: nec huic obstant, ut aliqui dicunt, querelae vel lamentationes Iob aut Ieremiae, quae nec virtuti patientiae, nec amori Crucis ullo modo opponuntur.

([1]) Dionys. Cartus., in h. l. Cf. supra, Sect. LXXIII, n. 3, Vol. I, p. 429.

SECTIO CIX.

(Mt. X, 26-33).

Argumentum. — *In tertia parte sui sermonis, docet Dominus Apostolos, nihil esse opertum quod non revelabitur; non esse timendos eos qui occidunt corpus; illimitatam fiduciam in Patre habendam; denique illum, qui in terra Christum confessus fuerit, a se vicissim in caelis coram Patre confessioni habendum.*

Ratio Sectionis. — Cum Dominus noster Apostolis suis acres ac diuturnas praedixerit ex parte mundi persecutiones, nil mirum si eos ad animi fortitudinem speciali cura nunc armandos curet. Pulcra sunt de hac virtute S. Ambrosii verba *: *Non est mediocris... animi fortitudo, quae... sola defendat ornamenta virtutum omnium, et iudicia custodiat, et quae inexpiabili praelio adversus omnia vitia decernat, invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, dura adversus illecebras.*

(*a*) NE *ergo timueritis eos* [1]: *nihil enim est opertum quod non revelabitur; et occultum, quod non scietur* [2]. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, praedicate super tecta* [3]. *Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete*

(*a*) Mt. x, 26-33.

[1] Non curetis quid nunc patiamini propter me: quoniam veniet hora, in qua et vestra patientia et illorum perversitas dignam ac iustam sortietur mercedem. — Notandum, pronomen *eos* stare pro persecutoribus, de quibus superius.

[2] Veritas nequit penitus occultari: veniet tempus, quando lux tenebras pellet, seu Evangelica veritas ubique innotescet. — Possunt etiam verba ista referri ad manifestationem operum uniuscuiusque in die iudicii.

[3] Alludit Christus consuetudini in Palaestina vigente, domos planis tectis coronandi, aptis ut ex eis quis ad populum possit concionare. — *In tenebris,* idem est ac in mysteriis, parabolis et figuris; in aure vero, quasi secreto: sibivult autem Christus Dominus, suam debere doctri-

* L. 1 de Offic., c. 49.

eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam [4]. *Nonne duo passeres asse veneunt; et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro* [5] ? *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos* [6]. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est* [7].

nam palam et ubique praedicari. — Pro *in aure,* graece est, *in aurem,* εἰς τὸ οὖς.

[4] Ne cessetis ab opere bono, ob tormenta quae improbi vobis infligere possunt; Deus enim tanto omni persecutore amplius metuendus est, quanto maior et diuturnior est poena quam infligere potest. — Graece est: μὴ φοβεῖσθε ἀπὸ τῶν ἀποκτεννόντων τὸ σῶμα,. quasi dicat: *Ne metuatis vobis ab iis qui trucidant corpus.* — Rursus, loco, *in gehennam,* graece est, *in gehenna,* ἐν γεέννῃ.

[5] Ex cognitione quam vel de minimis habet Deus, et ex eius erga tenuia animalcula providentia, arguit Christus quanta debeat esse nostra in Patre caelesti fiducia. — Notandum, ly *multis* hic poni pro quacumque multitudine, etiam ingenti; unde sensus est: unus ex vobis melior est ac praestabilior apud Deum, avibus quibuscumque, etsi in maxima illae sint quantitate, cum passeres revera numerosissimi sint in Palaestina. — Pro *esse,* graece est, ἀσσαρίου, quod est *as diminutus,* quasi assis dimidium. — Argumentum valde eloquens: si passerculorum, qui fere nullius sunt usus et sine venustate garriunt, necnon tanquam noxii ab agris fugantur, Dei providentia curam gerit sollicitam, quanto magis vos ratione et fide exornatos paterno sinu Deus benignissimus complectetur!

[6] Roboratur argumentum de divina in nos providentia, ex re inanimata, qualis est capillus capitis nostri: quae enim numerata sunt, haec exacte custodiuntur, ne vel unum pereat. Non cadere capillum de capite, locutio est proverbialis, ad significandum nullum damnum alicui obventurum esse ([1]). — In graeco est: *Vestri autem etiam capilli,* ὑμῶν δὲ καὶ αἱ τρίχες, ex quo clarius apparet unitas argumenti.

[7] Qui me libera confessione, tamquam Dei Filium ac hominum Redemptorem agnoverit, vicissim a me coram Patre meo agnoscetur; qui autem, vel verbo, vel opere, vel utroque, me negaverit, a me vicissim coram

([1]) Cf. 1 Reg., XIV, 45; Act., XXVII, 34, etc.

illo negabitur, iuxta illud (1): *Si negaverimus eum, et ipse negabit nos.* — Ex hoc apparet, non satis esse ad salutem, fidem corde profiteri, nisi etiam quis eam ore confiteatur, iuxta illud S. Pauli (2): *Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* — In graeco est: *Omnis ergo qui confitebitur in me,* ἐν ἐμοί, *confitebor et ego in eo,* ἐν αὐτῷ, etc.: quasi dicatur: eum, qui mihi intime coniunctus, professus me fuerit, ego vicissim eidem intime praesens profitebor; iuxta illud (3): *Qui manet in me, et ego in eo.*

QUAESTIONES.

I. — *Utrum fortitudo sit specialis virtus?*

Resp. Affirmative: imo est una ex quatuor virtutibus cardinalibus, quae firmitatem animi praebet contra maxima pericula quae homini imminent, non solum in bello, sed etiam in particulari impugnatione, ne videlicet ob huiusmodi pericula a recta iustitiae vel caritatis via deflectat (4). Unde ait S. Ambrosius (5): *Perfecti est viri... non succumbere iis quae plerisque terribilia et formidolosa videntur; sed quasi fortem militem gravissimorum casuum sustinere incursus, conflictus subire, et quasi providum gubernatorem, navem in tempestate regere.*

II. — *Quisnam est principalior actus fortitudinis, aggredi, an sustinere?*

Resp. Principalior est actus sustinere, ad quem pertinet reprimere timores, quam aggredi, quo moderantur audaciae: tum quia sustinere est pugnare cum fortiori invadente, aggredi vero est invadere per modum fortioris; tum quia difficilius est non moveri a praesentibus periculis, ad quod pertinet sustinere, quam non moveri a futuris, quod est eius qui aggreditur; tum quia difficilius est diu manere immobilem, quod facit ille qui sustinet, quam subito motu moveri ad aliquod arduum, quod facit qui aggreditur: unde dicebat Aristoteles (6): *Quidam sunt praevolantes ante pericula; in ipsis autem discedunt: fortes autem e contrario se habent* (7).

III. — *Utrum timiditas sit peccatum?*

Resp. Affirmative, in quantum scilicet influit in appetitum rationalem, qui dicitur voluntas, ut haec refugiat facere id quod est

(1) 2 Tim., II, 12. — (2) Rom., X. 4. — (3) Io., XV, 4. — (4) S. Thom., 2 2ae, quaest. CXXIII, art. 2. — (5) L. 1 de Iacob et de vita beata, c. 8. — (6) 4 Ethic., c. 8. — (7) Cf. S. Thom., l. cit., art. 6.

secundum legem divinam, aut aliquam actionem prohibitam ponat: unde in Apocalypsi legitur (1): *Timidis et incredulis,* etc., *pars illorum erit in stagno ardenti et sulphure* (2).

IV. — *Cum dicat Dominus noster, passerem unum non cadere in terram sine Patre nostro, cur scribit S. Paulus* (3): NUMQUID DE BOBUS CURA EST DEO?

Resp. His verbis Apostolus exaltare intendit curam et providentiam Dei erga homines, quos legibus a se datis erudit in omnibus rebus, etiam in modo quo animalibus uti debent, quasi dicat, ea quae animalibus praescripsit Deus, non in eorumdem, sed in hominis gratiam praescripsisse, unde dicitur (4): *Novit iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia..*

(1) XXI, 8. — (2) S. Thom., l. cit., quaest. CXXV, art. 1. — (3) 1 Cor., IX, 9. — (4) Prov., XII, 10.

SECTIO CX.

(Mt. X, 34-42).

Argumentum. — *In quarta parte sermonis sui, docet Christus Apostolos suos se non venisse pacem mittere, sed gladium, nec dignum esse sibi discipulum, qui patrem et matrem plus quam se dilexerit; addit vero illum animam invenire, qui eam perdiderit, eumque Christum ipsum recipere, qui Apostolos receperit.*

Ratio Sectionis. — Sicut quae maioris momenti dicenda habent oratores, ad finem usque sui discursus amandant, ita duobus velut apophthegmatibus, quae pluris sunt facienda, sermonem suum Dominus claudit, volens ut Apostolorum mens ad ea incessanter recurrat: scilicet, primo, ad necessitatem crucis ferendae et sibi abrenunciandi, si opus sit, usque ad sanguinis effusionem; secundo, ad curam quam de Apostolis in temporalibus fideles debent habere.

(*a*) NOLITE *arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium* [1]. *Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam* [2]: *et inimici hominis domestici eius* [3]. *Qui amat patrem aut ma-*

(*a*) Mt. x, 34-42.

[1] Pacem veram Christus mundo attulit: nam et praedictus est futurus *princeps pacis* (1), et Angeli, eo vix nato, pacem mundo cecinerunt (2). At est et pax carnalis, mundana et in malo fundata: hanc Christus exclusum venit, cum consistat in consensu vel concordia malorum in iniquitate.

[2] Testatur hic Christus, ex apostolica praedicatione, dissensiones, inter ipsa eiusdem familiae membra, orituras, adeo ut eventurum saepe sit ut quis, ob Christi fidem, pacificae cum domesticis conversationi debeat valedicere. — Notandum, hic exhiberi iuniores adversus maiores suos, ad fidem conversos, consurgere; at contrarium quoque evenit.

[3] Verba haec Domini nostri ex Michaea desumpta sunt, ubi legitur (3): *Quia filius contume-*

(1) Is., IX, 6. — (2) Luc., II, 14. — (3) VII, 6.

trem plus quam me, non est me dignus; et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus [4]. *Et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus* [5]. *Qui invenit animam suam, perdet illam: et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* [6]. *Qui recipit vos, me recipit; et qui me recipit, recipit eum qui me misit.* [7]. *Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet;*

liam facit patri, et filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam: et inimici hominis domestici eius.

[4] Praescribitur hic ordo caritatis: scilicet, primo, Deus summe diligendus est; deinde, anima propria, postea proximus, denique proprium corpus. Inter proximos vero, maxime diligendi sunt parentes aut filii; at, nec propter horum amorem, recedendum ullo modo est ab amore et cultu divino ([1]).

[5] Totum vitae praesentis tempus, tempus est gemitus ac fletus, poenitentiae et pugnae contra hostes, tum externos, tum internos. — Notandum, hic, prima vice, Christum nominare crucem: nimirum, vult Apostolos suos huic salvifico symbolo, inde a suae missionis exordio, assuefieri. — Phrasis haec, *ferre crucem,* Christum habet auctorem; qui sacrosanctum Crucis suae mysterium nobis singulariter voluit commendare; ea autem phrasi fideles utuntur in eodem sensu, usque in praesentem diem. — Pro, *sequitur me,* graece est, *pone me sequitur,* ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου. — Ceterum, quanti sit momenti haec doctrina, apparet ex multis locis, in quibus Dominus noster eam inculcat ([2]); qui alibi mentem suam explicans ([3]), addit crucem esse tollendam *quotidie.* — Notandum denique, apud Iudaeos crucifixionem non fuisse usitatum supplicium, bene tamen apud Romanos; at cum hi in Iudaea imperarent, facile potuerunt Apostoli intelligere agi de atrocissimo mortis genere.

[6] Qui, cruce excussa, et abnegata fide, periculis, quibus ob fidei confessionem exponebatur, se contra fas subtraxerit, salutem amittet aeternam: qui vero, mei gratia, morti fortiter occubuerit, is certo se in aeternum servatum inveniet. Maxime hic martyrii excellentia commendatur, per quod homo ab omni tum culpae, tum poenae reatu liberatur ([4]).

[7] Qui recipit fidei praedicatores, rem Christo gratam facit, ac si de ipsa Christi persona ageretur; imo totam Trinitatem, a qua secundum humanitatem Sal-

([1]) Cf. S. Thom., 2 2ae, Quaest. xxvi. — ([2]) Matth., xvi, 24; Marc., viii, 34. — ([3]) Luc., ix, 23. — ([4]) S. Thom., 2 2ae, Quaest. cxxiv, art. 3.

et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet [8]. *Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum, in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam* [9].

vator missus est, ultro recepisse censetur.

[8] Qui recipit hominem apostolicum vel iustum, quatenus talem, id est, secundum quod existimatur habere tum missionem praedicandi, tum vitae sanctitatem, particeps est mercedis ipsi prophetae aut iusto debitae, etsi forsan inculpabiliter erret, cum ille interdum possit esse vel pseudo-propheta vel falsus iustus: talis namque receptio prophetae aut iusti ex caritate procedit et est actus misericordiae. Sic, apud leges civiles, qui fures aut haereticos receptant, eorum fiunt suppliciorum participes.

[9] Nullum opus bonum Deus sine praemio relinquit: aliunde nemo adeo pauper est, quin possit aliquod opus misericordiae perficere, cum regnum caelorum porrectione calicis aquae frigidae mercari valeat. — Notanda hic est Christi sapientia, qui hinc quidem Apostolis vetat superfluam de rebus temporalibus curam; illinc vero fideles potenter allicit, amplae mercedis promissione, ad eisdem liberaliter subveniendum. — Quod dicit, *minimis istis,* referri debet ad Christi intentionem de mercede non frustranda, etsi is, quem adiuvamus, minimus sit. — Notandum quoque, eamdem mercedem aliquem recipere, sive ille quem recipit, sit verus, sive sit falsus Apostolus vel propheta, dummodo intentionem habeat verum Christi Apostolum vel prophetam recipiendi, ut dictum est (1), et significatur per verba, *in nomine discipuli,* εἰς ὄνομα μαθητοῦ, id est, in quantum est discipulus Christi, et non ob motivum mere naturale.

QUAESTIONES.

I. — *Quotuplici modo separat Christus homines propinquos ab invicem?*

Resp. Duplici modo: primo, auferendo ab eis unionem carnalis affectionis, et consensum in malo; et haec est separatio spiritualis, necessaria quidem ad salutem, sine qua nemo potest esse servus vel discipulus Christi. Secundo, auferendo ab eis unionem convictus et cohabitationis, trahendo quosdam ad religionis ingressum: et haec est separatio localis, pertinens ad supererogationem (2).

(1) Nota praec. — (2) Dionys. Cartus., in h. l.

II. — *Quomodo componi possunt haec duo, invenire animam, et illam perdere?*

Resp. Attendendo ad duplicem significationem quam habere potest nomne ψυχή: scilicet, cum anima sit principium vitae, hinc per synechdochen adhibetur ad vitam significandam: porro, duplex est hominis vita, corporalis et spiritualis; unde sensus est, qui vitam corporalem, contra id quod fert lex divina, quaesierit, amittet spiritualem; qui vero illam pro Christo amiserit, spiritualem et aeternam inveniet.

III. — *Utrum martyrium perferre aliquando cadat sub praecepto?*

Resp. Imprimis, omnis christianus tenetur animo paratus esse martyrium perferre, ubi in confessione fidei catholicae requiratur: nec obstat martyrium esse actum perfectionis, actus vero perfectionis cadere sub consilio et non sub praecepto: interdum enim vel ipsi actus perfectionis cadunt sub praecepto, quasi de necessitate salutis existentes: sicut cum vir obligatione tenetur continentiae servandae propter absentiam vel infirmitatem uxoris. Igitur perfectio martyrii erit de necessitate salutis, quoties homo tenebitur officio fidem publice confitendi. Interdum vero potest quis martyrium perferre, licet hoc non sit de necessitate salutis, ut quando ex zelo fidei vel caritate fraterna sponte se martyrio offert (1).

IV. — *Utrum ex his Domini nostri verbis:* QUICUMQUE POTUM DEDERIT, *etc., inferre liceat, omni actu, etiam remissiori, gratiam augeri?*

Resp. Negative: cum enim gratiae meritum in anima actu non augeatur, nisi cum haec sit iam disposita ad huiusmodi augmentum recipiendum, anima vero non sit disposita ad augmentum gratiae actu recipiendum, nisi per hoc quod prorumpit in ferventiorem actum caritatis, hinc etsi homo, ex omni actu bono, accipiat quidem titulum et ius ad gratiae augmentum, istud tamen augmentum actu minime percipit, nisi quando ferventiorem elicuerit actum caritatis (2).

V. — *Cur signanter nominat Dominus aquam frigidam?*

Resp. Dicunt aliqui id poni, ad diminuendam operis qualitatem: quasi minus sit calicem aquae frigidae, quam calidae, porrigere. At melius dicendum, respectum hic haberi ad Orientis temperiem, ubi viatori, prae aestu sitienti et defatigato, gratissimus est haustus aquae frigidae, nec semper facilis inventu.

(1) S. Thom., 2 2ae, Quaest. CXXIV, art. 2, ad 1m. — (2) Cf. tr. DE GRATIA, Quaest. CXIV, art. 8, Appendix, n. 3, p. 425.

SECTIO CXI.

(Mt. XI, 1; Mc. VI, 12-13; L. IX, 6).

Argumentum. — *Egressi Apostoli, per civitates et castella Evangelium praedicant, daemonia eiicientes, aegros quoque ungentes et sanantes.*

Ratio Sectionis. — De narrationis ordine non sinunt nos tres priores Evangelistae ullo modo dubitare: inter quos tamen haec deprehenditur differentia, quod S. Matthaeus, qui instructionem Apostolis a Christo impertitam minute descripserat, praetermittit descriptionem eorum quae illi tunc gesserunt: quod tamen ab aliis duobus abunde suppletur.

(*a*) Et factum est, cum consummasset Iesus, praecipiens duodecim discipulis suis, transiit inde [1] ut doceret et praedicaret in civitatibus eorum [2]. (*b*) Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique [3].

(*a*) Mt. XI, 1. — (*b*) L. IX, 6.

[1] Cum terminasset Iesus praedictum sermonem, in quo regulam vitae dilectis Apostolis tradidit, transiit a loco in quo hunc sermonem fecerat; quisnam autem fuerit iste locus, sciri nequit, tacentibus Evangelistis. — *Cum consummasset praecipiens,* hebraismus est, pro *cum consummasset praecipere*.

[2] Intende, hic, civitates Iudaeorum, vel potius Galilaeorum, inter quos tunc versabatur Dominus: scilicet, huc referri debet quod legitur ([1]): *Sed potius ite ad oves quae perierunt domus Israel:* unde pronomen *eorum,* αὐτῶν, potius quam ad discipulos, videtur referendum ad nomen non expressum, quod tamen facile intelligitur, nempe *populus Galilaeae,* quem viderat Iesus labore fractum et passim iacentem ac pastore carentem ([2]), et ad quem decreverat Apostolos mittere, bonum evangelii nuntium allaturos. — Verba ista: *Egressi autem,* etc., referenda sunt ad id quod dictum fuit antea ([3]): *Misit illos praedicare,* etc. ([4]).

[3] Non solum per civitates, sed etiam per castella, id est, loca minora, circumibant Apostoli, divinum serentes verbum: quo docemur, nullum reputari debere ignobilem locum, ubi adsint ani-

([1]) Matth., x, 6. — ([2]) Ibid., IX, 36. — ([3]) Luc., IX, 2. — ([4]) Supra, Sect. CVI, p. 119.

(*a*) Et exeuntes praedicabant, ut poenitentiam agerent [4]; et daemonia multa eiiciebant [5]; et ungebant oleo multos aegros, et sanabant [6].

(*a*) Mc. VI, 12-13.

mae, etsi paucae, ad Deum convertendae. Apostoli vero praedicationem suam multis fulciebant curationibus: nimirum, tum corpora languida materialiter sanabant, tum animabus peccato deditis spiritualiter medebantur.

[4] S. Ioannes Baptista praedicationem suam inchoaverat, exhortans homines ad poenitentiam ([1]); similiter fecerat Christus Dominus; nec alio nunc modo legimus Apostolos egisse in principio suae missionis. Ex quo deducere licet, in poenitentia fundari spem salutis aeternae, quandoquidem poenitentia rite vocatur *secunda post naufragium tabula* ([2]).

[5] Ut lux veritatis intrare possit in animam, necesse prius est daemonem erroris et malae affectionis inde eiici.

[6] Per huiusmodi mirabiles sanationes, evangelica praedicatio vehementer confirmabatur. — Notandum vero, oleum, natura sua, sanativum esse; ideoque hucusque usum illius substantiae miraculum quodammodo obfuscare: cum alias Christus, ut ostenderet supra naturam esse quod agebat, rem contrariam adhibuerit, ut cum restituturus caeco visum, lutum admovit oculis eius, quo etiam sani oculi potuissent excaecari. At hoc non obstante, oleum voluit adhiberi, propter mysticam gratiae et sacramenti extremae unctionis significationem. Est enim oleum lucis fomentum, hilaritatis effectivum et significativum misericordiae Dei et gratiae Spiritus Sancti; aliunde volebat Christus, hoc symbolo, Apostolorum mentes disponere ad sacramentum extremae unctionis suscipiendum et administrandum.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum, cum hic dicatur* PRAECIPIENS, *Apostoli de praecepto obligarentur ad omnia servanda quae Christus eis proposuit* ([3])*?*

Resp. Negative. Etenim, pro verbo, *praecipiens*, in graeco est διατάσσων, quod est *ordinans:* quocirca, quae Apostolis pro-

([1]) Cf. Sect. XVI, Vol. I, p. 112, Sect. XXXIX. Ibid., 253. — ([2]) Cf. tr. n. DE POENITENTIA, Quaest. LXXXIV, art. 6, p. 70. — ([3]) Matth., X. Supra, Sect. CVII-CXI.

posuit Christus, haberi debent tanquam norma, qua ii dirigerentur, ut omnia ab eis fierent secundum regulam operis exercendi, et ad finem fructum intentum percipiendi.

II. — *Quid discriminis est inter docere et praedicare?*

Resp. Docere, διδάσκειν, magis designat actum aliquem profunde et minutatim erudiendi, adductis rationibus et exemplis, solutis quoque obiectionibus, et quidem, sive id fiat publice, sive privatim; praedicare vero, κηρύσσειν, est publice rem aliquam, cum quadam solemnitate et auctoritate, proclamare. Igitur Dominus noster aliquando suam doctrinam, velut e suggestu, coram multis, concionando, divulgabat; aliquando auditoribus, vel in parvo numero, particulatim exponebat: et haec quidem duo facere debet Christi minister.

III. — *Utrum Iudas quoque fuerit de numero Apostolorum quos hic Christus prima vice ad praedicandum misit?*

Resp. Affirmative, cum expresse sacer Textus de duodecim discipulis, id est Apostolis, mentionem faciat. — Ex quo docemur neminem sibi praesumere debere sibique securitatem repromittere; aliunde, ex hoc discere debemus, dona gratiae gratum facientis, verbi gratia, humilitatem, mansuetudinem, patientiam, donis gratiae gratis datae, qualia sunt expulsio daemonum, operatio sanitatum, scrutatio cordium, esse praeferenda.

IV. — *Utrum Apostoli oleum tamquam medicamentum adhibuerint?*

Resp. Negative; etsi enim oleum adhiberetur ad curanda vulnera (1), tamen, cum indiscriminatim legantur sanati quos Apostoli ungebant, unctio autem olei aegris multis, variis morbis pressis, sanandis de se sit impar, hinc dicendus est Christus huiusmodi unctionibus specialem virtutem communicasse, hoc utens elemento ob praedictam mysticam rationem (2).

V. — *Utrum unctio, de qua hic, apud S. Marcum, fuerit sacramentum extremae unctionis?*

Resp. Negative, cum huius sacramenti solus sacerdos sit minister, Apostoli vero nondum fuerint sacerdotalem dignitatem adepti; praeterea, quosvis aegros, etiam non moribundos, et non baptizatos, promiscue ungebant, cum tamen solis in periculo vitae decumbentibus atque baptismo tinctis sit hoc sacramentum dandum; de-

(1) Cf. Io., I, 6; Luc., X, 34. — (2) Supra, n. 6, p. 142.

nique, illa unctio semper coniuncta legitur cum aegrorum sanatione, sacramentum vero extremae unctionis non omnibus, quibus applicatur, sanitatem reddit. Dicendum igitur, hanc quam Apostoli dabant unctionem, fuisse proprie typum vel figuram sacramenti extremae unctionis, ut insinuat Concilium Tridentinum his verbis (1): *Apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum.* Igitur unctio illa erat in se mystica quaedam caeremonia, congruo symbolo significans Apostolos esse a Messia, seu a Christo missos, quem unxit Deus *oleo laetitiae prae consortibus suis* (2), et quidem ad divinae gratiae, quae sub olei nomine congrue figuratur, communicationem designandam (3).

(1) Sess. XIV, cap. I, de inst. sacr. Extr. Unct. — (2) Ps. XLIV, 8. — (3) Cf. tr. n. DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS, Quaest. I, art 3. n. 4.

SECTIO CXII.

(Mt. XIV, 6-13; Mc. VI, 21-29).

Argumentum. — *Suggerente Herodiade, postulat eius filia caput Ioannis Baptistae, qui, imperante formaliter Herode, decollatur in carcere.*

Ratio Sectionis. — Supra retulimus *, ex tribus Synopticis, reclusionem Ioannis Baptistae in carcerem, opera Herodis tetrarchae. Porro, quod Praecursoris decollatio evenerit dum Apostoli in sua prima missione occuparentur, apparet non solum ex ordine quem sequitur S. Marcus **, sed maxime ex iis quae hic Evangelista et S. Lucas referunt, scilicet finita hac missione, Christum duxisse Apostolos in desertum locum. Nimirum, ex S. Matthaeo accipimus ***, hoc fuisse quando discipuli Ioannis Christo magistri sui mortem nuntiaverunt. Hinc aliud non restat, nisi ut inferatur, Ioannem revera decollatum fuisse prima Apostolorum missione durante. — Notandum vero, factum decollationis Baptistae a S. Luca praetermitti, qui tamen introducit Herodem alludentem ad hoc factum ****. Duorum vero Evangelistarum, Matthaei et Marci, hic ita dearticulatius dramatis circumstantias refert, ut res gestas legentis oculis subiicere videatur.

(*a*) t cum dies opportunus accidisset [1], (*b*) die autem natalis Herodis [2], (*c*) Herodes natalis sui coenam fecit principibus, et tribunis, et primis Galilaeae [3]. Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, et saltasset (*d*) in medio,

(*a*) Mc. VI, 21. — (*b*) Mt. XIV, 6. — (*c*) Mc. VI, 21-22. — (*d*) Mt. XIV, 6.

[1] Verba ista S. Marci logice referuntur ad ea quae immediate antea posuerat (1), nempe de insidiis ab Herodiade in Ioannem structis, eo fine ut illum curaret occidi, necnon de incerta ac vacillante hac super re Herodis mente.

[2] Herodes hic est Antipas, filius Herodis magni, tetrarcha Galilaeae et Peraeae; Herodias vero soror erat regis Agrippae, et uxor Philippi fratris Herodis: quae ex hoc Philippo habuerat Salome, filiam saltantem hodierni convivii (2).

[3] Maiori pompa solebant olim reges natales dies suos, aut etiam

* Sect. XXXIII. — ** Vide cap. VI, inde a v. 14. — *** XIV, 13. — **** IX, 9.

(1) Vers. 19, 20. — (2) Cf. supra, Sect. XII, quaest. I, Vol. I, p. 86; Sect. XXXIII, p. 222, et LXXVII, p. 445.

(*a*) et placuisset Herodi simulque recumbentibus [4], rex ait puellae: *Pete a me quod vis, et dabo tibi.* Et iuravit illi: *Quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei* [5]. Quae cum exisset, dixit matri suae: *Quid petam? b)* At illa praemonita a matre sua, (*c*) dixit: *Caput Ioannis Baptistae* [6]. Cumque introisset statim cum festinatione ad re-

(*a*) Mc. VI, 22-24. — (*b*) Mt. XIV, 8. — (*c*) Mc. VI, 24.

dies initi regni celebrare, adhibitis tibicinibus et mimis, ac lautis appositis mensis ([1]). Attamen, de nullo alio in Scriptura recordatur celebratus dies natalis, nisi de Pharaone ([2]) et de Herode, utroque videlicet scelesto principe ([3]). — Tres igitur convivarum ordines ad symposium hoc accersivit Herodes: primo, principes, id est, proceres et magnates, qui videlicet civile gerebant officium; secundo, tribunos, qui auctoritate militari erant insigniti; tertio, primos Galilaeae, id est, primores speciali dignitate insignes, qui in variis Galilaeae urbibus habitabant. En, quot et quanti testes horrendi facinoris mox patrandi coadunati sunt! — Pro, *natalis sui,* graece est τοῖς γενεσίοις αὐτοῦ, id est, *natalibus suis.*

[4] Insolitum sane erat ut regii sanguinis personae mimos in festis agerent: at dici potest, cum S. Ioanne Chrysostomo, ipsam Herodiadem auctricem filiae fuisse, ut id illa faceret, quatenus optatum posset scopum obtinere ([4]). — Notandum, in graeco, pro *ipsius,* legi αὐτοῦ, masculine, quod evidenter erronee positum est pro αὐτῆς. — Verba, *simulque recumbentibus,* non sunt propositio incidentalis, sed reguntur a verbo *placuisset:* est enim in graeco: ἤρεσεν τῷ Ἡρῴδῃ καὶ τοῖς συναναχειμένοις.

[5] Temeraria omnino promissio, tum ob circumstantiam temporis, tum ob personam cui fiebat, tum ob promissionis amplitudinem. Fiebat enim promissio post coenam, cum rex cibis refertus et vino esset calefactus; fiebat impudenti puellae postquam saltasset et omnes simul recumberent; fiebat absque ulla restrictione: *Quidquid petieris, dabo tibi.* Luxuriae vitium est, mentis aciem obtundere et affectum tenebris obvolvere ([5]). — Notanda est flagrans oppositio inter modum loquendi regis, spirantem magnificentiam et liberalitatem, et stultitiam ipsius promissionis.

[6] Vox graeca προβιβασθεῖσα significat *impulsa, sollicitata* aut *inducta.* Aberat Herodias cum saltavit Salome: nam praeter

([1]) Cf. Ose., VII, 5. — ([2]) Gen., XL, 20. — ([3]) S. Hieron., Com. in c. XIV S. Matth., v. 6. — ([4]) Homil. XLVIII in Matth., c. 3. — ([5]) Cf. S. Thom., 2 2ae, Quaest. CLIII, art. 5.

gem, petivit dicens: *Volo ut protinus des mihi* (*a*) *hic in disco caput Ioannis Baptistae* [7]. Et contristatus est rex [8]: propter iuramentum autem, et eos qui pariter recumbebant, (*b*) noluit eam contristare [9]: sed, misso spiculatore, praecepit afferri caput eius in disco. (*c*) Et decollavit Ioannem in carcere [10]. (*d*) Et attulit caput eius in disco: et dedit illud

(*a*) Mt. XIV, 8-9. — (*b*) Mc. VI, 26-27. — (*c*) Mt. XIV, 10. — (*d*) Mt. VI, 28-29.

consuetudinem Iudaeorum erat, feminas una cum viris accumbere mensis in conviviis. Cum igitur Herodiadis filia statim e convivio esset egressa, matrem consuluit, quid sibi foret postulandum: quae respondit, nihil, nisi caput Ioannis Baptistae.

[7] Discum manu tenebat Salome, quem ei Herodias tradiderat, ne qua, in exequendo reo consilio, mora traheretur *Praemium saltatricis,* ait S. Ambrosius ([1]), *mors est prophetae.* — Notanda est impudentis oratricis impatientia, quae quatuor distinctis vocibus hoc loco exprimitur: *statim, cum festinatione, protinus, hic:* verebatur quippe petulans mulier, ne fervore regis refrigescente, petitione sua frustraretur.

[8] *Contristatus est rex.* περίλυπος γενόμενος ὁ βασιλεύς, id est, *valde tristis effectus est:* etenim, non poterat Herodes, etsi animo immitis et ob potatum vinum mente obnubilatus, non considerare quam odiosa res esset, talibus in adiunctis, sanctissimi viri caput, qui apud omnes magnae existimationi habebatur, iubere truncari.

[9] Falso iudicavit Herodes sibi nefas esse, a dato verbo recedere, cum iuramentum illud esset sine iudicio et sine iustitia factum; sed nec, ob hominum timorem, divinam legem, tantum facinus prohibentem, contemnere debebat. — Pro *contristare,* graece est ἀθετῆσαι, quod est *repudiare,* vel *reiicere,* scilicet a sua petitione. — Tantam certe non merebantur convivae existimationem, qui, sicut regis libidinis, ita etiam eius iniquitatis participes fiebant.

[10] Sic Praecursor non alio mortis genere occubuit, quam quod decebat prophetam ([2]). — *Spiculator,* σπεκουλάτωρ, nomen latinum, a *speculando* vel *custodiendo,* primum adhibitum est ad eos satellites designandos, quorum officium erat observare, ac denuntiare qui ad supplicium rapi deberent; postmodum vero, cum nomen referretur ad *spicula,* quae stipatores regii corporis gestare solebant, *spiculatores* dicti sunt ipsi carnifices.

([1]) L. III de Virgin., c. VI, n. 26 — ([2]) Act., VII, 52.

puellae; et puella dedit matri suae [11]. Quo audito, discipuli eius venerunt, et tulerunt corpus eius, et posuerunt illud in monumento [12]. (*a*) Et venientes nuntiaverunt Iesu. Quod cum audisset Iesus, secessit inde [13].

(*a*) Mt. XIV, 12-13.

[11] Gesta haec sunt in arce Machaeruntis, trans Iordanem sita, in loco ubi hic fluvius in mare mortuum influit. Celebria omnino sunt, de hoc Herodis facinore, S. Ambrosii verba ([1]). *Postremo, quod etiam omnes barbari horrere consueverunt, inter epulas atque convivia consummandae crudelitatis profertur edictum: et a convivio ad carcerem, de carcere ad convivium feralis flagitii circumfertur obsequium. Quanta in uno facinore sunt crimina!... Quis non, cum e convivio ad carcerem cursare videret, putaret prophetam iussum esse dimitti? Quis, inquam, cum audisset natalem esse Herodis, solemne convivium, puellae optionem eligendi quod vellet datam, missum ad Ioannem ob solutionem non arbitraretur? Quid crudelitati cum deliciis? Quid cum funeribus voluptati? Rapitur ad poenam propheta convivali tempore, convivali praecepto, quo non cuperet vel absolvi: perimitur gladio, caput eius adfertur in disco. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata epulis feritas vesceretur.* Herodiadem refert S. Hieronymus ([2]), Ioannis linguam acu discriminali confodisse, ut Fulvia linguam Ciceronis, ut vindictam in veriloquum membrum exerceret.

[12] Discipulis Ioannis, etiam dum hic carcere detinebatur, facta fuerat facultas magistrum conveniendi, ut patet ex hoc quod ab eodem ad Christum missi sunt, quaesituri utrum ipse esset Messias ([3]). Post Ioannis mortem, eius discipuli, qui vivente magistro invidos se Christo exhibuerant, coeperunt ei adhaerere. — Admirari atque adorare hic libet sanctissimum Dei consilium, qui Christi Baptistam ac insignem praeconem, quo inter natos mulierum maior non extitit ([4]), ad adulterae mulieris suggestionem incarcerari, atque ad petulantis ac vilis puellae instantiam occidi permisit. En quale pro nobis patientiae exemplum!

[13] Secessit inde Iesus, ut insidias Herodis, quem sibi, non minus quam Ioanni, infensum cognoscebat, humano modo declinaret, cum probe sciret tempus moriendi nondum sibi advenisse.

([1]) Loco cit., nn. 26, 29. — ([2]) L. III contra Ruffinum, n. 42. — ([3]) Cf. supra, Sect. LXXVII, Vol. I, p. 445. — ([4]) Matth., XI, 11.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum simulata, an vera fuerit Herodis tristitia?*

Resp. Herodis tristitiam simulatam fuisse vult S. Hieronymus, quasi dolorem affectaret astuta vulpes (1), timens videlicet ne odium populi in se excitaret, cum tamen revera caedis opportunitatem quaereret (2). Verba S. Doctoris relegisse iuvabit. *Consuetudinis Scripturarum est,* ait (3), *ut opinionem multorum sic narret historicus, quo modo eo tempore ab omnibus credebatur. Sicut Ioseph ab ipsa quoque Maria appellatur pater Iesu, ita et nunc Herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant. Dissimulator enim mentis suae et artifex homicidii, tristitiam praeferebat in facie, cum laetitiam haberet in mente.* — Attamen, melius dicitur, veram fuisse Herodis tristitiam: nimirum, etsi Baptistae mortem revera exoptaret et quaereret, non tamen modo tam crudeli et barbaro illam procurari voluisset, maxime cum timere posset ne, cum tale facinus apud vulgus innotuisset, seditio aliqua a populo moveretur. Implexus igitur erat et valde agitatus Herodis animus, ut solet criminosis personis evenire. — Notandum tamen, quod etiamsi diceretur Herodes ficte contristatus, non inde deduci deberet novi aut veteris Testamenti historiam describi secundum apparentiam tantum, et non secundum realitatem, ut voluerunt recentiores aliqui: aliud est enim alicuius personae simulationem historice recitare, aliud vero totam historiae seriem, non sicut realiter evenit, sed secundum quod alicui videri poterat, repraesentare (4).

II. — *Utrum Herodes iurisiurandi vinculo teneretur?*

Resp. Negative, cum de re graviter illicita ageretur; unde impie quidem iuravit, at magis adhuc impie iusiurandum adimplevit. Hoc quidem fecit humano prorsus affectu: scilicet, ne coram discumbentibus periurus aut fedifragus videretur; at, contra, fieri non potuit, quin nimia eius ferocitas omnium animos contra eum exasperaret. — Potest tamen dici, verbis, *licet dimidium regni mei,* non verum iusiurandum, sed speciem hyperbolis contineri, quasi diceretur: *Etiamsi magnum quiddam sit quod petis, impetrabis.* Imprimis enim imperio se Herodes abdicare non poterat, cum ex beneficio Caesaris regnaret, unde non erat in eius potestate illud in alium transferre; deinde, in eius pariter potestate non erat hominem innocentem occidere, hoc intelligendo de potestate qua posse

(1) Luc., XIII, 32. — (2) Matth., XIV, 5. — (3) Com. in c. XIV S. Matth., v. 8. — (4) Cf. Resp. Pont. Commiss. de Re Biblica, 23 Iun., 1905.

dicimur quae licite possumus: unde res ista, tanquam moraliter impossibilis, veri iurisiurandi materia esse non poterat.

III. — *Quo pacto Herodes Antipas rex appellaretur?*

Resp. Ex liberiore usu vocis, iuxta consuetudinem patriae, eo scilicet quia patrem habuerat regem, et ipsemet dominium exercebat: regis enim nomine, Iudaei, finitimaeque gentes, principes illos appellabant, qui alicui regioni imperarent.

IV. — *Quid de Herode, Herodiade eiusque filia evenit?*

Resp. Narrat Iosephus (1) quod cum aegre ferret Herodias, virum suum mere tetrarcham esse, Agrippa vero, eius frater, rex appellaretur, illi Romam asit ut Romam, ipsa comite, proficisceretur, a Caio imperatore regium nomen impetraturus. Caius vero, cum erga eum male esset affectus, nedum postulata reiecit, verum etiam tetrarchia privatum, Lugduni, in Gallia, exulare coegit, quem Herodias exulem inter aerumnas secuta est. Eius autem filia saltatrix, Salome dicta, Philippo patruo suo nuptui tradita, cum ex eo liberos non habuisset, Aristobulo, suo ipsius consobrino, deinde nupsit: eius vero mortis tempus et locus ignorantur (2). Porro non plenam meretur fidem quod de ea tradit Nicephorus (3), scilicet, cum aliquando super aquas gelu concretas ambularet, fracto gelu, submersam fuisse: eoque iterum coeunte, obtruncum remansisse illius caput.

V. — *Ubinam conditum fuit corpus S. Ioannis Baptistae?*

Resp. Sunt qui corpus S. Ioannis Baptistae, Sebaste, alio nomine, Samariae, sepultum arbitrantur; at simultas quae tunc temporis Iudaeos inter et Samaritanos fervebat, id vix credibile facit; nec, addit Calmet (4), satis argumenti est, quod sacra ipsius lipsana quarto Ecclesiae saeculo ibi culta fuerint, cum eo postea deferri potuerint. Sacrum vero Praecursoris caput Romae colitur, in Ecclesia S. Sylvestri, Papae et Martyris, quae proinde *in Capite*, scilicet Ioannis Baptistae, est appellata.

(1) Antiquit. l. XVIII, 7. — (2) Ioseph., ibid. — (3) L. I Hist. eccles., c. 20. — (4) Comment. litt. in c. XIV Matth., v. 12.

SECTIO CXIII.

(Mt. XIV, 13; Mc. VI, 30-33; L. IX, 10-11; I. VI, 1-3).

Argumentum. — *Apostolos, a praedicatione regressos, ad quiescendum in deserto loco dulciter Iesus invitat: quos mox turba magna requirit; Iesus vero cum discipulis suis in montem subit.*

Ratio Sectionis. — Ex S. Marco clare accipimus, et ex S. Luca pariter deduci potest, reditum Apostolorum immediate post Ioannis Baptistae decollationem evenisse; immo secessus Christi in desertum, quem S. Matthaeus sub finem praecedentis capitis generalibus tantum verbis recitavit, S. Marcus rationem dat, ut videlicet Apostoli paululum requiescerent. Nec dubium quin ad idem factum referatur id quod hac de re a tribus Evangelistis, Marco, Luca et Ioanne, ponitur, quod quidem rationem habet introductorii sermonis, relate ad multiplicationem panum et piscium in solitudine a Christo mox narrandam.

(*a*) ET convenientes Apostoli (*b*) reversi (*c*) ad Iesum [1], renuntiaverunt ei omnia quae egerant et docuerant [2]. Et ait illis: *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum* [3]. Erant enim qui veniebant et redibant

(*a*) Mc. VI, 30. — (*b*) L IX, 10. — (*c*) Mc. VI, 30-31.

[1] Cum omnes Apostoli simul rediisse legantur, coniectare libet tempus reditus eis a divino Magistro constitutum fuisse. Quale vero fuerit tempus huiusmodi, certitudinaliter dici nequit. probabiliter vero plures hebdomadas in hoc opere consumpserunt, cum civitates et castella Galilaeae evangelizare deberent. Potest autem dici Apostolos ad Iesum convenisse in Capharnaum, ubi sedem, ut diximus, fixerat. — Signanter vocantur hic *Apostoli*, cum munere apostolico praedicandi functi iam essent.

[2] En qualis esse debeat boni subditi agendi ratio: scilicet submittere se debet iudicio atque correctioni sui magistri, sincere ei pandens quomodo in verbo et in opere, dum iniunctum onus exequeretur, se gesserit. — Haec autem Apostoli cum gaudio Magistro suo referebant, laetantes, utique in Domino, quod res sibi ex voto successisset.

[3] Pius Magister ac Dominus, discipulorum labori compassus, respirationem eis, quietem ac solamen concedit: ad modicum tamen, cum cito sit homini apo-

multi; et nec spatium manducandi habebant [4]. (*a*) Post haec [5], abiit Iesus, (*b*) assumptis illis [6]. (*c*) Et ascendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsum, (*d*) qui est Bethsaidae, (*e*) trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis [7]. (*f*) Et cum audissent turbae, (*g*) et viderunt eos abeuntes, et cognoverunt multi; et pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, et praevenerunt eos [8]. Et exiens, vidit tur-

(*a*) I. VI, 1. — (*b*) L. IX, 10. — (*c*) Mc, VI, 32. — (*d*) L. IX, 10. — (*e*) I. VI, 1. — (*f*) Mt. XIV, 13. — (*g*) Mc. VI, 33-34.

stolico ad labores redeundum, et in eis usque ad finem perseverandum. — In graeco legitur: Δεῦτε ὑμεῖς αὐτοί, *Venite vos ipsi,* qui scilicet tantum laborastis. — *Pro pusillum,* ὀλίγον, in quibusdam codicibus legitur ηὐκαίρουν, *opportune, tempestive, per modum otii.*

[4] Multi ad Christum et ad Apostolos veniebant, et ab eis secedebant, sicut fluctus maris sibi invicem obviantes; unde eisdem Apostolis vel manducandi spatium deerat propter populi concursum.

[5] Verba haec S. Ioannis sunt, qui ea connectit cum verbis quibus Pascha, quod est tertium publicae Christi vitae, tanquam proximum annuntiat ([1]): qui etiam per similia verba secundum eiusdem Pascha designaverat ([2]). Praetermissa a Ioanne eorum narratio quae hoc anno operatus erat Iesus, ab aliis Evangelistis suppleta est.

[6] Pium consilium exequitur Dominus, secum assumens dilectos suos discipulos.

[7] Notandum, designationem hanc, *quod est Tiberiadis,* τῆς Τιβεριάδος, ab uno S. Ioanne fieri, in gratiam asianorum lectorum, quibus Palaestinae loca minus cognita erant. Nomen hoc huic urbi, ab Herode Antipa, qui eam ampliavit et ornavit, in honorem Tiberii Caesaris, impositum est.

[8] Cum Bethsaida Iulia sex vel septem circiter millia distet ab urbe Capharnaum, facile potuerunt turbae, oram lacus, cui forma ovalis est, circuiendo, illuc advenire, dum Iesus et Apostoli lacum traiiciebant; eo magis quod horum intererat tardo gradu procedere, quo plenius dilecti Magistri societate gauderent. — Porro, tanta iam Christus fama apud omnes gaudebat, tum ob miraculorum splendorem, tum ob suavis eloquentiae flumen, ut turbae avidissimae illum videndi et audiendi, se ab eius presentia avelli non sinerent. — *Pedestres* perrexerunt, πεζῇ, id est, *itinere pedestri:* quod utique dici potest, quamquam Iordanem traii-

([1]) Io., VI, 4. — ([2]) Io., V, 1; cf. supra, Sect. LXXXII. p. 1.

bam multam Iesus. (*a*) Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quae faciebat super his qui infirmabantur [9]. Subiit ergo in montem Iesus [10]; et ibi sedebat cum discipulis suis [11].

(*a*) I. VI, 2-3.

cere debuerint, sive ponte, qui prope fluminis ostium extabat, sive ratibus. — Primis hominibus, qui Capharnao profecti sunt, multi alii sese adiunxerunt, cum per varias civitates et castella transirent. Hos omnes celerrimos faciebat amor Christi et desiderium illum videndi et audiendi.

[9] Iesum e navi exeuntem cum discipulis suis turba magna circumdare coepit: intensus quippe erat multitudinis in Christum fervor et ardens devotio ob innumeras gratias, quas a benignissimo illius Corde recipiebant. — Quod hic dicit S. Ioannes, *sequebatur eum multitudo magna,* correspondet ei quod scribit S. Lucas ([1]): *Turbae secutae sunt illum:* nimirum, cum turbae ad locum advenissent, ubi navis Christum et Apostolos portans, appellere debebat, eosdem secutae sunt, cum hi iam e navi escendissent, in montem subituri.

[10] Ascendit Iesus in montem, docens nos exemplo suo terrena abiicere et caelestia toto affectu requirere: mons enim est locus aptus ad orationem, contemplationem atque instructionem. — Ex hoc colligitur, brevem omnino fuisse quietem Iesu et discipulorum: tamdiu scilicet perduravit, quamdiu in navi manserunt: nam multitudo, ut hic datur intelligi, et clarius postea apparebit ([2]), illos in montem secuta est.

[11] Ad magistrum proprie pertinet sedere, cum sessio doctrinae auctoritatem adiicere videatur ([3]). Sedens autem Dominus latitudinem terrae quam condidit circumspicit, incolis eius imo ex corde compatiens, atque auxiliari proponens.

QUAESTIONES.

I. — *De quonam actionum genere sermo est, cum dicuntur Apostoli retulisse Christo ea quae egerant?*

Resp. Sermo est de miraculis, quae illi patraverant: Christus enim Apostolis praeceperat ut docerent et doctrinam miraculis

([1]) IX, 11. — ([2]) Sect. CXV. — ([3]) Cf. Sect. XLV, n. 2. Vol. I, 283.

confirmarent (1). Revera, verbum ποιεῖν, quo hic utitur Evangelista, absolute ponitur pro *miracula patrare* (2); et eodem sensu testatur S. Lucas se primum de Domino nostro ea retulisse, quae *coepit facere,* ποιεῖν, *et docere* (3).

II. — *Ubinam fuit desertus locus Bethsaidae, ad quem Christus cum Apostolis suis divertit?*

Resp. Aliqui quidem assignant arenosam planitiem, et parvum sinum, quibus nunc nomen est Tabigah: scilicet in occidentali plaga lacus Genesareth, ad meridiem Capharnaum, prope Bethsaidam, patriam Petri, Andreae, Iacobi, Ioannis et Philippi. — At vero dicendum, tunc temporis, praeter hanc urbem, quae obscurior extitit, et cui Dominus imprecavit (4), aliam fuisse eodem nomine appellatam, sed clariorem, sitam scilicet in Gaulanitide, ad ripam orientalem Iordanis, in plaga septentrionali maris Tiberiadis; quae urbs a Philippo tetrarcha reaedificata erat, a quo nomen accepit Iulias, in honorem Iuliae, filiae imperatoris Augusti. Porro, cum dicat sacer Textus (5), Iesum cum discipulis transfretasse, et ulterius legantur discipuli (6), post multiplicationem panis, iussi praecedere Iesum trans fretum ad Bethsaidam, navem appulisse ad terram Genesar, et venisse Capharnaum, necessario inferendum videtur, hic non de Bethsaida, patria Petri et Andreae, agi, sed de Bethsaida Iulia.

III. — *Qua ratione multitudo miraculis Christi inducebatur ad illius sequelam?*

Resp. Licet quodcumque verum miraculum probe agnitum vim habeat hominem ad Deum convertendi, quatenus miraculum solius Dei opus est, qui suam hoc modo praesentiam potenter inculcat, Christi tamen miraculis specialis inerat virtus ex triplici capite. Primo, ob illorum frequentiam: siquidem, *qui tam multa vitia et malas valetudines vexationesque mortalium, tanta potestate sanaret, nullus omnino legitur antiquorum: ut enim taceantur quos iubendo, sicut occurrebant, salvos singulos fecit,... dicit Marcus: Et quocumque introibat in vicos, aut in villas, aut in civitates, in plateis ponebant infirmos,... et quotquot tangebant eum, salvi fiebant* (7). Secundo, propter hoc quod miracula huiusmodi in ipsa multitudine Christus faciebat: non solum ea faciebat coram hominibus, aut inter homines, sed prorsus *in* eis, quia eos sanavit: specialem autem vim habet gratia curationum, ut ipsos homines, qui beneficium

(1) Matth., x, 7, 8; Marc., vi, 7; Luc., ix, 2. — (2) Cf. Luc., ix, 7. — (3) Act., i, 1. — (4) Luc, x, 13. — (5) Matth., xiv, 13; Marc., vi, 32. — (6) Matth., xiv, 22 34; Io., vi, 17. Cf. infra, Sect. cxvii, seq. — (7) S. Augustin., Tract. xci., in Io., n. 3.

recipiunt, ad Christum benefactorem agnoscendum. Tertio, quia et miracula Christi confirmabant eius doctrinam, et vicissim eius doctrina confirmabat eius miracula, cum nequeat miraculum in gratiam falsae doctrinae unquam fieri. *Perpende,* ait S. Ioannes Chrysostomus (1), *quantam multitudinem eorum qui sanitatem acceperunt, praetercurrant Evangelistae, non unumquemque singillatim recensentes, sed uno verbo miraculorum pelagus immensum referentes.*

IV. — *Utrum omnes ob eumdem finem Christum sint secuti? Resp.* Diversi diversis de causis Christum corporaliter secuti sunt: quidam, ut aliquid reprehensionis in eius verbis aut actibus invenirent, quemadmodum pharisaei et scribae invidiosi; quidam, ut instruerentur et vitam suam corrigerent, ut studiosi et poenitentes; quidam, ut signa viderent et nova audirent, ut curiosi; quidam, ut suis sanitatem acquirerent, sicut de regulo dictum est; quidam ut corporaliter alerentur. Et quoniam Dominus Iesus, etiam secundum corpus, speciosus valde et eloquentissimus fuit et optimae habitudinis, verisimile est multos eum secutos fuisse, delectatos specie et eloquentia eius (2).

(1) Homil. XXVII, in S. Matth., c. I. — (2) Dion. Cartus., in h. l.

SECTIO CXIV.

(Mt. XIV, 1-2; Mc. VI, 14-16; L. IX, 7-9).

Argumentum. — *Herodes, audita fama Iesu, perplexus haeret, an sit ipsemet Ioannes quem decollaverat, et quaerit illum videre.*

Ratio Sectionis. — Praesens paragraphus, quam soli habent Synoptici, parentheticae digressionis instar, hoc loco opportune inseritur. Nimirum, ante Ioannis decollationem poni certe non debet, ut patet ex hoc quod Herodes Christum putaverit esse ipsum Ioannem redivivum; aliunde, cum Ioannes decollatus fuerit prima Apostolorum missione durante *, et cum Apostoli iam, finita hac missione, ad dilectum Magistrum reversi, una cum eo undequaque accersirentur, hinc commode deduci potest Herodem tunc, Christi fama valde permotum, a familiaribus suis sciscitatum fuisse quisnam tandem ille esset, de quo omnes tot et tanta mirabilia certatim referebant. Neque obstat quod S. Marcus id, quod hic narratur, ponat ante historiam de nece Ioannis Baptistae: nam ex indole narrationis evidenter eruitur hanc de nece historiam a Marco referri ad explicationem eius quod praemiserat **: *Quem ego decollavi Ioannem, hic a mortuis resurrexit:* unde mox addit Evangelista: *Ipse enim Herodes misit,* etc. — Verba, *ab eo,* probabiliter sunt glossa textui addita: desunt enim in plerisque et potioribus graecis codicibus.

(*a*) In illo tempore audivit (*b*) rex Herodes (*c*) tetrarcha famam Iesu, et (*d*) omnia quae fiebant ab eo [1]. (*e*) Manifestum enim factum est nomen eius [2]. (*f*) Et hae-

(*a*) Mt. XIV, 1. — (*b*) Mc. VI, 14. — (*c*) Mt. XIV, 1. — (*d*) L. IX, 7. — (*e*) Mc. VI, 14. — (*f*) L. IX, 7-8.

[1] Mirum est Herodem de Christi miraculis hactenus nihil intellexisse, licet Iudaea, et praesertim Galilaea, ubi regnabat, illius prodigiis resonarent. At recolendum, hominibus ambitiosis et saecularibus nihil curae esse res de religione pertractantes, ac nugarum loco haberi, et solum cum iam universalis rumor eruperit, curiosam eisdem illos aurem praebere — Vidimus supra (1), quomodo Herodes iste Ioannem Baptistam crudeliter necaverit. — Quo autem pacto appellaretur rex, dctum est supra (2).

[2] Licet Christus venerit in infirmitate carnis, unde *languores*

* Supra, Sect. CXII, Ratio Sect., p. 145 — ** Marc., VI, 16.
(1) Sect. CXII, p. 147, n. 10. — (2) Sect. CXII, quaest. III, p. 150.

sitabat [3], eo quod diceretur a quibusdam, *Quia Ioannes surrexit a mortuis* [4], a quibusdam vero, *Quia Elias apparuit* [5]; ab aliis autem, *Quia propheta unus de antiquis surrexit;* (*a*) alii vero dicebant, *Quia propheta est, quasi unus de prophetis* [6]. Quo audito, Herodes ait: (*b*) *Ioannem ego decollavi* [7]; *quis est autem iste, de quo ego talia audio?* (*c*) *Quem ego decollavi Ioannem, hic a mortuis resurrexit.*

(*a*) Mc. VI, 15-16. — (*b*) L. IX, 9. — (*c*) Mc. VI, 16.

nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit ([1]), voluit tamen apparere in virtute Dei, perficiens opera quae solus facere potest Deus: unde in promptu erat concludere, illum esse a Deo, sicut cum quis defert litteras annulo regis obsignatas, creditur ex voluntate regis processisse quod in illis contines tur. — Audierat igitur Herodes Christi miracula, et qualiter discipulos emitteret ad praedicandum, et per eos baptizaret.

[3] Incertus haerebat Herodes de iis quae in populo dicebantur de Iesu, cum alii eum crederent esse Eliam, alii autem illum dicerent esse Baptistam redivivum, alii vero unum ex prophetis. Conscientiae morsibus anxietas Herodis magnopere augebatur.

[4] Expavit Herodes, ne forte plagaretur ab homine qui tantae credebatur esse potentiae, sicut quinquagenarii fuerunt ab Elia plagati ([2]). Evidens autem est, eos qui existimabant Iesum esse Ioannem, illum numquam vidisse.

[5] Non dixerunt, *surrexit,* sed *apparuit,* quasi de paradiso reversus, cum scirent illum non fuisse mortuum, sed divinitus translatum ([3]). Cum igitur accepissent Eliam non mortuum, sed raptum fuisse et ideo rediturum. ex gravitate personae Iesu, ex libertate illius praedicationis, necnon ex miraculorum fama, inducti sunt ad credendum Christum esse ipsummet Eliam.

[6] Hoc putabant, quia relucebat in Christo spiritus prophetiae; qnemadmodum illum existimabant esse Ioannem ob vitae sanctitatem, aut Eliam ob splendorem miraculorum. — *Quasi unus ex prophetis,* ὡς εἷς τῶν προφητῶν: particula ὡς non similitudinem tantum, sed veritatem denotat, sicut in hoc ([4]): *Omnes enim habebant Ioannem sicut prophetam,* ὡς προφητήν.

[7] Hoc dixit Herodes, non peccatum suum ostentando, sed formidini suae blandiendo et consulendo. Ei tamen dici poterat illud Davidis ([5]): *Os tuum lo-*

([1]) Is., LIII, 4. — ([2]) 4 Reg., I, 9 seq. — ([3]) Cf. 4 Reg., II, 11. 12; Mal., IV, 5. — ([4]) Matth., XX, 26. — ([5]) 2 Reg., I, 16.

(*a*) Et ait pueris suis : *Hic est Ioannes Baptista: ipse surrexit a mortuis* [8], *et ideo virtutes operantur in eo* [9]. (*b*) Et quaerebat videre eum [10].

(*a*) Mt. XIV, 2. — (*b*) (*c*) L. IX, 9.

cutum est adversum te, dicens: Ego interfeci Christum Domini.

[8] Licet vulgi rumor ad aures Herodis pertulisset Iesum esse aut Ioannem Baptistam, aut Eliam, aut unum de antiquis prophetis, nihilominus ad solum Ioannem convertitur iniqui regis cogitatio, conscientia illum de atroci facinore graviter remordente.

[9] Graece, ἐνεργοῦσιν, id est, *agunt,* seu *efficaces sunt,* ac per signa et miracula se produnt. Haec forma dicendi peculiaris est Hebraeis, quibus Dei verbum, fames, bellum, exhibentur tanquam res anima instructae, ac divinis iussionibus obtemperantes. *Virtus* igitur hic significat prodigiorum potestatem, quae exhibetur ceu res vivens in Iesu Christo, atque in eo operans illa mirabilia.

[10] Non ex sincera et humili devotione, sed ex curiositate, praesumptioni admixta, optabat Herodes videre Iesum, eiusque miracula cernere: quod licet facile potuisset obtinere, superbia tamen et acidia impeditus fuit quominus ad Christi conspectum usque perveniret. At dici etiam potest Herodes Christi quoque mortem iam fuisse machinatus.

QUAESTIONES.

I. — *Quomodo componi possunt Matthaeus* ([1]) *et Marcus* ([2]), *referentes Herodem absolute asseruisse Ioannem a se occisum resurrexisse, cum Luca* ([3]), *referente illum dubium haesisse circa Iesum?*

Resp. Ex mala Herodis conscientia illa animi fluctuatio proveniebat, cum soleant male affectae conscientiae dubie haesitare, et ab una in aliam sententiam facile transilire. — Vel dici potest, Herodem primo quidem haesitasse, ob rumorum varietates, prout legimus apud S. Lucam; postea vero, ut habent S. Matthaeus et S. Marcus, credidit Iesum esse Ioannem, ob vitae sanctitatem et miraculorum famam, et quia multos discipulos congregavit et per Apostolos baptizavit.

([1]) XIV, 2. — ([2]) VI, 16. — ([3]) IX, 9.

II. — *Quomodo putare potuit Herodes Iesum fuisse Ioannem, cum Ioannes, secus ac Iesus, nullum signum fecerit?*

Resp. Herodes, et alii cum eo putarunt Ioannem, post suam resurrectionem, ad maiorem potestatem promotum fuisse, et ideo iam miracula agere, etsi, ante suam decollationem, nullum fecisset signum.

III. — *Utrum Herodes eiusque aulici metempsychosin probaverint?*

Resp. Dupliciter potest intelligi id quod hic refertur ab Herode eiusque aulicis de Ioanne prolatum: scilicet, aut de vera resurrectione, aut de transmigratione animae ab uno corpore in aliud. Porro, stando litterae textus sacri, rationabiliter potest dici Herodem, aliosque censuisse Ioannem revera a mortuis resurrexisse, quemadmodum et de aliquo propheta perhibentur existimasse, cum veram agnoscerent corporum resurrectionem. At, cum per illud tempus sententia de metempsychosi valde esset diffusa, hinc credi etiam potest Herodem aliosque censuisse Ioannis Baptistae animam ad corpus Iesu Christi accessisse, ut novas perfectioresque functiones expleret. Hinc mirum non est si, ut testatur S. Hieronymus (1), nonnulli hoc Evangelii loco abuterentur, ut pythagoricam metempsychosin tuerentur.

(1) Comment. in cap. XIV S. Matth., v. 1.

SECTIO CXV.

(Mt. XIV, 14-17; Mc. VI, 34-38; L. IX, 11-13; I. VI, 4-9).

Argumentum. — *Tertio iam appropinquante Paschate a baptismo Christi, multitudo maxima illum in deserto sequitur; Apostoli vero Iesu suadent ut eos dimittat, ob difficultatem cibos ibi sufficientes adinveniendi.*

Ratio Sectionis. — Stupendum illud Christi miraculum nunc refertur, quod Spiritus Sanctus a quatuor simul Evangelistis recenseri voluit: non enim dubitari fas est quin idem ab omnibus factum referatur, cum apud singulos mentio de quinque panibus et duobus piscibus multiplicatis aequaliter fiat, de quinque millibus hominum satiatis, necnon de duodecim qui superfuerunt cophinis. Quinimmo S. Ioannes, qui ea tantum referre solet quae a ceteris Evangelistis fuerant praetermissa, praesentem tamen historiam silentio premere noluit, ob intimam illius connexionem cum Eucharistiae promissione, quam ille solus postea narrat. A quo etiam solo edocemur temporis circumstantiam, et nonnullas magni momenti interrogationes atque responsiones. — Opportune autem historia huius insignis miraculi in duas partes dividitur: exhibitis, scilicet, primo, antecedentibus miraculum, secundo, nempe in Sectione sequenti, ipsomet miraculo.

(*a*) ERAT autem proximum Pascha, dies festus Iudaeorum [1]. Cum sublevasset ergo oculos Iesus, et vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum [2], (*b*) misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pa-

(*a*) I. VI, 4. — (*b*) Mc. VI, 34.

[1] Potest, ex proximitate festi Paschatis, ratio reddi tantae multitudinis congregatae, multis scilicet in urbem Ierosolymam euntibus. Iesus tamen ad hoc festum non ascendit, praepeditus malitia Iudaeorum (1).

[2] Antea dictum est (2), multitudinem magnam occurrisse, dum Iesus et discipuli transfretarent; nunc vero dicitur multitudo haec *maxima,* cum videlicet novae hominum catervae praecedentibus adiungerentur. Supponunt nonnulli accessum Domini et turbarum in desertum Bethsaidae evenisse sub vesperam, eosque in monte pernoctasse, et nonnisi altera die, a Domino miraculum patratum fuisse.

(1) Io., VII, 1. — (2) Sect. CXIII, n. 8, p. 152.

storem [3]. (*a*) Et excepit eos [4]; (*b*) et coepit illos docere multa (*c*) de regno Dei; et (*d*) languidos eorum (*e*), qui cura indigebant, sanabat [5]. Dies autem coeperat declinare. (*f*) Et cum iam hora multa fieret, (*g*) vespere autem facto [6], accesserunt ad eum (*h*) duodecim (*i*) discipuli eius [7], dicentes: (*k*) *Desertus est locus hic, et iam hora praeteriit*; (*l*) *dimitte turbas, ut euntes in castella villasque quae circa sunt* (*m*) *et vicos,* (*n*) *divertant et inveniant escas,* (*o*) *emant sibi cibos quos manducent,* (*p*) *quia hic in loco deserto sumus* [8].

(*a*) L. IX, 11. — (*b*) Mc. VI, 34. — (*c*) L. IX, 11. — (*d*) Mt. XIV, 14. — (*e*) L. IX, 11-12. — (*f*) Mc. VI, 35. — (*g*) Mt. XIV, 15. — (*h*) L. IX, 12. — (*i*) Mt. XIV, 15. — (*k*) Mc. VI, 35. — (*l*) L. IX, 12. — (*m*) Mc. IV, 36. — (*n*) L. IX, 12. — (*o*) Mc. IV, 36. — (*p*) L. IX, 12.

[3] Haec nunc animadversio secunda vice legitur, cum prius iam a S. Matthaeo recitata fuerit ([1]). Habebant quidem Iudaei pastores, sed malos; cum tamen melius sit esse sine pastoribus, quam malos illos habere. — *Misertus est,* ἐσπλαγχνίσθη, *commota sunt viscera eius.*

[4] Magna caritate excepit Christus humiles, qui in cordis simplicitate illum sequebantur. Supponendum autem est, Christum a monte tunc descendisse, quo facilius languidos curaret, cum legatur, patrato miraculo, sub finem huius diei, in montem *iterum* ascendisse ([2]).

[5] Curationes, tum corporales, tum spirituales, doctrinae coniungit Christus, qui propriae quietis oblitus, nullum vel importunum a se abigit.

[6] Tempus quo insigne miraculum patrandum erat propius describitur: scilicet post meridiem, ad vesperam. At prima haec est vespera, quae apud Hebraeos, declinante in occasum sole, incipiebat, secunda scilicet vel tertia post meridiem hora, distincta ab illa vespera, qua dies clauditur, quae est cum iam sol occidit et nox insedit ([3]).

[7] Duodecim Apostoli, utpote Christo magis familiares, ad eum libere accedunt, pro turbis illum deprecantes.

[8] Ex compassione haec proferunt Apostoli, licet imperfectio quaedam in eorum verbis se prodat: non considerabant videlicet turbam posse a Christo miraculose refici, et timebant ne homines illi, dum manerent cum Christo, fame periclitarentur. — Pro hoc S. Marci ([4]): *Iam hora praeteriit,* habet graecus: ἤδη

([1]) IX, 36; cf. supra, Sect. LXIX, Vol. I, p. 409. — ([2]) Vide ult. verba Sect. CXVII, p. 171, 172. — ([3]) Vide l. ult. cit, n. 10. — ([4]) VI, 35.

(*a*) Iesus autem dixit eis: *Non habent necesse ire; date illis vos manducare* [9]. (*b*) Et dixerunt ei: *Euntes emamus ducentis denariis panes, et dabimus illis manducare* [10]. Et (*c*) dixit ad Philippum: *Unde ememus panes ut manducent hi* [11]? (Hoc autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat quid esset facturus) [12]. Respondit ei Philippus: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid*

(*a*) Mt. XIV, 16. — (*b*) Mc. VI, 37-38. — (*c*) I. VI, 5-7.

ὥρα πολλή, quod reddi potest: *Dies iam multa processit.* — Ex his deducere licet, hinc quidem, quam libenter turbae verba audierint quae de ore Iesu procedebant; illinc vero quanta sedulitate Apostoli iam incipiant curam populorum gerere.

[9] Dixit haec Dominus, vel tentans num suam virtutem Apostoli agnoscerent, quod tantam multitudinem ipsemet alere posset, vel ad insinuandum eos, si credidissent, potestatem turbam hanc alendi fuisse recepturos. Tentavit igitur Dominus Apostolos, sicut inferius singillatim Philippus tentatus narratur, quatenus postea, tarditatem suae fidei agnoscentes, ultro se humiliarent.

[10] Discipulis mens non erat id opere exequi, sed tanquam rem sibi ob inopiam impossibilem contemplabantur: quasi dicerent: Cum pauperes simus, tanta nobis pecunia non suppetit, ad cibaria istis sufficientia coemenda. Quocirca haec discipulorum responsio quasi per interrogationem facta legenda est, prout est in graeco: scilicet, quasi per ironiam rem impossibilem proponunt. — Ducentorum denariorum summa, iuxta plures, aequivalet circiter centum septuaginta francis.

[11] Philippum nunc alloquitur Christus, forsitan maioris familiaritatis causa, cum primus omnium ad apostolatum vocatus fuerit. — Haec Christi interrogatio non contradicit praecedentibus Apostolorum verbis, cum diverso tempore utrumque proferri potuerit.

[12] Non sciscitabatur Christus consilium, non postulabat auxilium: sed tentabat, id est, experimentum sumere volebat, non ut in malum induceret, sicut diabolus; nec ut ipsemet cognosceret, cui omnia erant aperta; sed ut ipsimet discipulo manifesta fieret modicitas eius fidei, qui si fidem congruam habuisset, miraculum ipsemet patrare potuisset. Denique, ex his Christi verbis, maius profecto videtur miraculum, quod non tanti factum fuisset, si nullus praecessisset apparatus. — Consulto haec parenthesis a S. Ioanne ponitur, qui semper intentus est in suo Evangelio Christi divinitatem in clara luce ponere.

accipiat [13]. (*a*) Et dicit eis: *Quot panes habetis? Ite, et videte* [14]. Et cum cognovissent, (*b*) dicit ei unus ex discipulis eius, Andreas, frater Simonis Petri [15]: *Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces; sed haec quid sunt inter tantos?* (*c*) At illi dixerunt: *Non sunt nobis plus quam quinque panes, et duo pisces* [16]; *nisi forte nos eamus, et emamus in omnem hanc turbam escas* [17].

(*a*) Mc. VI, 38. — (*b*) I. VI, 8-9. — (*c*) L. IX, 13.

[13] Non contradicit Philippus ei quod superius dixerant Apostoli: nimirum, ut fieri solet, re aliqua proposita, variae proferuntur sententiae; unde Philippus, re maturius considerata, id nunc plane insufficiens declarat, quod aliis sufficere visum fuerat.

[14] Quo pluris facerent discipuli miraculum quod Christus erat patraturus, voluit eos prius de eorum penuria certiores reddi.

[15] Responsionem hanc, quam Ioannes in ore unius Andreae ponit, ceteri Evangelistae ab omnibus simul Apostolis prolatam referunt. Tota siquidem societas facere, pati vel dicere fertur, quod facit, sustinet vel dicit pars una vel altera.

[16] Hordeaceo, non tritico, pane vulgus utebatur ([1]), qui pauperum cibus erat et vilior reputabatur; pro *pisces* vero, habet quidem graecus textus S. Lucae ἰχθύες; sed in S. Ioanne est ὀψάρια, quo nomine significatur id quod ultra panem in cibum adiicitur, seu opsonium: nimirum, pisces illi erant assi vel sale confecti.

[17] Admirari hic libet, hinc quidem caritatem Apostolorum, ultro se exhibentium ad congruas pro illa multitude escas comparandas; illinc vero eorum fidei tarditatem, cum de miraculo a Magistro postulando ne cogitarent quidem: ex quo etiam Evangelistarum sinceritas sponte se prodit, cum apocryphorum mos sit stupenda quaeque ubique introducere.

QUAESTIONES.

I. — *Quonam tempore evenit praesens de panum multiplicatione historia, et subsequens sermo de promissione Eucharistiae?*

Resp. Evenit paulo, id est, octo forsan vel decem dies, ante tertium Pascha: unde uno circiter anno, antequam Eucharistiam formaliter institueret, suorum discipulorum animos ad tantum susci-

([1]) 4 Reg., VII, 1, 16, 18.

piendum beneficium praeparare voluit sapientissimus Dominus; ita ut saepius dilecti Magistri verba perpenderent, et sic tanti sacramenti susceptio illis ex abrupto non daretur: ex quo docemur non debere sive adultos, sive pueros, ad sacrae communionis susceptionem impraeparatos admitti.

II. — *Cur dixit Christus discipulis suis:* DATE ILLIS VOS MANDUCARE, *cum probe sciret tanta eis cibaria non esse?*

Resp. Hoc dixit, primo, ad insinuandum quod si discipuli habuissent fidem sicut granum sinapis, certi fuissent se prece sola obtinere a Deo posse escas turbae sufficientes; secundo, intelligi potest hoc dictum per modum propheticae praenuntiationis, ut Christus intelligatur haec dixisse, quia probe sciret mox esse futurum ut Apostoli turbis darent manducare quantum indigebant; tertio, ad significandum, Apostolis dandam esse amplissimam potestatem gregem Christi in spiritualibus pascendi.

III. — *Utrum putaverint Apostoli ducentorum denariorum summam in loculis Domini fuisse?*

Resp. Negative: ex indole enim verborum Apostolorum, potius eruitur tantam pecuniae vim, quae quidem tanquam minimum quid proponebatur ad illam multitudinem alendam, in loculis Domini minime fuisse, cum potius mirari videantur rem a se velut impossibilem postulari.

IV. — *Utrum suppetat, in Veteri Testamento, exemplum miraculosae multiplicationis panum?*

Resp. Affirmative: sic enim legimus, in quarto libro Regum (1), Eliseum prophetam viginti panibus hordeaceis pavisse centum viros, ita ut superesset. Quocirca, dicendi sunt Apostoli tardos se in fide exhibuisse, cum huiusmodi exemplo excitari debuissent ad fidem in potentia sui Magistri habendam: at vero de tali miraculo ne cogitabant quidem, etsi in missione, ex qua modo redierant, tot argumenta experti erant illius virtutis.

V. — *Utrum Apostoli victum secum attulerint?*

Resp. Id certo nequit determinari; nec enim dici potest ad eos pertinuisse quinque panes hordeaceos et duos pisces, cum ille apud quem cibus iste reponebatur, vocetur παιδάριον, *puerulus,* quod nomen Apostolis certe vix convenisse dixeris; praeterea, de rebus istis sermo est, quasi ad alios, quam ad Apostolos, pertinerent.

(1) IV, 42-44.

SECTIO CXVI.

(Mt. XIV, 18-21; Mc. VI, 39-44; L. IX, 14-17; Io. VI, 10-13).

Argumentum. — *Iubet Dominus ut sibi cibaria, quae ad manum erant, adferantur: cum vero praecepisset homines discumbere, omnes misericorditer pascit, multiplicatis mirabiliter quinque panibus et duobus piscibus, collectis etiam duodecim cophinis fragmentorum qui superfuerant.*

Ratio Sectionis. — Cum iam impotentia discipulorum, in pascenda illa multitudine, ultro se prodidisset, nunc Dominus noster, ipsum impellente misericordia, indigentiae turbae liberaliter subvenit, simulque figuram relinquit Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti, quod post annum erat instituturus. Haec est prima mirabilis panum multiplicatio, cui alteram successisse mox videbimus *.

(*a*) Qui ait eis: *Afferte mihi illos huc* [1]. (*b*) Erat autem foenum multum in loco [2]. (*c*) Et praecepit illis, ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride foenum. (*d*) Et ita fecerunt. Et discumbere fecerunt omnes. (*e*) Et discubuerunt in partes, per centenos et quinquagenos [3]. Et acceptis quinque panibus et duobus pisci-

(*a*) Mt. XIV, 18. — (*b*) I. VI, 10. — (*c*) Mc. VI, 39. — (*d*) L. IX. 15 — (*e*) Mc. VI, 40-41.

[1] Iusserat Dominus Apostolis: *Date illis vos manducare.* His igitur suam impotentiam ultro confitentibus, en ipsemet benignissimus Christus manum operi admovet, iubens ut ad se, tanquam ad Dominum universi, panes illi afferantur.

[2] Respondet haec descriptio circumstantiae temporis superius notatae, scilicet proximi Paschatis; cum circa hoc tempus herba succrescens viridis foeni abundantiam suppeditet in Palaestina. — *Foenum multum,* χόρτος πολύς, *gramen multum,* scilicet *viride*, ut mox expressius dicitur.

[3] Potuit hoc modo faciliter fieri multitudinis computatio. — Pulcra autem hic habetur Ecclesiae figura, quae etsi per tot dioeceses distincta, una tamen est, sub uno pastore Christo Domino. — Notandum hic, apud S. Lucam

* Sect CXXXI.

bus, intuens in caelum [4], (*a*) cum gratias egisset [5], (*b*) benedixit [6], et fregit panes, et dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos; et duos pisces divisit omnibus [7]; (*c*) discipuli autem turbis, (*d*) quantum volebant. (*e*) Et manducaverunt

(*a*) I. VI, 11. — (*b*) Mc. VI, 41. — (*c*) Mt. XIV, 19. — (*d*) I. VI, 11. — (*e*) Mt. XIV, 20.

legi ([1]): *Facite illos discumbere per convivia quinquagenos,* κλίνατε αὐτοὺς κλισίας ὡσεὶ ἀνὰ πεντήκοντα; at, ut advertit S. Augustinus ([2]), S. Lucas partem dixit, et S. Marcus totum. — Notandum ulterius, illud S. Marci, *secundum contub rnia,* graece legi, συμπόσια συμπόσια, id est, *contubernia contubernia,* vel *convivia convivia,* phrasi scilicet hebraica, qua, pro distributivis nominibus, vocabula geminantur. — *In partes,* πρασιαὶ πρασιαί, id est, *areolatim* vel *per areolas:* est enim πρασία, *area* vel *areola,* locus consitus in horto, figura quadrata. — Minutatim haec describit Evangelista, ut sciamus, coram Iesu non fuissse multitudinem confusam, sed bene dispositam.

[4] Christus in caelum adspexit, primo, ut nobis exemplum daret ad Deum pro beneficiis semper recurrendi; secundo, ad significandum quod totam suam virtutem et efficaciam repeteret a Patre.

[5] Gratias egit Christus, ut nos doceret quantum sit officium reddendae gratiae, quo etiam Deum nobis propitium reddimus, ad nova beneficia ab eo impetranda. — Verbum εὐχαριστήσας, quo utitur S. Ioannes, notionem ingerit futurae consecrationis eucharisticae: ad idem quoque refertur formula εὐλόγησεν αὐτούς, *benedixit illis,* qua utitur S. Lucas ([3]).

[6] Sic docemur, ante comestionem, cibos nos benedicere debere. Benedictio autem, hoc loco, significat bonam ad Patrem precationem, qua beneficium multiplicationis panum Christus petebat; unde benedixisse, hic, non est multiplicasse panes; sed multiplicationem panum benedictio praecessit, tanquam medium ad illam obtinendam.

[7] Non in minutas, sed in grandiores partes, divisit Christus panes et pisces. — Notandum, eumdem hic a Christo retentum fuisse ordinem, quam postea ipse in institutione Sanctissimae Eucharistiae sequi debebat: scilicet, primo, accepit panem in manibus suis; tum oculos elevavit in caelum; postea gratias egit; deinde benedixit; ulterius fregit; postremo dedit discipulis.

([1]) IX, 14. — ([2]) L. II de Consensu Evangelistarum, c. XLVI, n. 98. — ([3]) Cfr. I Cor., X, 16.

omnes, et saturati sunt [8]. (*a*) Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis : *Colligite quae superaverunt fragmenta, ne pereant* [9]. Collegerunt ergo (*b*) reliquias, (*c*) et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum [10], ex quinque panibus hordeaceis, quae superfuerant his qui manducaverant, (*d*) et de piscibus. (*e*) Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis [11].

(*a*) I. VI, 12-13. — (*b*) Mt. XIV, 20. — (*c*) I. VI, 13. — (*d*) Mc. VI, 43. — (*e*) Mt. XIV, 21.

[8] Non de quinque tantum panibus duobusque piscibus, manducaverunt illi, sed de eo maxime quod Christi omnipotentia tunc multiplicavit.

[9] Docet Christus Dominus, hoc exemplo, alimentorum reliquias prudenter servari debere, atque utiliter in pauperes expendi.

[10] Quod in promptu fuerint huiusmodi cophini, pertinere videtur ad Iudaeorum usum, nunquam iter arripientium sine cophino, in quo cibos ponerent: unde eos Martialis cistiferos vocabat ([1]). Duodecim autem cophinos superesse voluit Christus, ut patet, in honorem duodenarii numeri Apostolorum. *Unusquisque Apostolorum,* ait S. Hieronymus ([2]), *de reliquiis Salvatoris implet cophinum suum, ut vel habeat unde postea gentibus cibum praebeat, vel ex reliquiis doceat veros fuisse panes, qui postea multiplicati sunt.*

[11] Ex hoc constat, quanta fuerit magnitudo miraculi a Christo patrati, cum ex tam modico alimento tantam satiaverit multitudinem. — Hanc potestatem aliquibus servis suis Christus impertivit, ut puta S. Philippo Benitio, dum Aretii esurientes fratres, annona multiplicata, satiavit. — Hoc autem exemplo praefigurat Christus quanta liberalitate gratias suas discipulis suis distribuat.

QUAESTIONES.

I. — *Quot erant homines simul congregati, quos Christus miraculose pavit?*

Resp. Cum numerus mulierum simul et parvulorum, qui hic expresse non recensetur, probabiliter excesserit virorum numerum, hinc tutò dici potest Christum tunc plus quam decem millia hominum miraculose pavisse. Ceterum, recolenda consuetudo Scripturae

([1]) Epigr. V, 17. — ([2]) Comment. in h. l. S. Matth.

est, ut illi vocentur viri, qui vigesimum annum attigerint, quasi potentes ad bella procedere ([1]).

II. — *Undenam processit materia panis sic miraculose multiplicati?*

Resp. Licet potuisset Christus, ut Deus, novam creare materiam ex nihilo, ordini tamen divinae Providentiae magis consentaneum est, ut dicatur illam novam panis substantiam ex praeiacente materia fuisse conversam, cum completo sex dierum opere, novae materiae creationes non fiant.

III. — *Ad quemnam ordinem miraculi pertinet multiplicatio panum?*

Resp. Ad miracula secundi ordinis, scilicet quoad subiectum: quod est quando effectum aliquem natura quidem producit, at non in eo subiecto, sicut est mortui resuscitatio. Porro, panem natura quidem producit, at non ex qualicumque praeiacente materia, verum ex grano terrae commisso et in determinatis conditionibus caloris et humiditatis: igitur, quod qualiscumque materia convertitur in substantiam panis, hoc natura nullo modo facere potest ([2]).

IV. — *Utrum panum multiplicatio facta fuerit in manibus Christi, an Apostolorum?*

Resp. S. Hieronymus innuit eam factam in manibus Christi ([3]); S. Ioannes Chrysostomus vero, in manibus Apostolorum: nimirum, ut ait hic Pater, *quinque panes fractos dedit* (Christus discipulis), *et illi quinque in manibus discipulorum in fontis morem scaturiebant* ([4]). At dici potest, eam in Christi quidem manibus inchoatam, in manibus vero Apostolorum completam atque perfectam; ita ut fragmenta panis a Christo divisa duodecim iam sportas impleverint, quas singulis Apostolis distribuendas commisit; qui vicissim illas dividendo ita multiplicaverunt, ut nunquam victuale defecerit, quoadusque omnes ultro repleti fuerint.

V. — *Quidnam biberunt turbae?*

Resp. Dici potest Christus cibariis miraculose subministratis virtutem praebuisse id agendi quod potus efficit, ita ut sitim perpessi non fuerint: opera enim Christi, summi opificis, perfecta fuerunt, unde quos refecit, perfecte refecit ([5]).

([1]) Num., 1, 3, seq. — ([2]) Vide op. n. Del Miracolo, sua natura, sue leggi, etc., c. VI, § III, p. 93. — ([3]) Comment. in c. XIV S. Matth., v. 19. — ([4]) Homil. XLIX in S. Matth., n. 3. — ([5]) Dion. Cartus., in h. l.

VI. — *Utrum sit, in veteri Testamento, figura huius panum multiplicationis ?*

Resp. Figuram multiplicationis panum a Christo perfectae videre est in hydria farinae, quae non defecit, et in lecytho olei, qui minutus non est in domo mulieris Sarephtanae (1), necnon in multiplicatione olei iubente Eliseo (2).

VII. — *Cuiusnam speciei fuit panis quem Dominus mirabiliter turbis procuravit ?*

Resp. Profecto fuit panis hordeaceus, ut ex toto contextu eruitur, et confirmatur ex verbis S. Ioannis: *Et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis,* etc.: in secunda vero multiplicatione, panis fuit triticeus (3).

(1) 3 Reg., XVII, 16. — (2) 4 Reg., IV, 5, 6. — (3) Infra, Sect. CXXXI, Quaest. I

SECTIO CXVII.

(Mt. XIV, 22-23; Mc. VI, 45-46; I. VI, 14, 15).

Argumentum. — *Viso stupendo miraculo multiplicationis panum, homines illi Iesum regem constituere volunt; ille autem fugit in montem solus orare, dum discipuli navem iterum conscendunt.*

Ratio Sectionis. — Extra omne dubium est, praesentem eventum panum multiplicationi successisse, cum sancti Matthaeus et Marcus unum alteri coniungant per adverbium *statim*. Res autem, hac et sequentibus duabus Sectionibus contenta, narratur etiam a S. Ioanne, at a S. Luca praetermittitur. — Non sibi certe contradicunt S. Matthaeus et S. Ioannes, cum hic quidem narret Christum in montem reversum, ne ab illis rex constitueretur; ille vero referat eum illuc se contulisse orationis fundendae gratia: quandoquidem hae duae causae tanquam coordinatae omnino haberi possunt.

(*a*) statim compulit Iesus discipulos ascendere in naviculam [1], et praecedere (*b*) eum trans fretum ad Bethsaidam [2], dum ipse dimitteret populum [3]. (*c*) Illi ergo

(*a*) Mt. XIV, 22. — (*b*) Mc. VI, 45. — (*c*) I. VI, 14-15.

[1] Tantus erat discipulorum in Christum Dominum amor, ut neque eum solum relinquere, neque ab eo vellent discedere; unde debuit Iesus illos compellere ut navigium conscenderent. Volebat quippe sapiens Dominus eos periculo vanae gloriae, quod eis ob laudem et admirationem turbarum imminebat, subducere: nihil enim tam abhorret Dominus, in suis servis, quam lepram superbiae. Nolebat etiam Iesus discipulos suos proxime futuro populi studio, regem eum constituendi, exponi: ideo eos statim iubet discedere. Aegre tamen illi patiuntur se a dilecto Magistro, vel ad tempus, separari.

[2] Graece, εἰς τὸ πέραν πρὸς Βηθσαϊδάν, *in ulterius ad Bethsaidam,* id est, in ulteriorem ripam usque in Bethsaidam, scilicet, urbem illam, prope Capharnaum, patriam Petri et Andreae: haec quippe maritima via, utpote magis directa, brevior erat pedestri itinere, et ita etiam turbarum occursum evitabant. Attamen mox videbimus (1) Apostolos navigium Bethsaidam perducere haudquaquam potuisse, et ob contrarium ventum, in conspectu Capharnaum, agitati maris ludibrium extitisse, usquedum, veniente Iesu, non quidem ad portum Bethsaidae, sed in terram Genesar illam appulerunt (2).

[3] Sibi reservat Dominus cu-

(1) Sect. seq. — (2) Marc., VI, 53. Infra, Sect. CXX.

homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: *Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum* [4]. Iesus ergo, cum cognovisset [5] quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem [6], (*a*) cum dimisisset eos [7],

(*a*) Mc. VI, 46.

ram populum dimittendi, cum id praestando impares fuissent discipuli, turbis tam arcte Christo adhaerentibus. — Graece, directa oratione legitur, ἕως αὐτὸς ἀπολύει τὸν ὄχλον, *usquedum ipse dimittit populum*.

[4] Respiciebant homines illi ad locum Deuteronomii ([1]): *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Hoc etiam loco non semel Apostoli usi sunt, cum de Christo eiusque missione edissererent ([2]). — *Qui venturus est,* graece, ὁ ἐρχόμενος, *veniens:* sciebant quippe tempus iam maturum esse adventus Messiae. — Sciendum, non obstare rationi prophetae, in Christo, quod fuerit comprehensor: nam, usque ad mortem suam, statum etiam habuit viatoris, ideoque ea quae cognoscebat et annuntiabat erant procul a notitia aliorum viatorum, quibuscum communicabat; praeterea, habuit etiam in parte imaginativa quasdam similitudines quales alii prophetae habuerunt, ideoque vere et excellentissimo modo dicitur Christus propheta ([3]).

[5] Id est, cognoscere se demonstrasset. Omniá quippe Christus, ut Deus, cognovit a principio aeternitatis; omnia itidem, ut homo, cognovit ab exordio Incarnationis; sed dicitur aliquid de novo cognovisse, quando per effectum aliquem demonstravit se hoc ipsum cognoscere ([4]). Porro bene sciebat Iesus hanc Iudaeorum voluntatem, illum regem constituendi, nimis carnalem esse, utpote ex beneficio temporali, quo donati fuerant, unice procedentem.

[6] Iudaeorum generalis opinio erat, Messiam in universum Israel regnaturum, qui eis perfectam restitueret libertatem: quae opinio Apostolos quoque, usque ad Spiritus Sancti descensum, occupavit. Censuerunt igitur Iesum, cuius beneficia senserant, id solum praestolari, ut illi conspirarent, ut sic factus ipse conspirationis dux, imperio mox potiretur. Optima autem proposito inserviebat opportunitas, proximum scilicet Pascha, cum ingens Iudaeorum multitudo adunata esset, et cum mysterium ipsum eorum liberationis a iugo Aegyptiorum, id suadere videretur.

[7] Suaviter simul et efficaciter persuasit Christus turbis, ut in

([1]) XVIII, 15. — ([2]) Act., III, 22; VII, 37. — ([3]) Cf. tr. DE INCARNATIONE VERBI. Vol. I, Quaest. VII, art. 8, p. 330. — ([4]) Dion. Cartus., in h. l.

(*a*) fugit iterum in montem ipse (*b*) solus [8] orare [9]. Vespere autem facto, solus erat ibi [10].

(*a*) I. VI, 15. — (*b*) Mt. XIV, 23.

domos suas unusquisque pacifice reverteretur.

[8] Iterum evasit Dominus in montem, unde cum discipulis suis, eadem die, descenderat ([1]). Quod autem Christus fugerit, hoc ideo fuit, quia probe noverat, hanc esse Patris sui voluntatem, ut mundum non per imperium, sed per Crucis passionem, redimeret: quo docemur, honorum, praelationumque culmina fugere, adversa autem aequanimiter sustinere. — *Fugit,* ἀνεχώρησεν, *retrecessit,* sive *reversus est.*

[9] Christus Dominus, orandi causa solus montem conscendit, ut ostendat aliorum praesentia frequenter impediri orationis instantiam atque fervorem, et locum sublimem proficere ad excitandam mentem in orando, laudando et contemplando Deum. Pariter docemur praelatum, praedicatorem ac doctorem dominici gregis, semper, cum potest, redire debere ad locum quietum, in quo solus cum Domino occupetur, atque ab eo purgetur, illuminetur atque perficiatur, ita ut rediens, memoriam abundantiae suavitatis Dei gustatae eructet, gratiamque perceptam aliis subministret ([2]). — *Solus,* in graeco apud S. Matthaeum, est, κατ' ἰδίαν, quod est, *seorsum.*

[10] Haec est secunda vespera, scilicet post solis occasum ([3]). — *Solus,* hic, est μόνος, *solitarius.*

QUAESTIONES.

I. — *Utrum hic intellexerint Iudaei, Christum esse prophetam, an Messiam?*

Resp. Praeter Messiam, quem Iudaei gentibus temporaliter dominaturum putabant, alium exspectabant prophetam, qui illius comes, vates et orator futurus esset, ut ex legationibus ad Ioannem patet, cum quaererent an ille Christus esset, vel propheta ([4]). Hic vero ex contextu apparet, Iudaeos intellexisse ipsum Messiam, cum illum continuo vellent regem facere. Licet dici etiam possit, inter tot homines, quosdam quidem suspicatos fuisse illum Messiae comitem, alios vero ipsummet esse Messiam.

([1]) Matth., XIV, 13. Vide Sect. CXIII, n. 10, p. 153; et CXV, n. 4, p. 161. — ([2]) Dion Cartus., ibid. — ([3]) Vide Sect. CXV, n. 6, p. 161. — ([4]) Cf. Io., I, 21. Sect. XXIV, Vol. I, p. 171.

II. — *Cur Christus regem facere voluerunt Iudaei?*

Resp. Propter quatuor quae in eo consideraverunt, et quae speciali modo regem condecent: primo, propter eius bonitatem ac liberalitatem, quam experti fuerant, cum illos tam generose pavit; secundo, quia viderunt illum valde sapientem in omnibus; tertio, quia eius potentiam fuerant experti; quarto, propter eius humilitatem, qua illorum corda sibi devinxerat; unde cum ingenti tumultu, affectu et gaudio voluerunt eum sibi, licet renitentem, in regem praeficere: qua de causa dicit Evangelista: *Ut raperent,* quasi erga eum violentia quadam, ob eius mansuetudinem ac animi demissionem, uti deberent.

III. — *Quare noluit Christus rex fieri, cum postea expresse dixerit* ([1]): TU DICIS QUIA REX SUM EGO?

Resp. Licet Iesus sit verus rex hominum, eique omnia mund regna tanquam supremo Domino subiiciantur, noluit tamen suum regnum explicari per modum quo temporales reges potestatem exercent, cum potius regnare voluerit super animas et corda hominum, scilicet, per gratiae efficaciam et docilitatem nostram; unde ait ([2]): *Regnum meum non est de hoc mundo.* Praeterea, Iudaeorum intentionem, tanquam minus rectam, cognoscebat Iesus, cum illi solum ob cibum corporalem, quo pasti fuerant, eum regem facere vellent.

([1]) Io., XVIII, 37. — ([2]) Ibid., 36.

SECTIO CXVIII.

(Mt. XIV, 24-26; Mc. VI, 47-50; I. VI, 16-19).

Argumentum. — *Excitata in lacu Genesareth procella, et discipulis cum difficultate remigantibus, Iesus sicco pede aquas calcat: quam videntes discipuli putant phantasma esse.*

Ratio Sectionis. — Rerum gestarum narrationem prosequuntur tres Evangelistae, Matthaeus, scilicet, Marcus et Ioannes, qui procellam in mari Galilaeae describunt, etsi Marcus et Ioannes praetermittant circumstantiam deambulationis Petri super aquas eiusque incipientis mersionis, de qua re in proxima Sectione: at praetermissio haec non tollit quin et ipsi de eodem eventu loquantur, ut tenet S. Augustinus, contra S. Ioannem Chrysostomum qui, ob quasdam apparentes discrepantias, quas tamen mox solvemus, vult non esse eamdem rem gestam, de qua loquuntur S. Matthaeus et S. Ioannes.

(*a*) ET autem sero factum est, descenderunt discipuli eius ad mare [1]. Et cum ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum [2]; et tenebrae iam factae erant; et non venerat ad eos Iesus [3]. Mare autem, vento magno

(*a*) I. VI, 16-18.

[1] Non opponuntur haec eis quae apud S. Matthaeum et S. Marcum leguntur, scilicet, Christum iussisse et coegisse discipulos ingredi navim ([1]): licet enim discipuli discederent inviti a Christo, obsequentes tamen eius imperio, navim ingressi sunt, et quidem sero, id est, nocte iam incumbente.

[2] Venerunt, ἤρχοντο, *veniebant, iter dirigebant*, licet, ob contrarium ventum, parum progrederentur, et potius a recto cursu ad medium mare impellerentur, ut mox dicetur. Igitur, non dicuntur appulisse navim ad portum Capharnaum, sed tantum illuc venisse, scilicet in conspectu huius urbis, seu hanc urbem versus, licet, ob contrarium ventum, meridiem versus repellerentur.

[3] Secundum Apostolorum supputationem, Iesus iter pedibus faciens, iam adesse debuisset: iusserat enim eos praecedere se trans fretum. Bene autem dicitur quod tenebrae erant, longe sci-

([1]) Matth., XIV, 22; Marc., VI, 45.

flante, exsurgebat. (*a*) Navicula autem in medio mari iactabatur fluctibus, (*b*) et ipse solus in terra. Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) [4]. (*c*) Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta [5], (*d*) circa quartam vigiliam noctis [6], (*e*) vident Iesum ambulantem supra mare, et proximum navi fieri [7]; (*f*) et volebat praeterire eos [8]. At illi, ut viderunt eum

(*a*) Mt. XIV, 24. — (*b*) Mc. VI, 47-48. — (*c*) I. VI, 19. — (*d*) Mc. VI, 48. (*e*) I. VI, 19. — (*f*) Mc. VI, 48-49.

licet absente Iesu. Ex his verbis S. Ioannis deduci potest Iesum promisisse discipulis se eis obviam iturum.

[4] Dum navis sic fluctibus iactabatur, Iesus, a monte, ubi orationem fundebat, contra locum ubi erat navis, propriis oculis dilectos discipulos, licet in confuso, laborantes cernebat: quod utique facile fieri potuit, nocte serena, prope Pascha, id est, prope plenilunium, existente. — Porro, in hoc facto, videre libet figuram animae carentis suavi praesentia Christi: quae tentationum fluctibus ita iactatur, ut sibi videatur pene mergi: confidat tamen, quia non desinit Christus illam aspicere. — Laborantes, βασανιζομένους, *vexatos, magno labore oppressos.*

[5] Tria circiter passuum millia. Cum vero praedictus lacus sex circa millia latus sit, hinc patet quam recte superius dictum sit, naviculam in medio mari iactatam fuisse fluctibus: in medio, inquam, attenta latitudine, quidquid foret de eius positione relate ad longitudinem.

[6] Nox in duodecim horas et quatuor vigilias trium horarum singulas, licet non semper aequalis durationis, distribuebatur. Unde Iesus hora circiter tertia ante solis ortum, ad discipulos venit. Quatuor noctis vigiliae clare apud S. Marcum indicantur ([1]): *Sero, media nocte, galli cantu, mane,* ὀψέ, μεσονύκτιον, ἀλεκτοροφωνία, πρωΐ.

[7] Sic in tentatione, quamvis Deus non sentiatur, quasi abscondens se, aut volens nos praeterire, adest tamen, nostrum certamen benignus adspiciens. Dum ergo tribulamur, ad eum fidentes confugiamus, dixit enim ([2]): *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum.* Sic Christus Dominus in seipso implevit quod Iob de Deo testatur ([3]): *Qui... graditur super fluctus maris.*

[8] Non fuit hic, ex parte Christi, aliqua duplicitas aut deceptio, quia hoc fecit ad designandam

([1]) XIII. 35. Cf. Sect. VIII, Vol. I, p. 58; CCLXIII, n. I. — ([2]) Ps. XC, 15. — ([3]) IX, 8.

ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse; (*a*) et timuerunt, (*b*) dicentes: *Quia phantasma est.* Et prae timore (*c*) exclamaverunt. Omnes enim viderunt eum, et conturbati sunt [9].

(*a*) I. VI, 19. — (*b*) Mt. XIV, 26. — (*c*) Mc. VI,49-50.

imperfectionem fidei discipulorum, ob quam quodammodo spiritualiter elongatus erat a cordibus eorum.

[9] Cum probe scirent Apostoli posse daemones corporis formam assumere ad nocendum hominibus, timore correpti sunt, dum ad Deum clamabant, opem implorantes. — Attende, in hac narratione, figuram tum Ecclesiae, tum animae, cum illas Deus videtur ad tempus dereliquisse: et licet prope sit Iesus, vix tamen eius praesentia agnoscitur. At *in arctis, cum res est in acie novaculae, Deus illico ex alto succurrit* ([1]), ut mox apparebit.

QUAESTIONES.

I. — *Quo pacto dicuntur discipuli descendisse sero ad mare, cum iam sero esset, quando Christus panem multiplicavit?*

Resp. Graeca vox, ὀψία, *sero,* qua tres Evangelistae, Matthaeus, Marcus et Ioannes concorditer utuntur, latam omnino habet significationem: nimirum, adhibetur ad designandum totum tempus medium, inter solis declinationem et primam noctis vigiliam. Igitur, quod refert S. Matthaeus ([2]), vespere facto, dixisse discipulos ad Iesum ut dimitteret turbas, dici potest evenisse prima vel secunda hora post meridiem. Quod autem habet S. Ioannes ([3]), iubente Iesu, sero descendisse discipulos ad mare, itemque quod narrat S. Matthaeus ([4]), solum fuisse Iesum in monte, referri commode potest ad horam circiter septimam; demum, quod dicit S. Marcus ([5]), sero fuisse navim in medio mari iactatam fluctibus, ad primam noctis vigiliam dici potest pertinere ([6]).

II. — *Quamdiu perduravit haec maris tempestas?*

Resp. Cum nox in quatuor vigilias divideretur, Iesus vero, ut dicetur Sectione sequenti, circa quartam vigiliam noctis tem-

([1]) Corn. a Lapide, in h. l. — ([2]) XIV, 15. — ([3]) VI, 16. — ([4]) XIV, 23. — ([5]) VI, 47. — ([6]) Cf. Marc., XIII, 35.

pestatem sedaverit, hinc per tres vigilias tempestas ista perduravit: cum vero res haec circa aequinoctium paschale, seu vernum, acciderit, quando videlicet nox aequalis diei est duodecim horarum, hinc tempestas huiusmodi per novem horas perdurasse censenda erit. Ideo autem permisit Dominus tamdiu dilectos discipulos in periculo versari, primo, ut assuescerent adversa et dura perpeti; secundo, ut ferventius divinam opem implorarent; tertio, ut gratior postea eis evaderet liberatio ab illo periculo, et ut discerent eo Deum propiorem esse homini, quo maior est tribulatio et quo durius mens angustia premitur. Demum, non tacendum Patres, in apparitione Christi quarta noctis vigilia, eius in fine mundi adventum significatum vidisse: sic quippe S. Hieronymus (1): *Quando ergo dicit, quarta vigilia noctis venisse ad eos Dominum, ostendit tota nocte periclitatos, et extrema parte noctis atque in consummatione mundi, eis auxilium praebiturum.*

III. — *Qua ratione Christus supra mare ambulavit?*

Resp. Non per dotem agilitatis, cum corpus eius nondum esset glorificatum, sed divina virtute id miraculose operante; et quidem, vel corporis gravitatem suspendendo, vel aquis soliditatem praebendo (2).

(1) Comm. in c. XIV S. Matth., v. 25. — (2) Cf. S. Thom., 3, Quaest. XLIV, art. 3, ad 3m.

SECTIO CXIX.

(Mt. XIV, 27-33; Mc. VI, 51-52; I. VI, 20-21).

Argumentum. — *Iesu se discipulis manifestante, Petrus ad illum venit, ambulans et ipse super aquas: mox timore correptus coepit mergi, sed a Iesu benigne sustinetur: quo viso, discipuli Dominum adorant.*

Ratio Sectionis. — Quod Iesus antea Apostolis tam instanter commendaverat, esse nimirum omnem vanam formidinem excludendam atque in Dei auxilio plene confidendum *, nunc facto ipso potenter inculcat, tum eisdem metu trepidis se inopinate manifestans, tum Petrum, ob fidei infirmitatem, peramanter increpans. — Notandum, historiam hanc a sanctis Marco et Ioanne breviori omnino sermone perstringi, cum a solo S. Matthaeo Petri ardens petitio, et super aquas deambulatio, necnon in fide dubitatio narrentur: quod sedulo adverti debet, ne quis nimis fidenter asserat, S. Marcum, cum Petri comes fuerit, debuisse ea omnia, quae ad suum magistrum spectabant, referre.

(*a*) STATIMQUE Iesus locutus est eis, dicens: *Habete fiduciam: ego sum, nolite timere* [1]. Respondens autem Petrus dixit: *Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas* [2]. At ipse ait: *Veni* [3]. Et descendens Petrus de na-

(*a*) Mt. XIV, 27-31.

[1] Quam prompte Dominus dilectis discipulis auxiliatur, et quam potenter eos excitat ad fiduciam in se habendam! *Habete fiduciam,* θαρσεῖτε, id est, *bono estote animo,* et quare? Quia nunquam vos deserui, etsi me non agnosceretis; ideoque omnem abiicite timorem.

[2] Hoc dixit Petrus, non, ut voluit Calvinus, dubitando, alioquin non se commisisset tanto periculo, ut propter verbum Christi inciperet ambulare supra mare. Unde verba ista: *Si tu es*, non sunt dubitantis, sed prae laetitia sentientis et cupientis quam proxime coniungi dilecto Magistro, etiamsi magno ad hoc miraculo opus esset. Igitur ut erat Petrus ceteris fide et caritate ardentior, ita credidit se, per Christi meritum atque potentiam, super aquas posse incedere.

[3] Ipsa Domini responsione evincitur Petri petitionem temerariam non fuisse, sed ex magna eius fide profectam.

* Supra, Sect. CIX, nn. 5, 6, p. 134.

vicula, ambulabat super aquam ut veniret ad Iesum [4]. Videns autem ventum validum, timuit; et cum coepisset mergi [5], clamavit dicens: *Domine, salvum me fac* [6]. Et continuo Iesus extendens manum, apprehentit eum [7]: et ait illi: *Modicae fidei, quare dubitasti* [8]? (*a*) Voluerunt ergo accipere eum in navim [9]; (*b*) et ascendit ad illos in navim; et (*c*) cum ascendissent in naviculam, (*d*) cessavit ventus; (*e*) et statim navis fuit ad terram, in quam ibant [10]. (*f*) Qui

(*a*) I. VI, 21. — (*b*) Mc. VI, 51. — (*c*) Mt. XIV, 32. — (*d*) Mc. VI, 51. (*e*) I. VI, 21. — (*f*) Mt. XIV, 33.

[4] Ad huius miraculi magnitudinem confert, quod tam Christus quam Petrus non supra tranquillum, sed supra turbulentum mare deambularent.

[5] Timor iste inordinatus fuit, ex imperfectione actus fidei procedens; unde permisit Deus ut submersionis periculum Petrus incurreret.

[6] En magnum contra timorem periculorum remedium: promptus et fervens recursus ad orationem. Ex hoc habemus, ipsam Petri dubitationem argumento ipsi fuisse maioris fidei explicandae.

[7] *Apprehendit eum,* ἐπελάβετο αὐτοῦ, scilicet, manu eum captavit, ne mergeretur. — En quam cito benignissimus Dominus perituris qui illum in necessitate fidenter invocant, manum porrigit adiutricem!

[8] Petrum increpat Iesus, quod passionibus partis sensitivae obnubilatus, incertus maneat de custodia et protectione quam erga illum gerebat.

[9] *Voluerunt accipere,* ἤθελον λαβεῖν: hoc certe non significat tantummodo libenter acceperunt: si enim Iesum semper libenter accipiebant, multo magis nunc, cum in periculo versarentur; unde sensus esse videtur: Iesum volebant propriis manibus apprehendere et secum in navi collocare. Amor enim est virtus unitiva: igitur discipuli tanto miraculo illuminati et vehementer commoti, carissimum Magistrum cupiebant sibi corporaliter adesse in navigio, et quodammodo illum cogere volebant ut ad se ascenderet.

[10] Terra haec est, non proprie Bethsaidae, sed Genesareth, quae in proximitate erat, ut mox dicetur ([1]). Enimvero, iusserat Dominus Apostolis ut se praecederent trans fretum ad Bethsaidam ([2]): at referri debet hoc non ad voluntatem beneplaciti, sed ad

([1]) Sect. seq. — ([2]) Sect. CXVII.

autem in navicula erant, venerunt et adoraverunt eum, dicentes : *Vere Filius Dei es* [11]. (*a*) Et plus magis intra se stupebant. Non enim intellexerunt de panibus ; erat enim cor eorum obcaecatum [12].

(*a*) Mc. VI, 51-52.

voluntatem signi. — Duo mirabilia Christus sua praesentia patrat : tempestatem sedat, non verbis exterius expressis, sed solo voluntatis motu, et navim brevissimo temporis spatio ad littus pertingere facit. Sic Christo, per internam visitationem, revertente ad cor quod ad tempus sensibiliter reliquerat, redit tranquillitas animo, ipseque spiritus delectatur in multitudine pacis (1).

[11] Non Apostoli tantum, sed nautae etiam et vectores Christum proni adorant, eius excellentiam ultro agnoscentes atque laudibus concelebrantes.

[12] Si mentem praecellenti miraculo de panum multiplicatione applicuissent discipuli, dubio procul non tantopere mirati fuissent Christum deambulasse super aquas : at, ut advertit S. Marcus, eorum cor obcaecatum erat, seu, ut graecum habet, *obcallatum*, ἦν γὰρ ἡ καρδία αὐτῶν πεπωρωμένη. Adeo magnae molis erat in animis Apostolorum fidem perfectam constabilire, ob quod potentiae suae argumenta Christus multiplicare non abnuit.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum fides possit esse maior in uno, quam in alio?* *Resp.* Affirmative : non quidem attenta ratione formali fidei, quae est veritas prima, ex qua parte nequit esse maior aut minor, cum ratio huiusmodi in indivisibili consistat, sed attentis materia fidei, necnon dispositione subiecti. Enimvero, ea quae materialiter credenda proponuntur sunt plura, et possunt accipi vel magis vel minus explicite, et secundum hoc potest unus homo plura explicite credere quam alius ; et sic in uno potest esse maior fides secundum maiorem fidei explicationem. Ex parte subiecti quoque, potest fides in uno esse maior quam in alio, et hoc ex parte intellectus et ex parte voluntatis : ex parte intellectus, propter maiorem certitudinem et firmitatem ; ex parte voluntatis, propter maiorem promptitudinem seu devotionem vel confidentiam (2).

(1) Dion. Cartus., in h. l. — (2) S. Thom., 2 2ae, Quaest. v, art. 4.

II. — *Quomodo distinguitur voluntas beneplaciti a voluntate signi?*

Resp. Per voluntatem beneplaciti vult Deus aut Christus aliquid proprie, ita ut in eo sibi complaceat; per voluntatem signi vero, vult aliquid metaphorice, seu eo modo se habet, sicut cum nos aliquid nos velle significamus, puta, praecipiendo, vetando, consulendo, etc.; unde sequitur, voluntatem beneplaciti, in Deo aut in Christo, semper adimpletam fuisse, non autem voluntatem signi (1).

III. — *Quot miracula fecit Christus in sedanda praesenti procella?*

Resp. Quatuor magna miracula, uno simul tempore, perfecit Christus Dominus: primum, cum ipse super undas et quidem turbulentas tutus incessit; secundum, cum Petrus idipsum, eius virtute perfecit; tertium, cum tempestatem tam subito sedavit; quartum, cum navim tam repente ad littus pertingere fecit. — Sic spiritualiter dat potentissimus Christus electis famulis suis virtutem ambulandi super aquas tribulationum easque calcandi, atque adversa cuncta vincendi, ita ut omne gaudium existiment, cum in diversas inciderint tentationes (2). Cum vero Iesus navim, seu Ecclesiam aut etiam corda fidelium ingreditur, illa statim cum insperata celeritate ad terram optatam pertingit: tunc enim subito confortantur et ad beatam patriam suspirant, conversationem habentes in caelis (3), qui paulo ante fluctuabant in imis. Estque haec mutatio dexterae Excelsi, qui vulnerat et medetur, et tunc, et quomodo ei placuerit (4).

IV. — *Utrum discipuli, cum Christum in navi adoraverunt, crediderint illum esse proprium Filium Dei?*

Resp. Dici possunt omnes quidem apostoli id expresse tenuisse, cum iam viderimus Nathanael Iesum Dei Filium vocitasse (5), et mox relaturi simus splendidam confessionem quam Petrus, suorum etiam collegarum nomine, fecit, cum Christum *Filium Dei vivi* appellavit (6): quocirca tuto potest asseri Apostolos iam, ex revelatione Patris caelestis, cognovisse Christum Dominum esse Filium Dei omnino proprie, Patri consubstantialem atque coaequalem. Caeteri vero navis vectores distincte id non perceperunt, sed cogitare potuerunt Iesum Dei Filium esse, singulari quodam modo, quin tamen clare animo perciperent in quonam ille ceteris prophetis excelleret.

(1) Cf. tr. DE PERTINENTIBUS AD DIV. OPERATIONEM. Quaest. XIX, art. II, n. 2, p. 261. — (2) Iac., I, 2. — (3) Philip., III, 20. — (4) Dion. Cartus., in h. l. — (5) Sect. XXVII, n. II; quaest. III. Vol. I, pp. 187, 189. — (6) Matth., XVI, 16.

SECTIO CXX.

(Mt. XIV, 34-36; Mc. VI, 53-56).

Argumentum. — *Iesus, Apostolis comitantibus, venit in terram Genesareth, ubi universos infirmos, qui ad se undequaque adferebantur, misericorditer sanitati restituit.*

Ratio Sectionis. — A duobus Evangelistis, S. Matthaeo et S. Marco, narratur adventus Iesu et discipulorum, non ad Bethsaidam, quo ab initio isti tendebant, sed in terram Genesareth: S. Marcus tamen, occasione miraculorum Christi in hac regione, introducit generalem mentionem miraculorum a Christo, non solum in hac, sed etiam in tota Galilaeae regione patratorum: de qua quidem re duo isti Evangelistae sermonem iam fecerant, licet S. Marcus id tunc parce tantum innuisset *. Idipsum tamen nunc repetunt, ut Christi miracula in clariori luce ponant, in ordine ad eius divinitatem constabiliendam.

(*a*) ET cum transfretassent [1], venerunt in terram Genesareth, et applicuerunt [2]. Cumque egressi essent de navi, continuo (*b*) cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes male habentes [3]; (*c*) et percurrentes universam regionem illam, coeperunt in grabatis eos, qui se male habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse [4]. Et quocum-

(*a*) Mc. VI, 53-54. — (*b*) Mt. XIV, 35. — (*c*) Mc. VI, 55-56.

[1] Διαπεράσαντες, id est, cum navigassent ab ora septentrionali lacus, ad plagam occidentalem, Iesu comitante discipulos in navi eosque dulci sua praesentia confortante.

[2] Terra Genesareth, vel Genesar, aut etiam Cenereth, a qua adiacens lacus nomen duxit, iacet inter Capharnaum et Magdala. Nomen hoc ortum ducit ex *Ge, vallis* et *Nezareth, florida;* unde significat *vallis florida.*

[3] Tanta iam erat illa regione Christi Domini fama, ut illius adventus de aure in aurem perferretur; tanta quoque populi fiducia in eius potentia et misericordia, ut omnes aegros ad eum adferrent.

[4] Hoc quod dicitur, *percurrentes,* referri debet, non ad Chri-

* Matth., IV, 23-25; Marc., I, 39. Cf. Sect. XLIV, Vol. I, p. 278.

que introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti eius tangerent [5]; et quotquot tangebant eum, salvi fiebant [6].

stum et Apostolos, sed ad homines loci illius, ut patet ex contextu. — *Universam regionem illam,* graece, ὅλην τὴν περίχωρον ἐκείνην, id est, tota circumiacentem regionem, seu regionem Genesar, in quam Iesus cum discipulis advenerat. — *Circumferre,* περιφέρειν; id est, hinc illinc, et huc illuc adferre: fieri enim poterat ut Iesus iam a loco abiisset, quando aegroti adferebantur; unde necesse erat eos ad alium locum mox transferri.

[5] Fervidam praemittebant homines illi ad Christum Dominum orationem, dum certiores essent optatis se frustrari non posse. — *Fimbria,* graece κράσπεδον, hebraice vero צִיצִית, erat filamentum lineum contortum, ex ore pallii descendens, quod, secundum legem ([1]), Iudaei gerebant, quo sibi in memoriam revocarent omnia divina mandata, et ut sancti essent Deo suo. Hanc igitur indumenti Domini partem, quae religiosum quid praeseferebat, tangere cupiebant aegroti, si quidem ad Iesum usque accedere prohibebantur ([2]).

[6] Ex hoc colligitur quanta fuerit, hinc quidem illorum hominum fides in Iesum, cum sibi sufficere crederent tangere extremam partem vestimenti illius, ad sanitatem recuperandam; illinc vero ipsius Iesu benignitas, qui omnium languoribus paterne medebatur. — Recolendum autem est id quod iam diximus ([3]), illud quod ultimo loco hic a S. Marco recitatur, incipiendo a verbis: *Et quòcumque,* poni per quamdam generalem recapitulationem itinerum Domini nostri, non solum eorum quae in terra Genesar, sed universaliter eorum quae per totam Galilaeam peregit.

QUAESTIONES.

I. — *Quomodo conciliari potest id quod ait S. Marcus* ([4]), *Iesum Apostolis praecepisse ut sese Bethsaidam conferrent, cum eo quod scribit Ioannes* ([5]), *illos, conscensa navi, in Capharnaum venisse, denique cum eo quod scribunt S. Matthaeus* ([6]) *et iterum*

([1]) Num., XV, 38. — ([2]) Cf. quae de muliere haemoroissa dicta sunt supra, Sect. LXVI, n. 5, p. 394. — ([3]) Ratio Sect. — ([4]) VI, 45. — ([5]) VI, 17. — ([6]) XIV, 34.

S. Marcus ([1]), *illos nec Capharnaum nec Bethsaidam, sed in terram Genesar vel Genesareth appulisse?*

Resp. Ad haec concilianda, advertendum est, cum Evangelistis, Apostolos, ea nocte contrario vento navigasse. Unde, loco Bethsaidae, ad meridiem Capharnaum existente, hanc urbem versus primo quidem pulsi sunt: sic enim verti potest graecum S. Ioannis: ἤρχοντο πέραν τῆς θαλάσσης εἰς Καφαρναούμ: deinde, perstante aut crescente vento, in terram Genesar vel Genesareth, quae inter Capharnaum et Bethsaidam sita erat, navim denique, qua ipse Dominus vectabatur, appulerunt.

II. — *Utrum Christus Dominus miracula fecerit in animabus hominum?*

Resp. Animas quidem hominum Christus Dominus per se ipse immediate iustificavit et divina sapientia replevit, quod pertinet ad finem miraculi, qui est hominem coniungere Deo, et per se miraculum proprie dictum non est, cum exterius non appareat, et solummodo miraculum evadat, quando visibiliter apparet modus extraordinarius quo haec fiunt. Attamen, animas hominum Christus interdum mirabiliter allexit, ut fecit relate ad primos suos discipulos; interdum vero terruit, ut cum vendentes et ementes e templo eiecit; interdum stupefecit, ut quando inimicos initio suae passionis proiecit in terram: quae quidem supponunt immutationem interiorum virium animae, et vera extiterunt miracula ([2]).

III. — *Utrum praedictas sanitates Christus solo imperio perfecerit?*

Resp. Cum Christus mundum salvare venerit non solum virtute divina, sed per mysterium Incarnationis; hinc frequenter in sanatione infirmorum non sola potestate divina utebatur, infirmos curando per modum imperii, sed etiam aliquid ad suam humanitatem pertinens apponendo, puta, contactum sanctissimi sui corporis, vel aliquid huiusmodi ([3]): unde hic expresse dicitur quod fimbriam vestimenti eius tangebant et sani fiebant.

([1]) VI, 53. — ([2]) S. Thom., 3, Quaest. XLIV, art. 3, ad 1[m]. — ([3]) Ibid., ad 2[m].

SECTIO CXXI.

(I. VI, 22-27).

Argumentum. — *Praeparat Iesus Iudaeos ad promissionem a se mox faciendam de cibo speciali quem Deus daturus erat hominibus; et primo, illos docet quomodo debeant operari cibum qui permanet in vitam aeternam.*

Ratio Sectionis. — Continuationem historiae ex S. Ioanne aperte accipimus, cum subsequentia praecedentibus immediate connectat per haec verba: *Altera die.* Ex mox tradendis autem, rationem accipimus quare hic Evangelista, cum soleat praetermittere ea quae ab aliis Evangelistis narrantur, miraculosam tamen panum multiplicationem retulerit: nimirum hoc fuit, quia sic via ei sternebatur ad sermonem de Sanctissimae Eucharistiae promissione, quae est res principaliter intenta in hoc sexto capite Ioannis, quod commode in duas partes potest ita dividi, ut prima pars, quasi praeludii instar, narrationem contineat multiplicationis panis et eorum quae hanc immediate subsecuta sunt, de quibus egimus supra *; secunda autem pars in quinque Sectiones dividatur; in quarum prima, docet Christus Iudaeos, debere eos operari cibum qui permaneat in vitam aeternam; in secunda, inculcat necessitatem fidei ad hunc cibum accipiendum, quem declarat non alium esse, nisi semetipsum **; in tertia, excludit Iudaeorum murmurationes ***; in quarta, promissionem Eucharistiae expresse ponit ****; in quinta demum, quorumdam infidelitatem redarguit *****.

(*a*) ALTERA die, turba quae stabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una, et quia non introisset cum discipulis suis Iesus in navim, sed soli discipuli eius abiissent [1]. Aliae vero supervenerunt naves a Tibe-

(*a*) I. VI, 22-27.

[1] Quod hic dicitur, *altera die,* referri debet ad diem multiplicationis panum et discessus Apostolorum, iubente Iesu, Bethsaidam versus ([1]). Locus ergo erat ora deserti Bethsaidae ([2]), et verba *trans mare,* accipienda sunt per respectum ad terram Genesareth, de qua modo mentio facta est. Turbas Iesus dimiserat; at multi, ut patet, in hoc loco perstiterant, sperantes se Iesum adhuc

* Sect. CXV-CXIX. — ** Sect. CXXII — *** Sect. CXXIII. — **** Sect. CXXIV. — ***** Sect. CXXV.

([1]) Cf. Sect. CXVII, p. 170. — ([2]) Sect. CXIII, quaest. II, p. 154.

riade iuxta locum ubi manducaverant panem [2], gratias agente Domino [3]. Cum ergo vidisset turba quia Iesus non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt in naviculas, et venerunt Capharnaum quaerentes Iesum [4]. Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei: *Rabbi, quando huc venisti* [5]? Respondit eis Iesus et dixit: *Amen, amen dico vobis: quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis* [6]. *Operamini non cibum*

visuros, cum nescirent illum noctu super mare ambulare et discipulos fuisse comitatum. — Verba: *Turba... vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una,* sic intelligenda sunt: animadvertit turba, quia heri vespere non fuerat nisi una navis: cum ergo vidissent discipulos abeuntes sine Iesu, merito concluserunt Iesum ibi adhuc esse debere.

[2] Divulgato iam Tiberiade insigni miraculo, turbae ad locum properant ubi illud evenerat: unde factum est ut Iesum postea Capharnaum quaerentes, ab eius benedicto ore salutis documenta audierint.

[3] Εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου. Ex hoc quod S. Ioannes hoc verbo hic iterato utitur ([1]), clare apparet eum habuisse miraculosum panem a Domino turbis subministratum tanquam figuram augustissimi omnium sacramentorum, scilicet Eucharistiae, quod est per excellentiam sacramentum gratiarum actionis. — Exhinc quoque apparet reprehendendos esse haereticos, cum nomini tam venerando, quale est Eucharistia, in Scripturis fundato et in traditione consecrato, substituere praesumpserint nomen *Coena Domini.*

[4] Multi ex iis quos Christus in deserto paverat, totam ibi noctem transegerunt, certo consilio illum sequendi ac regem sibi creandi. Nunc autem cum iam percepissent Iesum evasisse, nec quomodo id evenisset intelligere possent, naves conscendunt, et veniunt Capharnaum, quo Iesum divertisse merito credere poterant. Non tamen credendum est, omnes itinere maritimo Capharnaum pertigisse, cum non tanta multitudo navigiis illis potuisset capi; unde rationabiliter dici potest, plures itinere pedestri ad Iesum advenisse.

[5] Verba *trans mare,* hic significant transitum ab ora occidentali lacus ad oram orientalem. Quandonam vero invenerint Iesum, Scriptura non dicit: forsan post unum vel alterum diem.

[6] Non respondit Iesus directe Iudaeorum quaestioni, cum in ea plus terreni commodi, quam

([1]) Cf. Sect. CXVI.

qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus [7].

vitae spiritualis desiderii cerneret. Unde eos iuste redarguit, quod cum ex insigni miraculo ipsis exhibito, debuissent eius divinitatem agnoscere, utilitati tamen temporali, in eius sequela, potius inhiabant.

[7] Cibus qui perit, terrenus est, qui ad tempus tantum corpus sustentat; expetendus igitur cibus spiritualis, permanens in vitam aeternam: quem Filius hominis subministrat, cum sit imago Patris, qui in eum impressit sigillum suae sapientiae, bonitatis et potentiae. Hoc modo Iesus, cum Iudaeos iam per multiplicationem panum disposuisset ut in se crederent, id est, in suam divinitatem ac in suam divinam missionem, nunc propius eosdem urget ut in suo moderamine perfecte confidant. — Notandum, verbum *operamini*, ἐργάζεσθε, latioris esse significationis, pro *studete acquirere*.

QUAESTIONES.

I. — *Quare venerunt turbae quaesitum Iesum in Capharnaum?*

Resp. Quia sciebant eum in Capharnaum domicilium suum constituisse, unde Capharnaum eius civitas vocabatur, ubi saepius versabatur, et in quam ex variis itineribus, quae per Galilaeam facere solebat, revertebatur ([1]).

II. — *Ubinam protulit Christus ultima huius Sectionis verba?*

Resp. Videtur ea protulisse in synagoga urbis Capharnaum, quo eum, postquam a turba inventus est, processisse, ex ipso S. Ioanne ([2]) inferendum est.

III. — *Quisnam est cibus permanens in vitam aeternam?*

Resp. Cibus iste est certissime Sanctissima Eucharistia, cuius excellentiam Iudaeos Christus docere volebat: quae et in se permanet in vitam aeternam, quia incorruptibilis est, et in suo effectu, quia eam comedentes servat in aeternum. Attamen, cum prima conditio ad Eucharistiam rite accipiendam sit fides, ideo haec etiam est cibus permanens in vitam aeternam, ut mox explicat Christus ([3]); quo quidem sensu ait S. Augustinus ([4]): (Credere in Deum) *hoc*

([1]) Cf. Io., II, 12; Matth., IV, 13; IX. 1; Marc., I, 21; Luc., IV, 31; VIII, 40. etc. — ([2]) VI, 60. Infra, Sect. CXXIV. — ([3]) Sect. seq. — ([4]) Tract. XXV in Io., n. 12.

est manducare cibum qui... permanet in vitam aeternam. Ut quid paras dentes et ventrem? Crede et manducasti.

IV. — *Quomodo a Patre Christus signatus est?*

Resp. Primo, in quantum Christus, ut Deus, est imago Patris et character hypostaseos illius, quod est, in quantum sibi habet perfecte communicatam divinam naturam per generationem ab aeterno. Secundo, in quantum homo, et quidem tripliciter: primo, per unionem hypostaticam, quasi divinitate impressa in eius humanitate; secundo, per intrinsecam collationem gratiae et donorum; tertio, per extrinsecam eorumdem manifestationem, tum voce Patris illum tanquam verum Filium suum agnoscentis, tum patratione miraculorum, illius divinam naturam et divinam missionem confirmantium.

SECTIO CXXII.

(I. VI, 28-40).

Argumentum. — *In secunda parte sermonis eucharistici, statuta necessitate fidei, declarat Dominus, a Patre dari Iudaeis panem de caelo verum; seipsum autem esse hunc panem vitae, qui de caelo descendit, ut daret vitam aeternam hominibus.*

Ratio Sectionis. — Volens Dominus carnales Iudaeos tam sublime mysterium, qualis est Eucharistia, rite edocere, similitudine desumpta ex pane materiali, eisdem solemniter declarat, Patris esse intentionem, ut panem eis det de caelo verum, qui mundo vitam plene conferat: qui quidem panis alius non est, nisi ipsemet Christus Dominus, per quam unice omnibus est spes vitae aeternae.

(*a*) DIXERUNT ergo ad eum: *Quid faciemus ut operemur opera Dei* [1]? Respondit Iesus et dixit eis: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille* [2]. Dixerunt ergo ei: *Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de caelo dedit eis manducare* [3]. Dixit ergo eis Iesus: *Amen, amen dico vobis: Non*

(*a*) I. VI, 28-40.

[1] Dixerat Christus Iudaeis: *Operamini cibum qui permanet in vitam aeternam;* nunc ergo quaerunt illi quo pacto opera Dei valeant perficere. Eorum, ut videtur, sincera erat quaestio: unde eis ultro satisfacit Dominus.

[2] En opus, in quod verus christianus ex corde incumbere debet, fidem scilicet vivam nutrire in Christum Redemptorem, praetermissis observationibus illis vanis atque arbitrariis, quas pharisaei tantopere commendabant. — Sumuntur hoc loco *facere* et *operari* late, prout etiam actum interiorem includunt: unde actus fidei vocatur opus Dei, qui omnia opera nostra operatur in nobis.

[3] Miranda res est, Iudaeos, visa panum multiplicatione, haudquaquam contentos mansisse; sed hoc miraculum, tanquam rem vilem, nunc parvipendentes, alia requirunt opera, ut credant in Christum, allegantes Moysen, qui plures quam sex centum millia hominum in de-

Moyses dedit vobis panem de caelo, sed Pater meus dat vobis panem de caelo verum. Panis enim Dei est qui de caelo descendit, et dat vitam mundo [4]. Dixerunt ergo ad eum: *Domine, semper da nobis panem hunc* [5]. Dixit autem eis Iesus: *Ego sum panis vitae: qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam* [6]. *Sed dixi vobis quia et vi-*

serto mirabiliter pavit, et quidem, quadraginta annis; quasi dicerent: Quid est quod tu fecisti, respectu cibationis patrum nostrorum egredientium de Aegypto (1)? — *De caelo,* id est, ex aëre, seu de caelo aërio, quo sensu dicuntur *volucres caeli:* nam, cum ros nocte super castra descenderet, descendebat pariter et manna (2).

[4] Potuisset respondere Dominus, manna populo in deserto a Deo, precibus Moysi, datum fuisse, panem vero a seipso, propria virtute, multiplicatum; praeterea, potuisset observare miraculum semel a se patratum, multoties posse iterari: mavult autem illos edocere differentiam quae intercedit inter materialem cibum, qualis Moysi precibus subministratus est, et cibum spiritualem, cuius ille quidem imperfecta figura extiterat, qui dicitur verus panis, panis Dei, panis caelestis, qui mundo dat vitam indeficientem: unde cum emphasi ponitur, τὸν ἄρτον... τὸν ἀληθινόν. — *Qui de caelo descendit,* ὁ καταβαίνων ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, seu *panis descendens,* ille est panis Dei: ut significetur continuatio descensus Christi usque in finem mundi, per Eucharistiam, quae dat vitam, non uni genti, sed toti mundo.

[5] Non caelestem, sed corporalem panem efflagitant Iudaei, optantes sine labore et cura tam optimo pane vesci, sicut Samaritana dixerat (3): *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.* Christi autem bonitas eorum duritia non vincitur; sed pergit patiens Magister, illos ulterius edocens.

[6] Alludit hic Dominus ad lignum vitae de quo in Genesi (4), quo hominis vita conservabatur longaeva, sana, hilaris et fructuosa. Simile hoc est huic quod supra dixit Salvator (5): *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum.* — En quomodo paulatim Iudaeos Dominus instruit: primo, promiserat se panem de caelo daturum; secundo, declaravit panem hunc esse panem de caelo verum; nunc sine ambagibus testatur seipsum esse hunc panem, qui tamen sine fide utiliter manducari nequit.

(1) Cf. Exod., XVI, 4; Ps. LXXVII, 24, 25; CIV, 40. — (2) Num., XI, 9. — (3) Io., IV, 15. — (4) II, 9. — (5) Io., IV, 13.

distis me, et non creditis [7]. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet; et eum qui venit ad me, non eiiciam foras* [8]: *quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me* [9]. *Haec est autem voluntas eius qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die* [10]. *Haec est autem voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt Filium* [11], *et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.*

[7] Quantum in me fuit, obtuli vobis panem vitae; sed propter incredulitatem vestram, illum gustare renuistis: nam ante vos habetis panem hunc et illum incredulitate vestra reiicitis.

[8] Nullum, quantumcumque abiectum, despicio vel derelinquo, qui sequens Patris internam inspirationem, ad me convertitur, faciendo quod in se est. Tangit hic Dominus sublimissimum divinae praedestinationis arcanum, quae est ratio transmissionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae, iuxta illud S. Pauli ([1]): *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem;* et rursus ([2]): *Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum* ([3]). — *Non eiiciam foras,* οὐ μὴ ἐκβάλω ἔξω, certe non mittam longe a me: apud me in regno meo eum retinebo.

[9] Hic aperte innuit Christus, contra impium monothelitarum dogma, duas esse in eo voluntates; et se quidem, ut Deus est, communem habere cum Patre naturam et voluntatem; ut homo vero, toto cordis affectu propriam voluntatem divino beneplacito perfecte subiicere.

[10] En finis Incarnationis Domini, homines, peccato perditos, ad salutis portum, ad veram beatamque resurrectionem, quae est resurrectio vitae ([4]), perducere.

[11] Qui videt Filium per contemplationem viae, et credit in eum per fidem caritate formatam, ab ipso Filio obtinebit, tum gloriam animae per beatificationem, tum gloriam corporis per beatam resurrectionem, ut gloria animae redundet in corpus, et utrumque pariter glorificetur. — *Omnis qui videt Filium,* πᾶς ὁ θεωρῶν τὸν Υἱόν, omnis *considerans,* aut *contemplans:* non enim quidquam prodest saluti Filium tantummodo in habitu corporali conspicere.

([1]) Eph., I, 4. — ([2]) Ibid., 5. — ([3]) Cf. tr. DE PERTINENTIBUS AD DIV. OPERATIONEM, Quaest. XXIII, art. I, n. 7, p. 349. — ([4]) Io., V, 29.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum Iudaei sincero animo quaesierint a Christo quid sibi faciendum esset, ut operarentur opera Dei* (1) ?

Resp. S. Ioannes Chrysostomus censuit id eos praestitisse, gulae passione permotos (2): scilicet, cum bona inhiarent temporalia, cupiebant Christi benevolentiam, hac proposita quaestione, sibi captare, ut illum inducerent ad se gratis alias ita pascendos. — Probabilior tamen est S. Augustini sententia, putantis id Iudaeos sincero animo dixisse (3), ideoque eisdem sincere pariter Dominum respondisse. Credendum enim est, plures inter eos, viso miraculo, interius compunctos fuisse, atque, gratiae motibus obtemperantes, revera peroptasse cibum illum permanentem in vitam aeternam, quam Christus se eis daturum spoponderat. Tenendum tamen est, multos Domino incredulos extitisse, quos mox in murmurationis verba erupisse testatur S. Ioannes (4).

II. — *Quomodo Christus Iudaeos de incredulitate reprehendit, de quibus supra dictum est quod crediderunt in Iesum, viso miraculo quinque panum* (5) ?

Resp. Iudaei, sicut homines passionati, instabiles erant in fide, unde secundum omnem ventum mutabantur. Satiati enim, quasi blandiendo, Christum praedicabant esse vere prophetam, qui venturus erat in mundum; increpati vero ab eo, de illius operibus dubitabant. — Potest tamen dici quod, sicut in omni multitudine evenit, quidam credebant, quidam vero dubitabant.

III. — *Ad quidnam referri debent verba Christi:* SED DIXI VOBIS, QUIA ET VIDISTIS ME (6), *etc.* ?

Resp. Possunt utique referri ad ea quae superius dixit (7): *Amen, amen dico vobis: quaeritis me,* etc.; vel ad aliqua Christi verba non scripta, sicut quando dixit Marthae (8): *Nonne dixi tibi quoniam, si credideris, videbis gloriam Dei:*

IV. — *Quotuplicem instituit Christus differentiam inter manna et panem a se dandum* ?

Resp. Primam differentiam assignat Dominus in hoc, quod panis a se dandus futurus est de caelo: et hoc quidem sive intel-

(1) Io., VI, 28. — (2) Homil. XLV in Io., n. 1. — (3) Tract. XXV, in Io., n. 12. — (4) Sect. seq. — (5) Io., VI, 14. — (6) V. 36. — (7) V. 26. — (8) XI, 40.

ligatur de divinitate in Eucharistiae sacramento contenta, quae caelum empyreum specialiter inhabitat, sive de humanitate, quae de caelo, id est operante Spiritu Sancto, in utero Virginis est concepta. Secundo, panis Christi est vivus, imo dans vitam mundo; manna vero res iners erat, nec vitam corporis, nisi ad tempus, sustinebat. Tertio, panis Christi est panis verus, quod dicitur contra figurativum: licet enim manna non esset cibus fictus aut falsus, quia tamen ordinabatur ad figurandum cibum eucharisticum, ideo hic solus dicitur panis verus.

V. — *Utrum, ex his verbis Domini:* HAEC EST AUTEM VOLUNTAS PATRIS MEI ([1]), *etc., inferre liceat, non omnibus adultis concedi ut credant in Christum, et sic multos vita aeterna frustrari?*

Resp. Negative, cum de fide sit, omnibus adultis Deum gratiam sufficientem ad salutem elargiri: unde sensus horum verborum non est, voluntatem Patris esse ut aliqui tantum adulti videant Filium et credant in eum et sic habeant vitam aeternam; sed sensus est, nullum ad vitam aeternam, nisi per cognitionem et fidem in Christum, caritate formatam, praeordinari.

([1]) V. 40.

SECTIO CXXIII.

(I. VI, 41-47).

Argumentum. — *Cum dixisset Iesus se esse panem vivum qui de caelo descendit, murmurantibus Iudaeis, nunc, in hac tertia sui sermonis parte, reserat divinae gratiae, qua homo ad Deum trahitur, sublime mysterium.*

Ratio Sectionis. — Tangit hic Dominus essentialem conditionem, ut quis supernaturalis cibi a se promissi possit fieri particeps, quae est cordis humilitas atque animi docilitas, qua quis Dei verbo non contradicat, nec divinae motioni utcumque resistat, sed divinae gratiae stimulis pleno corde et animo volenti obsequatur.

(*a*) MURMURABANT ergo Iudaei de illo, quia dixisset: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi;* et dicebant: *Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos novimus patrem, et matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de caelo descendi*[2]? Respondit ergo Iesus et dixit eis: *Nolite murmurare in*

(*a*) I. VI, 41-47.

[1] Non quidem omnes Iudaei sic murmuraverunt, sed plures ex ipsis, ut innuimus ([1]). Hi nempe, cum debuissent humiliter accipere verba Christi, cuius sanctitatem atque potentiam in tantis iam miraculis erant experti, murmurationis peccato se committunt, patres suos imitati, qui leguntur murmurasse contra Deum in solitudine ([2]). Maxime autem offendebantur, quod Iesus dixisset se de caelo descendisse, unde intelligebant illum sibi divinam attribuere originem.

[2] Tripliciter hic Iudaei contra Christi dignitatem offendisse dicendi sunt: primo, quia illum putabant a parentibus communi aliorum hominum via generatum;

([1]) Sect. praeced., quaest. 1, p. 192. — ([2]) Exod., XVI, 2, 7, 8; Num., XI, 1; XIV, 1-11, 27, 29. 35; XX, 13.

invicem [3]: *nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum* [4]; *et ego resuscitabo eum in novissimo die* [5]. *Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei* [6]. *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me* [7]. *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit*

secundo, quia illum aestimabant purum hominem, quem proinde reputabant non potuisse de caelo descendere; tertio, quia humilem eius ortum ei vitio vertebant. — Notandum hic, ex verbis: *Nonne hic est filius Ioseph*, etc., utique deduci posse, ut iam innuimus, sanctum Patriarcham adhuc tunc in vivis fuisse (1).

[3] *In invicem,* graece, μετ' ἀλλήλων, id est, nolite inter vos mutuo disceptare, vel contendere: ex quo apparet alios cum Christo, alios contra Christum certasse, atque ita inter se murmurasse. Porro, verum peccatum est murmuratio, qua quis superiorum sapientiae detrahit, et simul eorum obedientiae se subtrahit (2).

[4] Christus hic gratiae necessitatem inculcat, cui utique homo, ob libertatem arbitrii, resistere potest, sed nunquam impune resistit.

[5] En iterum proclamat Christus virtutem, qua pollet, homines ad vitam revocandi. Loquitur autem hic de suscitatione bonorum in beatam immutationem, seu in glorificationem: mali enim etiam virtute Christi, sed ad suam aeternam confusionem, resurgent.

[6] Hoc dictum in pluribus prophetis, non quoad ipsa verba, sed quoad sensum, recurrit, puta in Isaia (3): *Repleta est terra scientia Domini, quasi aquae maris operientes;* et rursus (4): *Ponam omnes filios tuos doctos a Domino:* necnon apud Ieremiam (5): *Omnes a maiore eorum, usque ad minorem, cognoscent me* (6). — *Docibiles Dei,* διδακτοὶ Θεοῦ, *docti aut instituti a Deo,* quasi illo auctore.

[7] Haec est propositio conversa propositionis supra positae: *Nemo potest venire ad me,* etc.: sicut nullus potest ad Patrem venire, nisi illum Pater traxerit; ita, quem efficaciter trahit Pater, non potest ad Christum non pervenire, licet omnino intacta maneat eius libertas. — Duo igitur hic ponuntur: unum, quod pertinet ad donum Dei, quod est audire a Patre docente et manifestante; alterum, quod pertinet ad liberum arbitrium, quod est discere seu credere, quod tamen et ipsum est donum Patris.

(1) Vide supra, Sect. CIV, quaest. VI, p. 112 — (2) Cf. Exod., XV, 24; XVII, 3; Num., XIV, 2; Sap., I, 11, etc. — (3) XI, 9. — (4) LIV, 13 — (5) XXXI, 34. — (6) Cf. Ezech., XXXVI, 27.

Patrem [8]. *Amen, amen dico vobis: qui credit in me, habet vitam aeternam* [9].

[8] Ad intelligentiam huius loci, sumenda sunt verba, *non quia,* pro, *non dico quod.* Igitur, Christus, hic, errorem excludit putantium Patrem, ad quem pertinet homines efficaciter trahere, videri posse oculis corporeis, simulque suam asserit cum Patre consubstantialitatem, ob quam illum perfectissime cognoscit. — *Vidit,* ἑώρακεν, vidit et videt continuo: haec enim est indoles temporis perfecti, in graeco, ut designet id quod ex actione facta consequitur et permanet.

[9] Qui fide caritate ornata informatur, habet nunc vitam aeternam in spe, merito et radice, ac veluti in dispositione proxima.

QUAESTIONES.

I. — *Undenam oriebantur murmurationes Iudaeorum?*

Resp. Dici potest murmurasse malos et bonos: primo quidem malos, ut habet sacer Textus, eo quod viderent hominem, in sua aestimatione simplicem et rudem, tam sublimem promissionem facientem; praeterea, illi etiam contra credentes in Iesum murmurabant, quod eos nimis credulos haberent. Boni quoque perhibentur murmurasse contra malos, quibus indignabantur, eo quod in Iesum non crederent: at id cum indebito acrimoniae modo faciebant. Igitur, utrorumque murmurationem, utpote subiectioni erga Deum et caritati erga proximum, oppositam, excludit Dominus, adducto, contra incredulos, testimonio Isaiae et Ieremiae; contra credulos vero, invocato magno hoc principio, scilicet fidem esse Dei donum, unde non posse aliquem in eum credere, nisi Pater eum traxerit.

II. — *Quomodo trahit Deus hominem ad Christum?*

Resp. Hominem ad Christum trahit Deus per occultam Spiritus Sancti virtutem atque internam operationem; ideoque motu interno, non violento neque coacto, sed libero, spontaneo atque suavi: movet enim Deus unumquodque secundum modum suae naturae. Huic autem interno motui interdum addit Deus externum motum; hominem trahendo aliquando per flagella, ut illum humiliorem reddat, aliquando per beneficia ac promissa, ut illum efficacius alliciat ad bonum supernaturale.

III. — *Undenam provenit, quod aliqui ad Christum non trahantur?*

Resp. Cum Deus manum ad trahendum omnes, quantum in se

est, porrigat, si quis minime trahitur, hoc nequit nisi ex propria eius malitia repeti. Praeclara sunt S. Augustini verba qui, diversam comparans sortem Pharaonis et Nabuchodonosor, ait (1): *Quantum ad naturam, ambo homines erant, ambo captivum populum Dei possidentes, quantum ad poenam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit diversos? nisi quod unus manum Dei sentiens, in recordatione propriae iniquitatis ingemuit; alter libero contra misericordissimam Dei veritatem pugnavit arbitrio.*

IV. — *Quo pacto dicitur Christus resurrectio nostra?*

Resp. Christus dicitur resurrectio nostra, in quantum eius resurrectio est causa nostrae resurrectionis. Porro Christi resurrectio non est, proprie loquendo, causa meritoria nostrae resurrectionis, sed est causa efficiens et exemplaris. Efficiens quidem, inquantum eius humanitas, secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum divinitatis ipsius et in virtute eius operatur; unde Christi resurrectio est causa efficiens nostrae resurrectionis virtute divina, cuius proprium est mortuos vivificare, quae quidem virtus praesentialiter attingit omnia loca et tempora, et talis contactus virtualis sufficit ad rationem huius efficientiae; et quia primordialis causa resurrectionis humanae est divina iustitia, ex qua Christus habet potestatem iudicium facere, inquantum Filius hominis est. virtus effectiva resurrectionis eius se extendit non solum ad bonos, sed etiam ad malos, qui sunt eius iudicio subiecti. Est autem resurrectio Christi etiam causa exemplaris resurrectionis nostrae. Sicut enim resurrectio Christi fuit prima tempore, eo quod corpus eius erat corpus Dei, ita etiam prima fuit dignitate et perfectione: semper autem id quod est perfectissimum, est exemplar eius quod est minus perfectum secundum suum modum; ideoque resurrectio Christi est causa exemplaris nostrae resurrectionis Attamen, licet efficientia resurrectionis Domini nostri se extendat ad resurrectionem tam bonorum quam malorum, exemplaritas tamen eius se extendit proprie solum ad bonos, qui sunt facti conformes filiationis ipsius (2).

V. — *Quare, relate ad suam de Deo cognitionem, utitur Christus verbo* VIDIT; *relate vero ad cognitionem aliorum, verbo* AUDIVIT?

Resp. Quia cognitio quae est per visum, est immediata, facialis et aperta, qualem habuit anima Christi a principio eius conceptionis: cognitio vero per auditum fit mediante eo qui vidit, qualis est in nobis in via.

(1) L. de Praedest. et Gratia, c. 15. — (2) Cf. Rom., VIII, 29. S. Thom., 3, Quaest. LVI, art. 1, ad 3m, fere ad litt. Vide tr. n. DE NOVISSIMIS. Quaest. VII, art. 2, p. 407.

SECTIO CXXIV.

(I. VI, 48-60).

Argumentum. — *In quarta sermonis eucharistici parte, formaliter promittit Christus daturum se hominibus carnem suam in cibum, et sanguinem suum in potum: contradicentibus vero nonnullis, necessitatem inculcat manducandi carnem suam et bibendi sanguinem suum, ostendens quanto praestet cibus iste ipso manna.*

Ratio Sectionis. — Cum Eucharistiae Sacramentum in se altissimum sit atque nobis utilissimum, idcirco ad omnem errorem, dubitationemve praecludendam, aperte et ubertim de illo pertractat Dominus, quantum videlicet attinet ad illius promissionem, quae fit verbo vel assertione: postea enim de eodem sacramento Christus aget formaliter, quando illud re et facto ipso consecrabit *.

(*a*) EGO *sum panis vitae* [1]. *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de caelo descendens; ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur* [2]. *Ego sum panis vivus qui de caelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis quem*

(*a*) I. VI, 48-60.

[1] Hoc iam supra dixerat Christus (1); at idipsum nunc repetit, ut congrue audientes praeparet ad id quod dicturus est, se scilicet dare carnem suam ad manducandum et sanguinem suum ad bibendum. Porro Christus est panis vitae substantialiter, quia illo in Sacramento cibamur, quia tamen in nos convertatur, sed potius nos in se convertit; causaliter, quia dat nobis vitam gratiae in praesenti, et gloriae in futuro.

[2] Opponit hic Christus panem quem se daturum pollicetur, cibo illi a Deo divinitus subministrato in deserto, quantum ad differentiam effectuum: qui enim manna ederunt, mortui sunt, non solum morte naturae, sed etiam plures ex ipsis, morte culpae; novum autem hunc panem edentes, illius virtute, vitam consequuntur

* Infra, Sect. CCLXXVI.

(1) Sect. CXXII, n. 6, p. 190.

ego dabo, caro mea est pro mundi vita [3]. Litigabant ergo Iudaei ad invicem dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum* [4]? Dixit ergo eis Iesus: *Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* [5]. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* [6]. *Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus*

aeternam. — De comparatione manna inter et panem a Christo dandum, egimus supra ([1]).

[3] Gradatim perducit Christus auditores suos ad plenam veritatis cognitionem: cum enim de mirabili effectu novi huius cibi disseruisset, iam aperte declarat se ipsum esse excellentissimum hunc cibum; denique, sub quanam forma illum daturus sit, exponit, scilicet suam propriam carnem hominibus dando pro mundi vita. O ineffabilis caritas Christi! *Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur,* ait S. Augustinus ([2]). — *Panis vivus,* ὁ ἄρτος ὁ ζῶν, scilicet, *panis ille,* per excellentiam, *qui vivit.* — Porro, in hoc quod dicit Christus: *Pro mundi vita,* iam alludit ad passionem et mortem suam: unde signanter dicit: *dabo,* cum tempus illud nondum advenisset.

[4] Duo hinc colligimus: primum, Iudaeos Christi verba intellexisse de reali carnis eius manducatione; alterum, male fuisse eorum mentem dispositam ad Christi verba suscipienda: ex visis enim signis deducere debuissent, non deficere Christo medium ad id quod promiserat sine indecentia praestandum. Porro, nihil aliud fecerunt haeretici, qui huius Sacramenti veritatem negaverunt, nisi blasphemas Iudaeorum voces resonare. — Notandum, quanta arrogantia de Christo loquuntur, quem nominare detrectant, dicentes, *hic,* οὗτος.

[5] Non retractat Christus, nec attenuat ea quae dixit; sed addita iurisiurandi sanctitate, potius urget et inculcat, quasi dicat: Sicut corpus sine corporeo cibo non sustentatur nec permanet in vita naturali, sic anima sine hoc cibo vivifico non persistit in vita gratiae. Quinimmo, quod iam dixerat, fortius inculcat, introducta etiam necessitate sanguinem suum bibendi.

[6] Qui Christum in se, per huius Sacramenti dignam manducationem recipit, vitam habet aeternam, cuius Christus est fons; et resurget in novissimo die, ut totus, scilicet secundum animam et se-

([1]) Sect. CXXII, quaest. IV, p. 192. — ([2]) Tract. XXVI in Io., n. 13.

vere est potus [7]. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo* [8]. *Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me* [9]. *Hic est panis qui de caelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet*

cundum corpus, fruatur Christo. — Notandum est verbum, quo hic et infra ([4]) utitur S. Ioannes, scilicet, ὁ τρώγων, significare *rodere,* aut *dentibus comminuere.*

[7] Christus addit haec verba, ad insinuandum quod caro sua vere et substantialiter sub specie panis, et sanguis suus vere ac substantialiter sub specie vini contineantur, et quod utrumque a communicante vere sumatur, cum cibum oporteat manducanti vere uniri. — Notanda est vis particulae coniunctivae *enim,* qua explicatur sensus praecedentium verborum: scilicet, ne quis reputet Christum loqui de manducatione metaphorica, hic explicat quomodo verba *manducare* et *bibere* sensu proprio debeant intelligi. Potius autem dicit Christus *caro* quam *corpus,* quia caro magis dicit quid comestibile, quam corpus.

[8] Communicans manet in Christo, sicut membrum in capite, recipiendo influentiam eius; et Christus manet in illo, sicut caput in membro, influendo in illud. Quapropter intima haec inhabitatio Christi in eo qui Eucharistiam recipit, non est per meram physicam coniunctionem animae ad caelestem eius hospitem, sed est per supernaturalem cognitionem, quae est per fidem, et per amorem reciprocum verae amicitiae, qui est amor caritatis. Recte igitur, etsi metaphorice, coniunctio haec comparatur cerae, cui altera cera coniungitur, necnon commixtioni fermenti cum farina.

[9] Sicut ego vitam meam a Patre recepi a quo processi, et iterum ad Patrem refero, scilicet ad honorem et gloriam eius, tanquam ad ultimum finem; ita vos, accipientes a me, per hoc Sacramentum, vitam spiritualem indeficienter, ad honorem et gloriam meam, vitam vestram ordinabitis. — Notandum, ex eo quod nunc dicit Christus: *Qui manducat me,* clare inferri, eum qui manducat eius carnem et bibit eius sanguinem, totum Christum, scilicet, eius quoque animam et divinitatem, per concomitantiam, sumere. — Notandum quoque, praepositionem διά, pro qua habet Vulgata *propter,* hic utrobique inveniri cum accusativo, et utrumque significare posse, scilicet, *per* et *propter.*

([4]) v. 57.

in aeternum [10]. Haec dixit in synagoga docens, in Capharnaum [11].

[10] Repetit hic Christus et fortius inculcat differentiam iam positam inter cibum materialem, Iudaeis in manna subministratum, et cibum hunc supersubstantialem, quo amarissima eius passio et ardentissima eius in nos caritas insigniter recoluntur: qui quidem cibus animam alit in vitam aeternam.

[11] Signanter notat Evangelista locum in quo haec protulit Iesus, quasi ad testes veritatis dictorum suorum provocando: nempe, hoc fuit in civitate praecipua Galilaeae, in loco patenti cultui veri Dei dicato, coram multis testibus, quin timeret reprehendi, aut fraudis vel falsitatis argui; unde in passione sua protestatus est ([1]): *Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in synagogis.* Eucharistiam Christus clam instituit, solis Apostolis testibus; at, ne quis ignorantiam caussaretur, illam frequentissimo in coetu promisit ac nuntiavit; nec murmur aut incredulitas quorumdam mysterii fidem labefactavit, sed potius indirecte roboravit.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum de fide sit, Christum hic agere de sacramento Eucharistiae?*

Resp. Hoc quidem de fide non est; dici tamen potest fidei proximum, tum propter auctoritatem Concilii Tridentini ([2]) plures versus allegantis pro doctrina de Sacramento Eucharistiae ([3]); tum propter communem Patrum et Doctorum Ecclesiae in hac re consensum. — Nec obstat S. Augustinus, scribens ([4]): *Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non negligant; fiant corpus Christi, si volunt vivere de spiritu Christi* ([5]); nam etsi quandoque sanctus hic Pater aliqua ex hoc loco metaphorice exponit, attamen sensum proprium, qui est de vera et propria manducatione, saepius asserit; puta, cum dicit ([6]): *Et nos hodie accipimus visibilem cibum, sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Quam multi de altari accipiunt et moriuntur, et accipiendo moriuntur!* — Igitur, relinquendi sunt, hac in re, Caietanus et Iansenius, negantium agi de sacramento in hoc sermone, et dicentium solum hic commendari fidem in passionem et mortem Domini.

([1]) Io., XVIII. 20. — ([2]) Sess. XIII, c. 2; Sess. XXI, c. 1. — ([3]) vers. 52, 54, 55, 58. — ([4]) Tract. XXVI in Io., v. 52. — ([5]) Cf. de Doctr. Christ., l. III, c. 24. — ([6]) Tract. XXVI in Io., v. 48. 49.

Quibus respondetur, utique hunc quoque sensum verbis Domini efferri, at secundario, nec omnino ad prioris, seu proprii sensus exclusionem.

II. — *Cur non dixit Christus:* SI QUIS MANDUCAVERIT HUNC PANEM, *sed*, EX HOC PANE ?

Resp. Ad insinuandum quod panis iste inconsumptibilis est, nunquam deficiens (1).

III. — *Quid sit manducare sacramentaliter tantum, manducare sacramentaliter simul et spiritualiter, et manducare spiritualiter tantum ?*

Resp. Ad intelligendam hanc differentiam, oportet scire quod in sacramento altaris sunt tria: primum est sacramentum tantum, videlicet species panis et vini post consecrationem; secundum est res et sacramentum, videlicet corpus et sanguis Christi; tertium est res tantum, utpote gratia sacramentalis, vel unitas corporis mystici. Species itaque panis et vini dicuntur sacramentum, quoniam rei sacrae sunt signum, videlicet corporis et sanguinis Christi. Corpus vero est res respectu signi, et est sacramentum respectu sui effectus qui est gratia, vel respectu sui signati, quod est corpus mysticum, puta Ecclesia. Cum igitur aliquis accipit corpus et sanguinem sub speciebus sacramentalibus, et non participat sacramenti huius effectum, scilicet gratiam atque Ecclesiae incorporationem, propter suam incapacitatem, indignitatem et pravitatem, qua ponit obicem gratiae, dicitur manducare sacramentaliter tantum. Cum vero sumendo sacramentum, recipit eius salutarem effectum, manducat sacramentaliter et spiritualiter. Dum vero sortitur effectum praefatum, nec tamen suscipit sacramentum, manducat spiritualiter tantum (2).

IV. — *Utrum verbis:* NISI MANDUCAVERITIS, *etc., eamdem Christus necessitatem inculcare voluerit quoad Eucharistiam, quam de baptismate extulit, cum dixit* (3): NISI QUIS RENATUS FUERIT, *etc.?*

Resp. Negative: nam baptismus quidem est necessarius necessitate absoluta, seu necessitate medii, non ita vero Eucharistia, cuius finis, id est perfectio vitae spiritualis, potest haberi etiam per manducationem spiritualem, seu per fidem. Nam, cum baptismus sit ianua sacramentorum et inchoatio vitae spiritualis, patet sine illo non posse hominem vitam christianam traducere; unde parvuli sine baptismate in re percepto, adulti vero sine illius voto, nequeunt intrare in vitam aeternam; at finem Eucharistiae, qui est coniunctio

(1) Dion. Cartus., in h. l. — (2) Dion. Cartus., in h. loc., ad litt. Cf. tr. n. DE SSMA EUCHARISTIA, Vol. I, Quaest. LXXX-LXXXI, art. I, n. 2, p. 408. — (3) Io., III, 5.

cum Christo, potest homo sine illius perceptione consequi, non tamen sine illius voto, si sit adultus; infans vero tali voto non indiget, ut salutem consequatur.

V. — *Utrum in verbis Christi:* NISI MANDUCAVERITIS, *etc., contineatur praeceptum, sacramentum sub utraque specie sumendi?*

Resp. Negative: nam licet transubstantio panis directe terminetur ad carnem Salvatoris, et conversio vini ad sanguinem eius, ex naturali tamen concomitantia sub utraque specie sunt quatuor: nam, sub specie panis est corpus Christi vi conversionis; anima vero, sanguis et Verbum, sunt ibi ex naturali sequela, cum non sint separata ad invicem. Similiter, sub specie vini est sanguis directe per conversionem; caro autem, anima et Verbum sunt ibi per concomitantiam. Ergo accipiens corpus accipit etiam sanguinem; nec ex hoc quod Ecclesia vetuit ne fideles de calice participent, populus quidquam de hoc sacramento defraudatur, uti calumniabantur novatores (1).

VI. — *Quomodo intelligenda sunt verba:* SICUT MISIT ME, *etc.?*

Resp. Aliqui, cum Caietano et Iansenio, ea referunt formaliter ad humanam Christi naturam, ob id quod dicitur, *misit me;* alii vero ea referunt formaliter ad divinam naturam, eo quod nominatur *Pater.* — Sed, si bene res perpendatur, apparebit ad utramque ea referri debere, cum missio sit ipsa aeterna processio cum relatione ad effectum temporalem (2), et nomen Pater sumi possit notionaliter et essentialiter. Igitur, prior sensus est: Sicut ego procedo a Patre, a quo naturam et proprietates et operationes absolutas recipio; ita, qui me in communione recipit, percipiet, quantum possibile sit, per communicationem gratiae, naturam meam divinam, seu fiet divinae meae naturae, necnon divinarum mearum proprietatum et operationum consors. Alter sensus est, sicut humanam meam naturam, et totum id quod in ipsa operor, a Patre, id est a tota Trinitate repeto et ad ipsam ultimo refero; ita, qui me in Eucharistia digne perceperit, se et omnia sua me repetet et ad me ultimo referet, *ut in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum* (3).

VII. — *Quosnam effectus producit cibus eucharisticus in anima?*

Resp. Quoniam sacramentum istud est cibus, ideo quidquid operatur cibus materialis in corpore manducantis, hoc agit cibus iste spiritualis in anima digne recipientis. Quemadmodum ergo

(1) Io., III, 9. — (2) Cf. tr. DE SSMA TRINITATE, Quaest. XLIII, art. I, n. 2, p. 445. — (3) I Pet., IV, 11.

cibus corporeus naturalem vitam sustentat, confortat, ad perfectionem deducit, deperditum reparat, delectat et impinguat; sic cibus iste vivificus vitam spiritualem ac deiformem in anima fulcit, roborat, perficit, amissa bona restaurat, exhilarat et impinguat, divitias gratiae accumulando in anima. Unde effectus sacramenti istius sunt collatio gratiae, adeptio gloriae, remissio peccati mortalis obliti ac venialium, diminutio poenae, mitigatio fomitis, praeservatio a malis futuris, secundum quod dicit S. Ioannes Chrystomus (1): *Sicut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedamus terribiles facti diabolo* (2).

VIII. — *Quid agere debemus, ut fructum huius sacramenti plene percipere possimus?*

Resp. Ut huius praecellentis sacramenti fructum plene percipere possimus, debemus fervido animo, sollicita mente, ac reverenti corde ad Christi mensam nos praeparare, venialia peccata, quantum in nobis est, vitando, mentem ad Christum frequenter erigendo, cordis custodiae iugiter insistendo. Tunc enim poterimus multiplicem huius sacramenti fructum percipere, eiusque dulcedinem mirabiliter degustare: quod aliter non contingit. Quamvis enim venialia et distractio improvisa, sacramenti huius principales effectus non impediant, impediunt tamen experimentalem gustum suavitatis ipsius (3).

(1) Homil. LXI ad pop. Antioch. — (2) Dion. Cartus., ad litt. Cf. tr. n. DE SSMA EUCHAR., Quaest. LXXIX. — (3) Dion. Cartus., ibid.

SECTIO CXXV.

(I. VI, 61-72).

Argumentum. — *Ultima pars sermonis eucharistici: multis ex discipulis de Christi verbis murmurantibus atque scandalum sumentibus, testatur Dominus spiritum esse qui vivificat: pro duodecim vero Apostolis edit Petrus splendidam fidei confessionem; Christus demum praedicit se ab uno eorum prodendum.*

Ratio Sectionis. — In magna illa animorum contentione, quam dubium non est ex Christi sermone originem duxisse, cernere licet imaginem eius quod in mundo evenit, relate ad revelatae veritatis susceptionem: multis scilicet ei contradicentibus, pauci, dum Petro firmiter adhaerent et verbo Dei humiliter acquiescunt, salutem consequuntur. Quam hic, generalibus tantum terminis, praedicit Christus de se eventura proditio, clarius ab eodem, in ultima coena significabitur *.

(*a*) MULTI ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: *Durus hic est sermo, et quis potest eum audire* [1]? Sciens autem Iesus apud semetipsum [2], quia murmurarent

(*a*) I. VI, 61-72.

[1] Isti non simplici fide ac puro corde verba Christi, ut debuissent, susceperunt; ideoque cum debuissent intellectum suum subiicere in obsequium Christi, haec quae ille dixerat de corporis et sanguinis sui edulio, sensui suo materiali accommodantes, censuerunt cibum istum eo modo fore sumendum, quo alii cibi apponuntur et sumuntur; unde *durum*, seu rationi ac veritati contrarium, appellant hunc sermonem. — Ex numero multorum excludi certe debent Apostoli ([1]) et nonnulli alii: multi siquidem, non omnes, abierunt retrorsum. — *Durus*, graece σκληρός, quod est, *austerus, rigidus, difficilis captu:* uno verbo, sermo plenus offensionis, qui ferri nequit.

[2] Licet falsi illi discipuli sensus suos palam minime manifestarent, Iesus tamen in luce propriae notitiae, absque exteriori perceptione, clare cognovit quomodo suae doctrinae illi contradicerent.

* Cf. Sect. CCLXXIII.

([1]) Cf. vers. 68.

de hoc discipuli eius, dixit eis: *Hoc vos scandalizat* [3]? *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius* [4]? *Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quidquam* [5]. *Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* [6]. *Sed sunt*

[3] Utique scandalo passivo seu accepto, non autem activo seu dato: et quidem pharisaicum fuit illorum discipulorum scandalum.

[4] Duplex est horum verborum sensus: prior, si haec quae dico de mea carne comedenda et de meo sanguine bibendo, molesta ac dura vobis videntur, quid putabitis, cum vobis praedicavero me revocatum iri in vitam, in caelum conscensurum, atque ad dexteram Patris sessurum? — Alter sensus est, si id quod de mea carne manducanda dixi incredibile vobis videtur, cum tamen adhuc praesens sum super terram, quanto magis incredibile erit, cum assumptus fuero in caelum? — Ex quibus verbis sic intellectis, contra hodiernos Capharnaitas, reali Christi in Eucharistia praesentiae adversantes, licet arguere quod si Christus intendisset loqui, uti ipsi volunt, de spirituali sui in Eucharistia praesentia, huic difficultati locus non fuisset, cum non minus spiritualiter ibi praesens esse possit post ascensionem, quam antea. — Notandum, verbum *videritis*, θεωρῆτε, hic non significare, *propriis oculis conspexeritis*, cum discipuli illi murmurantes non viderint Dominum ascendentem in caelum, sed stare generaliter pro, *cognoveritis*.

[5] Sicut corpus naturale sine anima mortuum est, ita caro, etiam Christi, sine spiritu, nihil prodest. Caro enim illa sanctissima ideo nobis facta est salvifica, quia de Spiritu Sancto concepta, et a Spiritu Sancto ordinata ad patiendum pro salute nostra; nos autem illam sine debitis dispositionibus manducare non debemus, secus fiet nobis in condemnationem.

[6] Notandum sedulo, hic non dicere Christum: *Verba mea spiritualia sunt*, vel *spiritualiter intelligenda*, sed formaliter et sine ambagibus: *Spiritus et vita sunt*; graece expressius: τὰ ῥήματα... πνεῦμά ἐστιν καὶ ζωή ἐστιν, *spiritus sunt, et vita sunt*. Quod quidem dupliciter potest intelligi, secundum quod nomen graecum ῥήματα accipitur vel pro verbo proprio seu sermone, vel pro verbo metaphorico, seu re per sermonem significata. Priori modo, sensus est, Christi sermoni inesse vim efficiendi id quod per ipsum significatur; *vivus est enim sermo Dei et efficax* ([1]); et hoc modo docet Dominus non debuisse discipulos de veritate dictorum suorum dubitare, cum verbum suum omnipotens sit. Al-

([1]) Hebr., IV, 12.

quidam ex vobis qui non credunt [7]. Sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum [8]. Et dicebat: *Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo* [9]. Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro, et iam non cum illo ambulabant [10]. Dixit ergo Iesus ad duodecim: *Numquid et*

tero modo, sensus est, rem quae dixit, scilicet praesentiam sui in Eucharistia, esse spiritum et vitam, obiective quidem efficienter, quia cibus ille et potus dat animae vitam spiritualem; subiective vero, secundum nostram aestimationem, quia verba haec spiritualem requirunt intellectum, cum corpus Christi non sit in hoc Sacramento, sicut in loco, seu per propriam dimensionem; sed per dimensionem panis, et per modum substantiae. Igitur, id quod dixi, de manducanda carne mea, a vobis quidem vulgariter nimis intenditur, perinde ac si dilaniari deberet mea caro ac in frusta concidi, quemadmodum caro quae venit in macello; at altiorem sensum praeseferunt verba mea: scilicet, carnem meam vobis dabo, non eo modo quo belluina caro dari solet, sed spirituali ratione, sicut decet corpus mox glorificandum: talis quippe caro dentibus dilacerari, et a stomaco consumi nequit.

[7] Sunt qui non credunt non solum verba haec, sed generaliter omnia verba mea; qui certe discepuli mei non sunt, nam addiscentem oportet magistro credere.

[8] Verba sunt S. Evangelistae, cui semper cordi est Christi supereminentem scientiam asserere. Spectant autem ultima verba ad Iudam et ad eos ex discipulis, qui dixerant: *Durus est hic sermo.* — *Ab initio,* ἐξ ἀρχῆς, id est, vel ab aeternitate, si agatur de divina Christi scientia; vel a conceptionis momento, si sermo sit de eius scientia beata aut indita.

[9] Signanter quia sciebam multos fore qui in me crediturі non essent, vobis dixi ([1]) neminem posse ad me venire, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Per hoc autem non excusat Christus huiusmodi incredulos, sed magis illos exstimulat, ut fidei donum a Patre impetrent. *Magnum gratiae mysterium,* ait S. Augustinus ([2]). *Nemo venit, nisi tractus. Quem trahat, et quem non trahat; quare illum trahat, et illum non trahat? Noli velle iudicare, si non vis errare. Semel accipe, et intellige. Non traheris? ora ut traharis.*

[10] His auditis, multi per infidelitatem et apostasiam Christi sequelae valedixerunt, et post Satanam, ad quem pertinebant, abierunt, intellectum suum Chri-

([1]) Vers. 44. — ([2]) Tract. XXVI in Io., n. 2.

vos vultis abire [11] ? Respondit ergo ei Simon Petrus : *Domine, ad quem ibimus ? verba vitae aeternae habes. Et nos credidimus, et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei* [12]. Respondit eis Iesus : *Nonne ego vos duodecim elegi ? et ex vobis unus diabolus est* [13] ? Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem ; hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim [14].

sto subiicere recusantes. Certe, non permisisset Dominus tot ex suis discipulis scandalum pati atque illum deserere, si id quod dixerat intelligendum fuisset tantummodo de spirituali sui praesentia in Eucharistia. Duodecim vero Apostoli et septuaginta duo discipuli cum Christo, saltem apparenter et ad tempus, perseraverunt. Sic Iudas, licet videret se a Christo detectum, eum tamen non legitur deseruisse.

[11] Non quasi ignorans hoc ab eis sciscitatur Christus : sed ut horum fidem comprobet, eamque nostrae imitationi proponat ; insuper ostendere vult Christus, se coacta obsequia non acceptare.

[12] Petrus, tanquam ferventior ac principalior inter Apostolos, pro ceteris respondet, splendidam emittens fidei professionem, qua et Christi divinitatem, et eius salvificam missionem palam testatur. Obvius igitur horum verborum sensus est : etsi verba quae tu modo protulisti plene non intelligimus, tamen nostrum est eisdem assentiri ; quandoquidem non es, ut alii dicebant, filius naturalis Ioseph, sed verus Filius Dei. — Notandus est duplex articulus in graeco : Σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ : id est, *tu es ille Christus, a Deo promissus,* ille verus et naturalis Filius Dei vivi. — Advertendum tamen, in multis iisque insignibus codicibus, legi : Σὺ εἶ ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ, *tu es Sanctus ille Dei,* id est, Messias promissus in prophetis.

[13] Dixerat Petrus indiscriminatim : *Et nos credidimus,* etc. ; nunc autem ei significat Christus nimis bonam illi opinionem fuisse de omnibus suis collegis, simulque sanctum quemdam timorem in omnibus ingerit, atque eos praemunit contra scandalum, quod ex lapsu unius ex duodecim oriturum erat. — Notandum est nomen *diabolus,* quod primo sacrilege communicaturo decernit Christus.

[14] Implicite per haec verba Christus admonuit Iudam, qui sibi de propria pravitate conscius fuit ; certe enim malus fuit cum haec verba de eo dicta sunt ; et probabiliter in malo permansit quousque, prodito Christo, seipsum laqueo suspendit ([1]). — Pro *Iscariotem,* graece est Ἰσκαριώτου, scilicet genitivo casu ; unde patet cognomen istud Iudae patri iam fuisse.

([1]) Vide supra, Sect. LXX, quaest. VIII, p. 418.

QUAESTIONES.

I. — *Undenam processit quod multi de Christi sermone, tanquam duro, murmuraverint?*

Resp. Ex eorum superbia: nimirum, cum intelligerent dictum Domini nostri, quasi ille carnem suam in frusta concisam diceret manducandam, renuerunt dubium suum Christo humiliter subiicere, atque sic in perverso suo sensu obstinati permanserunt.

II. — *Utrum Christi ascensio in caelum sit maius miraculum, quam eius praesentia in Eucharistia?*

Resp. Ascensio Christi, sumpta complexive, prout scilicet comprehendit resurrectionem ad vitam supernaturalem gloriae, maius miraculum est, quam praesentia Christi in Eucharistia: haec enim ad secundum ordinem miraculorum, scilicet quoad subiectum, pertinet, illa vero, quatenus connectit glorificationem corporis, pertinet ad primum ordinem, nempe quoad ipsam substantiam facti.

III. — *Utrum Christi verba:* SPIRITUS EST QUI VIVIFICAT, CARO NON PRODEST QUIDQUAM, *significent:* CARNALIS MANDUCATIO NIHIL PRODEST, SED SOLUM SPIRITUALIS?

Resp. Sic quidem protestantium non pauci verba haec interpretantur, at perperam: nam, primo quidem, spiritus et caro idem non sunt ac spiritualis manducatio, carnalis manducatio; deinde, Christus generalem sententiam proposuit: non dixit enim *caro mea,* sed absolute, *caro:* unde etsi verum est, ea quae de Christo dicuntur esse accipienda spiritualiter, et eum qui carnaliter ea accipit nihil proficere, proprius tamen sensus est, naturam corporis vel carnis, si seorsim intelligatur, non esse vivificam: ideo enim caro Christi vim habet nos vivificandi, quia coniuncta est divinitati.

IV. — *Quomodo inexcusabilis est homo qui ad Christum non venit, si revera venire non potest, nisi Deus dederit?*

Resp. Deus, quantum in se est, paratus est nobis opem impendere, et revera gratiam influit, dummodo faciamus id quod in nobis est: cum igitur dicamur illud per nos posse, quod possumus per amicos, hinc licet a nobis ipsis nihil possimus, possumus tamen, dante Deo, quidquid Deus nobis praecipit adimplere; et hoc modo, possumus exequi quod iubemur, ita ut inexcusabiles simus, si illud non fecerimus.

V. — *Quomodo dicere potuit S. Petrus:* ET NOS CREDIDIMUS ET COGNOVIMUS, *cum scientia fidem evacuet?*

Resp. Utique S. Petrus fide supernaturali, etsi nondum perfecta et stabilita, credidit Christum esse Filium Dei; cognitio autem illa non fuit scientia quae sit de rebus visis, sed cognitio per donum intellectus, quod inest omnibus fidem habentibus, per quod anima perspicit quae fidei sunt, videns per aliquam rationem, qua fides ostenditur esse a Deo, quod vera sint quae asserit fides. Et congrue ait: *Credidimus et cognovimus,* quoniam credere praecedit intelligere (1).

(1) Dion. Cartus., in h. l.

PARS V.

A tertio Paschate vitae publicae Iesu Christi Domini nostri usque ad ultimam eius vitae mortalis hebdomadam.

SECTIO CXXVI.

(Mt. XV, 1; Mc. VII, 1-4; I. VI, 1[a]).

Argumentum. — *Ambulante Iesu in Galilaeam, pharisaei videntes eius discipulos manus non, ut ipsi faciebant, frequenter lavare, eosdem superbe vituperant.*

Ratio Sectionis. — Quod hic et duabus sequentibus Sectionibus. de pharisaeorum traditionibus ponitur, a duobus tantum Evangelistis S. Matthaeo et S. Marco refertur; dubium autem non est, quin id evenerit brevi tempore post Pascha, quod credere possumus Iesum Hierosolymis celebrasse *. Sanctus vero Ioannes, ex quo priora huius Sectionis verba referimus, sicut inter finem capitis quinti et initium capitis sexti sui Evangelii, spatium unius anni praetermiserat **, ita nunc iterum vacuum relinquit sex mensium spatium, scilicet inter eucharisticum sermonem et festum Scenopegiae seu Tabernaculorum, quod quidem a Paschate sex circiter mensium spatio distabat. Porro, res a Christo hoc temporis intervallo gestae ab aliis Evangelistis accurate supplentur.

(a) POST haec autem ambulabat Iesus in Galilaeam: non enim volebat in Iudaeam ambulare [1], quia quaere-

(a) I. VII, 1.

[1] Non dicit Evangelista: *non audebat,* quia non audere est animi agnoscentis suam imbecillitatem, et nolentis aggredi malum quod obiicitur. Christus quidem potens erat malum hoc aggredi et repellere, idque fecisset, nisi satius duxisset cedere furori eorum, ne gravius peccarent, et ut divinum in se consilium adimpleretur. Nihil tamen prohibet quin hic in Christo aliquem timorem sponte assumptum agnoscamus. — Pro *in Galilaeam,* graece legitur ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ, et similiter, pro *in Iudaeam,* ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ. Sensus est Iesum, cum Galilaeam iam circuisset, eam

* Infra, n. I. — ** Cf. supra, Sect. CXIII, n. 5, p. 152.

bant eum Iudaei interficere [2]. (*a* Tunc accesserunt, (*b*) et conveniunt ad eum Pharisaei et quidam de Scribis, venientes ab Ierosolymis [3]. Et cum vidissent quosdam ex discipulis eius communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, vituperaverunt [4]. Pharisaei enim, et omnes Iudaei, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum [5]; et a foro nisi baptizentur, non comedunt [6]. Et alia multa sunt, quae tradita sunt illis servare,

(*a*) Mt. xv, 1. — (*b*) Mc. vii, 1-4.

ulterius peragrasse, regnum Dei praedicando: noluerat enim remanere in Iudaea, ubi fuerat, ad Pascha celebrandum.

[2] Causam probabiliter adducebant, sabbatum ab eo violatum, cum paralytico, quem sanaverat, iusserat lectum tollere; illi insuper crimini vertebant, quod in concione, anno superiore, Hierosolymis habita, Deum sibi Patrem praedicasset, seque Deo fecisset aequalem ([1]).

[3] Probabile est pharisaeos istos et scribas fuisse e Galilaea, a Paschatis festo quod celebraverant Hierosolymis, quo Iesus quoque se contulerat, nuper reversos. Improbabile non est, eos a synedrio deputatos fuisse, ut Iesum, cuius fama in dies crescebat, observarent. — *Conveniunt,* συνάγονται, *congregantur,* scilicet ad Iesum: quo loquendi modo innuitur, eos aliquo tempore apud Iesum commoratos fuisse.

[4] Manus quidem, si quando immundae essent, lavabant discipuli; at pharisaei id pro lege habebant, cibum ad mensam, nunquam, nisi lotis manibus, tangere. Ceterum, discipulorum laudi vertendum est, quod sycophantae illi nihil aliud in eis reprehendendum invenerint. — Notandum, in graeco desiderari verbum *vituperaverunt,* unde sententia non absolvitur, sed suspensa manet. Quocirca, ad vitandum huiusmodi inconveniens, quod dicitur anacoluthon, et est vitium orationis, in hoc consistens, quod non sequitur quod superioribus respondeat, aliquis inseruit verbum ἐμέμψαντο, *vituperaverunt.* — *Communibus manibus,* κοιναῖς χερσί, est, *profanis manibus.*

[5] In melioribus et complurimis codicibus graecis, non est πυκνά, *crebro,* sed πυγμῇ, *pugno,* id est, manum manu confricando, quo modo qui maculas in manibus habent, facere solent: mirum autem esset, si crebro manus ante comestionem lavissent.

[6] Intellige, a foro redeuntes non edunt, nisi loti vel abluti fuerint. Attamen non est hic sermo de completa lotione cor-

([1]) Vide supra, Sect. lxxxiii, lxxxiv, pp. 8, seq.

baptismata calicum, et urceorum, et aeramentorum, et lectorum [7].

poris, vel balneo: nam, quod in graeco legitur, ἐὰν μὴ ῥαντίσωνται, proprie significat, *nisi aspergantur*.

[7] Haec quidem Apostoli quoque, quantum necesse erat, utpote res laudabiles si ordinatim et modeste fiant, observabant: pharisaei vero superstitiose istis praxibus nimium valorem annectebant, neglectis divinis, praesertim de caritate, praeceptis. — Pro *calicum,* graece est ποτηρίων, id est, *poculorum;* pro *urceorum* vero, ξεστῶν, id est, *sextariorum,* seu vasorum quibus vina infunduntur. *Aeramentum,* χαλκίον, est vas ahenum, seu aereum, ad cibum parandum; *lectus* vero κλίνη. hic videtur significare lectum triclinarem, quo ad mensam accumbebant. Attamen, in pluribus graecis codicibus, deest vox *lectorum.* — Notandum zeugma esse in hoc quod dicitur, *baptismata calicum,* etc.; nimirum, calices, urcei et aeramenta aqua quidem immergebantur; lecti vero aspergebantur: cum per zeugma verbum adhibeatur quod cum uno subiectorum convenit, subintellecto alio verbo alteri subiecto conveniente ([1]).

QUAESTIONES.

I. — *Utrum Dominus noster tertium Pascha Hierosolymis celebraverit?*

Resp. Licet id sileant Evangelistae, probabilius tamen dicitur Dominum nostrum Hierosolymam tunc se contulisse, ut secundum morem suum festum Paschae ibi celebraret. Hoc quidem suaderi etiam potest ex eo quod pharisaei et scribae, qui nullam eum carpendi occasionem praeteribant, de non adimpleto hoc praecepto eidem calumniari non potuerunt ([2]). — Nec obstant verba S. Ioannis: *Post haec,* scilicet post sermonem eucharisticum, *ambulabat Iesus in Galilaeam:* potuit enim Iesus Hierosolymam se conferre, et statim in Galilaeam reverti, relicta Iudaea, ubi sciebat se ad mortem quaeri. — Notandum, pro eo quod legitur: *Non enim volebat in Iudaeam ambulare,* in graeco legi: οὐ γὰρ ἤθελεν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ περιπατεῖν, quasi intra fines Iudaeae, ubi Paschatis tempore versabatur, contineri nollet.

([1]) Cf. Sect. IV, n. 8, Vol. I, p. 30. — ([2]) Cf. supra, Sect. CIV, Quaest. VI, p. 112, 113.

II. — *Utrum certae purificationes, seu lustrationes lege mosaica praescriberentur?*

Resp. Affirmative, quando videlicet certa quaedam immunditiei genera contracta fuissent; attamen, manuum lotio, ante cibi sumptionem hoc modo praescripta non erat; sed inducta videtur a doctoribus legis vel a rabbinis; usus vero eiusdem invaluit potissime auctoritate Hillel et Schammai, qui in scriptis rabbinicis, nomine et auctoritate seniorum seu presbyterorum, gavisi fuisse leguntur.

III. — *In quonam peccabant pharisaei, dum huiusmodi lustrationes urgebant?*

Resp. Primo, in eo quod certas quasdam lustrationes, in lege minime contentas, ut manuum ante sumptionem cibi, gratuito imponebant; secundo, in eo quod lustrationes rituales, praeter casus in lege consideratos, urgebant, quando videlicet non constasset hominem aliquid immundi tetigisse, vel in commercium personae legaliter immundae devenisse. Eo autem illi procedebant, ut dicerent gravius peccare qui traditiones seniorum neglexisset, quam qui contra legem mosaicam aperte deliquisset.

IV. — *In quonam differunt christianae traditiones a traditionibus pharisaeorum?*

Resp. Primo, traditiones christianae originem habent vel a Christo eiusque Apostolis, vel ab Ecclesia, Spiritu Sancto edocta et inspirata; secundo, nihil continent legi divinae aut Scripturis contrarium, imo characterem quemdam sanctitatis praeseferunt; tertio, homines adiuvant, ut divinis praeceptis perfectius obtemperent. Traditiones pharisaicae, e contra, humanam omnino habebant originem; circa res futiles versabantur; occasionem praebebant transgrediendi divinae legis praecepta; demum animum superbum et inflatum reddebant.

SECTIO CXXVII.

(Mt. XV, 2-9; Mc. VII, 5 13).

Argumentum. — *Pharisaeos, discipulos superbe despicientes, quod communibus manibus manducarent, Salvator vicissim redarguit, quod divinas ipsimet leges violarent, ut traditionibus suis obtemperarent, eorum simul hypocrisim magna libertate eisdem vitio vertens.*

Ratio Sectionis. — Duo quae adducit Dominus noster in condemnationem hypocriseos pharisaeorum, aequaliter leguntur apud S. Matthaeum et S. Marcum, ordine tamen inverso : videlicet ille quidem primo loco confutat falsam normam qua pharisaei se regi fatebantur, et postea Isaiae de eis praedictionem recitat; hic vero, viceversa : porro, nos hoc loci ordinem S. Matthaei observabimus *. Totus hic est Dominus in condemnando hypocrisis, seu fucatae virtutis vitio.

(*a*) ET interrogabant eum pharisaei et scribae, (*b*) dicentes : *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum* [1] ? *non enim lavant manus suas cum panem manducant ;* (*c*) *sed communibus manibus manducant panem* [2] ? (*d*) Ipse autem respondens ait illis : *Quare et vos trans-*

(*a*) Mc. VII, 5. — (*b*) Mt. XV, 2. — (*c*) Mc. VII, 5. — (*d*) Mt. XV, 3. —

[1] *Seniores* hic non intelliguntur magistratus populi, sed antiqui, ii scilicet qui ante eos similiter fecerant.

[2] Traditio haec ad illas pertinebat, quas vocabant δευτέρωσεις, quae scilicet aut contra, aut saltem praeter legem erant, utpote de rebus indifferentibus et nihil ad pietatem conducentibus. Huiusmodi igitur traditiones, de generatione in generationem oraliter transmissae, ad meras nugas reducebantur, et valde distinctae erant ab iis de quibus mentio fit in Levitico ([1]). — Nomen *panis* hic per synecdochen ponitur ad significandum

* Cf. infra, quaest. I, p. 218.

([1]) XI, 31.

gredimini mandatum Dei propter traditionem vestram [3] ? (*a*) *Moyses enim,* (*b*) *Deus dixit:* (*c*) *Honora patrem tuum, et matrem tuam; et: Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur* [4]. *Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri aut matri, Corban* (quod est donum) (*d*) *quodcumque est ex me, tibi proderit* [5]: *et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam* [6]; *et irritum fecistis mandatum Dei propter traditio-*

(*a*) Mc. VII, 10. — (*b*) Mt. XV, 3. — (*c*) Mc. VII, 10-11. — (*d*) Mt. XV, 5-6.

omnem cibum. — Videre est hinc quantum in lege mosaica observantes fuerint discipuli, quorum vitam pharisaei, licet multum scrutati fuissent, de nullo tamen alio reprehendere potuerint.

[3] Non ex impatientia, sed ex zelo iustitiae, ad innocentes iustificandos, accusat nunc Dominus invidos accusatores, clavum sic clavo retundens.

[4] Hisce Dei praescriptionibus, per Moysen latis ([1]), ut significat S. Marcus ([2]), non solum reverentia filiorum erga carnales parentes inculcatur, sed etiam in memoriam eis revocatur officium quod illis incumbebat eisdem in indigentia positis, necessaria vitae subministrandi. Si enim peccat qui maledicit patri aut matri, non minus peccare dicendus est qui eisdem malefacit, aut abstinet ab eisdem benefaciendo, cum debet.

[5] *Corban* nomen est hebraicum, significans munus ([3]); quod nomen postea extensum est ad designandum gazophylacium templi, in quod populi oblationes inferebantur ([4]). Vulgatus tamen et consuetudine receptus huius vocis usus erat, ut filius qui illam protulisset, intelligere daret parentibus suis, rem, quam hi forsan in sustentationem suae vitae postulabant, iam esse Deo consecratam, nec posse sine sacrilegio ad profanos usus converti.

[6] Huius loci sensus est: Si quis dixerit patri aut matri: *Quidquid Deo oblulero utilius tibi erit, quam si illud tibi praestarem.* Sciendum enim, sacerdotes, annuentibus scribis et pharisaeis, ut maiores sibi conciliarent oblationes, hanc introduxisse in populum persuasionem, quam legis instar haberi volebant, ut si quid Deo a filiis fuisset consecratum, plus sic prodesset parentibus egentibus, quam si illud eis revera daretur: unde sic, primo, filii eximebantur ab officio indigentibus parentibus succurrendi; secundo, crescebant oblationes quae sacerdotibus, et per eos forsitan etiam scribis et pharisaeis,

([1]) Exod., XX, 12; XXI, 17; Deut., V, 16; Levit., XX, 9. — ([2]) VII, 10. — ([3]) Cf. Levit., I, 2, 3. — ([4]) Matth., XXVII, 6.

nem vestram [7]; (*a*) *et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri, rescindentes verbum Dei per traditionem vestram quam tradidistis* [8]: *et similia huiusmodi multa facitis.* (*b*) *Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum* [9], (*c*) *relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum* [10], *baptismata urceorum et calicum: et alia similia his facitis multa* [11]. Et dicebat illis:

(*a*) Mc. VII, 12-13. — (*b*) Mt. XV, 7-9. — (*c*) Mc. VII, 8-9.

usui cedebant. Haec vero praxis nefaria erat: non vult enim Deus ea sibi offerri, quae aliis, officii causa, elargiri debemus.

[7] Haec traditio originis mere humanae nulla obligandi vi pollebat, cum directe adversaretur legi Dei de subsidiis egenis parentibus subministrandis. — *Irritum fecistis,* graece ἠκυρώσατε, quod est *abrogastis, nullius roboris fecistis.*

[8] *Vestram* appellat Dominus huiusmodi traditionem, addens, *quam tradidistis;* ut ostendat quam opposita foret divinae ordinationi. — *Rescindentes,* ἀκυροῦντες, id est, *irritantes,* nullius roboris, aut auctoritatis facientes.

[9] Locus hic allegatus, est ex Isaia ([1]); significat autem propheta, accepta Deo non esse obsequia sine cordis devotione ei exhibita. Obiurgationem hanc, a Propheta in populum sui temporis directam, rite Christus ad Hebraeos sibi coaevos transtulit, cum clare tunc videret, hos pariter fore obcaecandos mente et obdurandos corde. — Ultima verba apud Isaiam ita audiunt: *Et timuerunt me mandato hominum et doctrinis.* Sed nec minus ad eosdem applicari possunt subsequentia verba ([2]): *Ideo, ecce ego addam, et admirationem faciam populo huic miraculo grandi, et stupendo: peribit enim sapientia a sapientibus eius, et intellectus prudentium eius abscondetur.* — *Sine causa,* μάτην, *incassum, inutiliter.*

[10] Huiusmodi vanae observantiae, humano spiritu inductae, citra, vel etiam contra divina mandata, nec meritoriae sunt, nec hominem perducunt ad ultimum finem, qui est vita aeterna.

[11] Saepe lavare solebant Iudaei calices, lances, urceos, cuiusvis materiae, scilicet argillaceae, argenteae, aenaeae, aut etiam li-

([1]) XXIX, 13. — ([2]) Vers. 14.

Bene irritum facitis praeceptum Dei, ut traditionem vestram servetis [12].

gneae, ne eis utentes coinquinarentur: quibus in ritibus summam cultus Dei reponebant.

[12] His docemur, divinam semper voluntatem nostris praeferendam esse desideriis. — *Bene*, καλῶς, *praeclare:* quod non sine quadam ironia dicitur.

QUAESTIONES.

I. — *Cum S. Matthaeus prius recenseat Christum Iudaeos obiurgasse, eo quod transgrederentur mandatum Dei, et dein recitasse de eis prophetiam Isaiae, S. Marcus vero e converso haec narret, uter rem iuxta historiam refert?*

Resp. Videtur probabiliter S. Matthaeus ordinem sermonis Christi observasse, cum naturale sit prius eum insolentiam pharisaeorum velut argumento ad hominem retudisse, eos interrogando: *Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras*, dein per verba Isaiae obiurgationem suam in Iudaeos latam confirmasse, ne qua videlicet eis excusatio relinqueretur. Sic quippe procedebat Christus a minori ad maius. Ceterum, ex hac diversitate ordinis apud S. Matthaeum et S. Marcum, apparet quam gratuito a modernis quibusdam asseratur unum ab altero doctrinam suam fuisse mutuatum.

II. — *Utrum verba:* ET NON HONORIFICABIT PATREM SUUM, *etc., referantur tanquam prolata a Domino nostro, an a pharisaeis?*

Resp. Videntur referri tanquam a pharisaeis prolata, cum in potioribus graecis codicibus desit particula coniunctiva *et:* unde verba: *Non honorificabit,* etc., οὐ μὴ τιμήσει, sunt veluti explicatio vel consequentia praecedentis: scilicet corban illud, iam cultui dicatum, nequit sine sacrilegio detrahi, proindeque non urget lex honorificandi patrem vel matrem.

III. — *Utrum ex verbis Domini nostri:* QUARE ET VOS TRANSGREDIMINI, *etc., inferre liceat ecclesiasticas traditiones non esse servandas?*

Resp. Ita quidem edixere protestantes, at perperam; cum hic Dominus non de traditionibus generaliter, sed de speciali tantum traditione hic agat, ut constat ex verbis quibus expresse utitur: scilicet *traditionem vestram,* vel *traditionem hominum.* Quaenam autem fuerit huiusmodi reprehensibilis traditio, Dominus ipse explicat: unde

per hoc minime excludit traditiones divinas, quas scilicet Deus praecepto suo sancivit, licet in Scriptura consignatae non inveniantur, ut est, verbi gratia, baptismus parvulorum; nec traditiones ecclesiasticas, quales a Summis Pontificibus aut Praelatis Ecclesiae legitime institutae sunt, uti sunt caeremoniae sacramentorum, festa, ieiunia, et cetera huiusmodi; nec denique honestas civiles traditiones, quae in bonum hominum introductae sunt, nec divino honori utcumque contrariantur.

IV. — *Utrum vanus sit usus delectorum ciborum, qualis in Ecclesia Catholica servatur?*

Resp. Consequentiam hanc ex praeinductis Domini verbis inferunt quidem protestantes; perperam tamen: cum Ecclesia minime distinguat inter cibos de se mundos et immundos, nec asserat eorumdem contractatione vel esu hominem coinquinari. Sed sicut Deus in veteri lege cibos aliquos prohibuit ob significationem, et pariter Apostoli, in nova lege, nonnullorum ciborum, ut suffocati, sanguinis et idolothytarum, usum ad tempus vetuerunt, scilicet ad declinandum scandalum pusillorum; ita Ecclesia iubet fideles, certis diebus, a quibusdam cibis abstinere, mortificationis gratia, quo liberius Deo serviant, gulam atque superbiam hoc modo efficaciter compescentes.

V. — *Utrum filius ingredi possit religionem, parentibus in gravi necessitate existentibus?*

Resp. Negative, cum divina lege officio teneatur gravi eorumdem inopiae succurrere: unde etiam de S. Augustino legitur (1), eum hereditates a nonnullis suae ecclesiae relictas recusasse, quod aequius esse videret ut a mortuorum filiis vel parentibus possiderentur, quibus illi forsan indiguissent.

VI. — *Utrum omnis hypocrisis sit peccatum mortale?*

Resp. Hypocrisis est peccatum mortale quando quis sanctitatem contemnit, nolens eam acquirere, et statuens in peccato perseverare, licet sanctitatem simulet et sic hominibus placere studeat. Sic pharisaeorum hypocrisis mortalis erat, quos proinde frequenter Dominus reprehendit. Pariter, mortale peccatum est quando, licet sanctitatem non contemnat, eam tamen simulat ob finem caritati repugnantem, puta, ut melius possit haereses disseminare, aut ut facilius possit fornicationem committere. Si vero sit sine sanctitatis contemptu et absque fine caritati graviter repugnante, sed tamen sanctitatem simulet vel quam non habeat, vel maiorem quam habeat, veniale peccatum est (2).

(1) Possid., in Vita S. Augustini, c. XIV. — (2) S. Thom., 2 2ae, Quaest. CXI, art. 2.

SECTIO CXXVIII.

(Mt. XV, 10-20; Mc. VII, 14-23).

Argumentum. — *Docet Dominus hominem non coinquinari per id quod intrat in ipsum, sed per ea quae ab ipso procedunt: de qua re scandalum sumunt pharisaei; tum, rogante Petro, declarat Dominus parabolam hanc significare, verum hominis malum a corde procedere.*

Ratio Sectionis. — Sequentia Christi monita de cordis sanctitate et puritate, prae corporis cultu, aemulanda, aeque penes duos priores Evangelistas, eosque solos, inveniuntur: nisi quod solus S. Matthaeus et pharisaeorum scandalum et illorum a Domino prolatam reprobationem refert: qui etiam petitionem de explicanda parabola, quam S. Marcus generaliter Apostolis tribuit, ab uno S. Petro factam fuisse expresse narrat.

(*a*) ET convocatis ad se (*b*) iterum (*c*) turbis [1], (*d*) dicebat illis: *Audite me omnes, et intelligite. Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare; sed quae de homine procedunt, illa sunt quae communicant hominem* [2]. *Si quis habet aures audiendi, audiat* [3]. Et cum in-

(*a*) Mt. xv, 10. — (*b*) Mc. vii, 14. — (*c*) Mt. xv, 10. — (*d*) Mc. vii, 14-17.

[1] Hucusque pharisaei seorsum cum Iesu locuti erant, ut de violatis, ut putabant, a discipulis eius, maiorum traditionibus quererentur: nunc igitur caelestis Magister turbas ad se iterum convocat, opportuna moralitatis documenta eis traditurus.

[2] Docet hic Christus, alimento corporali, quidquid demum illud sit, hominem per se non coinquinari, cum omnis creatura Dei bona sit ([1]); malas vero cogitationes, quae in corde concipiuntur et sic ex corde exire censentur, hominem revera commaculare: ista enim ex perverso libero arbitrio procedere intelliguntur. Ceterum verba haec Dominus noster ipse in fine huius Sectionis expendet. — *Communicare* idem est ac *coinquinare*: nam idem graecum verbum pro utroque ponitur, κοινῶσαι.

[3] Hac formula, qua interdum utitur Christus, insinuatur quanti

([1]) 1 Tim., iv, 4.

troisset in domum a turba, (*a*) tunc accedentes discipuli eius dixerunt ei [4]: *Scis quia pharisaei, audito verbo hoc, scandalizati sunt* [5]? At ille respondens ait: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicabitur* [6]. *Sinite illos* [7]: *caeci sunt, et duces caecorum* [8]. *Caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt* [9]. Respondens autem Petrus, dixit ei: *Edissere nobis parabolam istam* [10]. At ille dixit: *Adhuc et vos sine intellectu estis?*

(*a*) Mt. xv, 12-16.

sit momenti instructio data ([1]). — Attamen verba haec in pluribus graecis codicibus hoc loco desunt.

[4] En iterum Dominus noster solis discipulis uberiora doctrinae documenta impertit, quatenus per eos ad turbam usque derivanda forent.

[5] Scandalum huiusmodi oriebatur ex caecitate intellectus pharisaeorum, necnon ex superbia et obduratione cordis eorum; sic etiamnum haeretici et apostatae, audita veritate, saepe obstinatiores in malo fiunt. Forsan et ipsi discipuli aliquantulum turbabantur, quod sibi videretur Christus aliquid contra legem velle statuere; et sic ei insinuant, ne infensis pharisaeis ansam praebeat offensionis.

[6] Potest hoc intelligi de hominibus, de doctrina et de operibus: non raro enim homines palmites vocantur, quorum surculi sunt doctrina et opera. Igitur, qui a patre non inseruntur in vite Christo, eradicabuntur, et simul cum eis falsa eorum dogmata et opera perversa dissipabuntur.

[7] Docet hic Christus negligendum esse scandalum pharisaicum, nec propterea omittendam esse viam veritatis et iustitiae. *Melius est,* ait S. Bernardus ([2]), *ut scandalum oriatur, quam ut veritas derelinquatur.*

[8] Graece, τυφλοί εἰσιν ὁδηγοὶ τυφλῶν, id est, *caeci sunt duces caecorum,* seu ducunt caecos, aut viam caecis monstrant.

[9] Hinc collige, magno Dei beneficio vertendum, si qua congregatio vel societas praelatos habeat doctos atque virtuosos.

[10] Verebantur discipuli dicere Christo, se quoque turbatos fuisse ex eis quae de munditia dixerat: unde Petrus, *os discipulorum et caput chori,* στόμα τῶν μαθητῶν καὶ κορυφὴ τοῦ χοροῦ, ut illum vocat S. Ioannes Chrysostomus ([3]), omnium nomine, explicationem petit. — Notandum, id

([1]) Cf. Matth, xi, 15; Marc., iv, 9. etc. — ([2]) Epist. xxxiv et lxxviii. — ([3]) Homil. in parab. decem mill. talent., n. 3.

(*a*) *Sic et vos imprudentes estis* [11] ? (*b*) *Non intelligitis, quia omne* (*c*) *extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare : quia non intrat in cor eius, sed in ventrem vadit, et in secessum exit, purgans omnes escas* [12] ? Dicebat autem, *quoniam quae de homine exeunt, illa communicant hominem* [13]. *Ab intus enim de corde hominum malae cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritiae, nequitiae, dolus, impudicitiae, oculus malus,* (*d*) *falsa testimonia, blasphemiae,* (*e*) *superbia, stultitia* [14]. *Omnia haec*

(*a*) Mc. VII, 18. — (*b*) Mt. XV, 17. — (*c*) Mc. VII, 18-22. — (*d*) Mt. XV, 19. — (*e*) Mc. VII, 22-23.

quod dixit Christus : *Nihil est extra hominem,* etc., non fuisse proprie parabolam, sed manifestam sententiam ; at cum discipuli rudis essent intellectus, putarunt Dominum per parabolam locutum fuisse, ideoque mysticum illius sententiae intellectum quaesiverunt.

[11] Pluraliter alloquitur Christus Apostolos, eo quod probe noverat Petrum in persona quoque sociorum suorum fuisse locutum. — Adhuc, ἀκμήν, id est, post tantum temporis quo mecum fuistis.

[12] Cibus quicumque hominem, ut sic, commaculare non potest : per hoc enim quod natura egerit superfluum alimenti, id quod remanet purificatur et in substantiam hominis transit. Sed etsi venenum homo propinaverit, non propterea ipse coinquinatur : cum eius mentem et voluntatem non possit attingere. — Cave hic, ne, cum impuro Oecolampadio, verba haec contra realem Domini nostri praesentiam in Eucharistia distorqueas, quasi Domini corpus, si inibi esset, deberet in stomacho corrumpi : Christus enim est in Eucharistia modo omnino impassibili, et a comedentibus nec alteratur, nec concoquitur ullo modo. — Participium *purgans,* καθαρίζων, refertur ad *secessum,* ἀφεδρῶνα, per figuram ἀναχόλουθον, quae est quando in oratione, quod sequitur superiori non respondet. Usus huiusmodi licentiae, in graeco, non infrequens est.

[13] Cum homo sit liberi arbitrii, ea tantum possunt illum coinquinare, quae ille contra Dei legem corde conceperit, cum ex corde tantum procedat malitia cogitationum, verborum et operum : sicut, e converso, ex recto corde procedit omne bonum, quo homo Deo placere valeat.

[14] Diserte hic ponit Christus potissima peccata quae contra decalogum committuntur, ut Iudaeos ad illius observantiam revocet. Consulto autem primo loco ponuntur *malae cogitationes,* οἱ

mala ab intus procedunt, et (*l*) *haec sunt, quae coinquinant hominem* [15]. *Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem* [16].

(*l*) Mt. xv, 20.

διαλογισμοὶ οἱ κακοί, seu *consilia* vel *ratiocinationes malae,* quae sunt cuiuslibet mali operis fons et origo; primo enim scelera animo et cogitatione concipiuntur; tum hominum conspectui exhibentur. — *Avaritiae* sunt artificia, quibus lucri cupiditas cum aliorum damno exercetur; *nequitiae,* πονηρίαι, sunt machinationes malignae; *impudicitiae,* ἀσέλγεια, sunt effrenata petulantia, aut voluptas libidinosa; *oculus malus* hic significat livorem et invidiam; demum *stultitia,* ἀφροσύνη, est insipientia, quae peccatoribus solet in Scripturis attribui.

[15] Magis ergo solliciti esse debemus de cordis custodia, quam de externo habitu corporis; et semper prae oculis nobis habendum est sacratissimum Cor Iesu, quod simul est fons omnium virtutum, atque perfectum totius sanctitatis exemplar. Huc pertinet illud Proverbiorum ([1]): *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.*

[16] Hic igitur est finis totius huiusmodi Christi discursus, puritatem cordis magis quam corporis prosequi nos debere; immo illam absque ista nihil prodesse, et propterea homini enitendum ut corporis cultum, qualis lege Dei permittitur et probata hominum consuetudine consulitur, in bonum animae ordinet.

QUAESTIONES.

I. — *Cum ait Dominus noster, nihil extrinsecus homini, posse eum coinquinare, sed tantum quae de homine procedunt, de quanam immunditia loquitur?*

Resp. Certe, non potest loqui de immunditia legali, quae per quosdam cibos, ut puta, carnem suinam, contrahi poterat: quapropter de immunditia spirituali agit, quae in macula peccati formaliter consistit, ut patet exemplis ab ipso Domino nostro adductis, cuiusmodi sunt homicidia, furta, avaritiae, et ante omnia, cogitationes malae, quae nusquam recensentur inter causas immunditiae legalis.

([1]) IV, 23.

II. — *Qua ratione ait Christus cibum hominem non coinquinare, cum homo manducando possit mortaliter peccare?*

Resp. Cibus hominem non inquinat per se, sed ratione praecepti illius usum gubernantis: sic, peccat qui cibos vetitos sumit, aut etiam cibos licitos, sed tempore prohibito, aut ultra temperantiae modum: quo casu, non cibus hominem coinquinat, sed malus motus cordis vel voluntatis, legi Dei vel Ecclesiae non acquiescentis.

III. — *Utrum ex verbis Domini:* OMNE EXTRINSECUS INTROIENS IN HOMINEM, etc., *deduci possit nihil de alimento converti in substantiam aliti?*

Resp. Ita nonnulli, cum Magistro Sententiarum [1], inferendum censuerunt, non attendentes hunc esse modum frequentem loquendi in Sacra Scriptura, ut totum ponatur pro parte, et viceversa; unde non excludit Dominus quin acceptae escae convertantur in aliti substantiam, atque diffundantur per medullas, venas, nervos atque artus. Ceterum, non dixit Christus, *totum,* sed *omne,* scilicet quodvis cibi genus et ex quovis cibo aliquid eiici. Multo minus exhinc inferri liceret, peccatum originale, in singulis hominibus, per hoc propagari, quod in unoquoque extat particula carnis ex Adam derivata, quam aiunt unice ad hominis substantiam pertinere, quasi caro ex cibo procreata non esset nisi huius particulae fomentum; ut sic Christus sit a peccato originali exemptus, quia particula ad illum formandum ordinata, fuit in initio a fomite libera. Peccatum enim originale contrahitur per generationem ex seminali ratione: ideoque Christus illud minime contraxit, quia fuit de Spiritu Sancto conceptus.

IV. — *Utrum ex Christi verbis:* DE CORDE PROCEDUNT MALAE COGITATIONES, etc., *inferri possit animam sedem habere in corde?*

Resp. Negative: primo enim improprie sedes aliqua attribuitur animae, cum simplex omnino et spiritualis sit; deinde Christus sermonem suum communi hominum loquendi modo accommodat, secundum quem cor accipitur pro mente ac voluntate, eo quod voluntatis affectiones esse solent cum aliquo motu cordis; unde idem est procedere ex corde, quod procedere ab intus, seu ab hominis voluntate.

[1] L. II. Dist. ult., in fine.

SECTIO CXXIX.

(Mt. XV, 21-28; Mc. VII, 24-30).

Argumentum. — *Chananaea mulier pro filiae incolumitate Iesum supplex exorat: qui fidem eius valde demiratus, filiam a daemonio reapse liberat.*

Ratio Sectionis. — Soli iterum duo priores Evangelistae narrationem rerum a Iesu immediate post praedicta gestarum prosequuntur, notato illius itinere et incipiendo a sanatione filiae mulieris Chananaeae. Quod attinet ad locum huius eventus, videtur inter S. Matthaeum et S. Marcum dissonantia quaedam adesse: nam, iuxta litteram S. Matthaei, concludendum videretur, rem secus viam accidisse; iuxta S. Marcum vero, domi; unde supponit S. Augustinus, mulierem primo domum ingressam, dein post Iesum exiisse, illum exorantem *. At facilius solvitur apparens antilogia, dicendo mulierem illam Christo obviam fuisse in via, dum domum versus cum discipulis procederet; quo cum pervenisset, etsi significasset se velle solum manere, permisit tamen ut ipsa mulier intraret, quae statim procidit ad pedes eius. Suadetur autem haec explicatio, advertendo, a S. Marco nec primos mulieris clamores, quibus Dominus non respondit, nec discipulorum in eius causa interventum, nec Christi ad eos responsionem referri, sed illum exordiri dicendo mulierem ad Iesu pedes procidisse: quae quidem adoratio a S. quoque Matthaeo recensetur, relatis prius illius supplicationibus. Quocirca verba: *Et ingressus domum,* etc., habenda sunt tanquam introductorius sermo, cuius ratio subsequenti narratione assignatur.

(*a*) ET egressus inde Iesus, secessit in partes Tyri et Sidonis [1]; (*b*) et ingressus domum, neminem voluit scire; et non potuit latere [2]. Mulier enim (*c*) Chananaea, a

(*a*) Mt. xv, 21. — (*b*) Mc. vii, 24-25. — (*c*) Mt. xv, 22.

[1] Phoenicia erat provincia Syriae, eiusque principales urbes erant Tyrus et Sidon, a quibus ipsa regio denominabatur, et quae de summo imperio inter se olim decertaverant. — Dicit S. Matthaeus de Iesu quod *secessit*, ἀνεχώρησεν, quasi locum petens magis quietum et ab insidiis et offensione pharisaeorum tutiorem.

[2] Voluit Iesus sese occultare, nec permisit ut Apostoli illum manifestarent, per hoc nos edocens vanam fugere ostentationem; at honor sequitur fugien-

* L. II de Consensu Evangelist., c. XLIX, n. 103.

finibus illis egressa [3], (*a*) statim ut audivit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, (*b*) clamavit [4], dicens ei: *Miserere mei, Domine fili David* [5]; *filia mea male a daemonio vexatur* [6]. Qui non respondit ei verbum [7]. Et accedentes discipuli eius rogabant eum, dicentes: *Dimitte eam; quia clamat post nos* [8]. Ipse autem respondens ait: *Non sum missus, nisi ad oves, quae perierunt domus Israel* [9]. At illa

(*a*) Mc. VII, 25. — (*b*) Mt. XV, 22-25.

tem. Iam fama Iesu in illis quoque regionibus divulgata erat.

[3] In Phoenicia olim habitabant Chananaei, gentilitatis superstitionibus deditissimi. A Graecis vero dicebantur Syrophoenissi, seu Syrophoenices, ut distinguerentur a ceteris Phoenicibus seu Poenis Africae. Porro mulier illa afflicta Christo obviam venit, iam antequam ipse Phoeniciae fines ingrederetur. — Pro *enim,* in multis, iisque potioribus codicibus graecis, habetur *autem,* ἀλλά, in oppositione ad id quod dictum est, Iesum voluisse latere, et non potuisse.

[4] Admiranda est fides huius mulieris, quae, licet in gentilitate educata et conversata, audita tamen Domini nostri fama, ad illum fiduciosa cucurrit.

[5] Appellationem hanc audierat mulier, cum notitia de Messiae bonitate et potentia ad eam usque iam pervenisset. Igitur mulier ista, femineae oblita verecundiae, clamat ad Christum, necessitatem suam simpliciter et devote pandens. Dicit autem *miserere mei,* sic matris amorem patefaciens: morbum quippe filiae, quasi esset proprius, considerabat.

[6] Κακῶς δαιμονίζεται, id est, a daemonio obsessa, dire ab eo torquetur. Ex odio enim quo daemon hominem prosequitur, illum non solum in anima affligit, sed etiam in corpore interdum dire cruciat.

[7] Non ex contemptu siluit Dominus, sed ratione mysterii, ad significandum se primo advenisse ad subveniendum populo Israel; necnon ut illa instantius peteret, et ardentius postulando, copiosius mereretur exaudiri.

[8] Mulier non clamaverat, nisi ad Iesum, et tamen discipuli dicunt: *Clamat post nos,* unum iam se cum Christo in Deo reputantes. Isti autem suam interponunt mediationem, tum quia mulieris clamore toedio afficiebantur, tum quia excellenti eius fide ac devotione permotos se sentiebant et miseriae illius compatiebantur.

[9] Aeternis Dei decretis statutum fuerat, ut Christus per se Hebraeis salutem adferret, gentibus vero per Apostolos, et quidem, quando illi oblatam sibi salutis gratiam iam respuissent. Hinc S. Paulus vocat Christum

venit, (*a*) intravit, et procidit ad pedes eius, (*b*) et adoravit eum. (*c*) Erat enim mulier gentilis, Syrophoenissa genere [10]. Et rogabat eum, ut daemonium eiiceret de filia eius, (*d*) dicens: *Domine, adiuva me* [11]. Qui respondens ait (*e*) illi: *Sine prius saturari filios; non est enim bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus* [12]. At illa respondit, et dixit illi: *Utique, Domine; nam et catelli comedunt sub mensa de micis puerorum, (f) quae cadunt de mensa dominorum suorum* [13]. Tunc respondens Iesus, ait illi: *O mulier,*

(*a*) Mc. VII, 25. — (*b*) Mt. XV, 25. — (*c*) Mc. VII, 26. — (*d*) Mt. XV, 25-26. — (*e*) Mc. VII, 27-28. — (*f*) Mt.XV, 27-28.

ministrum circumcisionis ([1]); et idem S. Paulus cum Barnaba Iudaeis blasphemantibus dixerunt ([2]): *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei. Sed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes.*

[10] Per eo quod habet Vulgata: *Erat enim mulier gentilis, Syrophoenissa genere,* legitur in graeco: ἡ δὲ γυνὴ ἦν Ἑλληνίς, Συροφοινίκισσα τῷ γένει, *mulier autem erat graeca, Syrophoenissa genere:* scilicet graeca erat, non natione, sed religione, quo sensu saepe, in novo Testamento, nomen ἕλλην stat pro gentili. Insuper, mulier haec erat oriunda ex Syrophoenicia, seu ex Phoenicia quae pars erat Syriae.

[11] Cum sciret mulier filiam suam non posse sanari nisi a Deo, humiliter petiit, ut per Iesum, cuius mediationem ducebat Deo gratam evadere, impetraret id quod per se impetrare non poterat. Dicit autem, *adiuva me,* quia filiae molestiam tanquam propriam considerabat.

[12] Sensus hic a Domino intentus et a muliere intellectus, non est sensus litteralis, sed metaphoricus: scilicet sibivult Iesus, rem ordinatam non esse, ut spiritualia Dei beneficia, primo promissa Iudaeis qui filii Dei nominantur, et quorum adoptio, υἱοθεσία, est filiorum ([3]), gentilibus impendantur, qui ob idololatriae crimen canibus comparantur. — *Canibus,* τοῖς κυναρίοις, quod idem nomen repetitur, pro eo quod inferius mulier dicit, *catelli.* — Non statim Iesus petitioni mulieris acquiescit, ut ei occasionem praebeat magnam suam fidem patefaciendi.

[13] Sensum verborum Christi bene intendit mulier, quae se canem esse non negat, sed tamen catellorum more, quidquam de pane filiorum percipere se posse fidens confitetur; ad id Dominum

([1]) Rom., XV, 8. — ([2]) Act., XIII, 46. — ([3]) Rom., IX, 4.

magna est fides tua: (a) propter hunc sermonem, (b) fiat tibi sicut vis; (c) vade; exiit daemonium a filia tua [14]. (*d*) Et sanata est filia eius ex illa hora. (*e*) Et cum abiisset domum suam, invenit puellam iacentem supra lectum, et daemonium exiisse [15].

(*a*) Mc. VII, 29. — (*b*) Mt. XV, 28. — (*c*) Mc. VII, 29. — (*d*) Mt. XV, 28. — (*e*) Mc. VII, 30.

provocans, quod in divitum domibus evenit, scilicet, catellos non omnino negligi. Et tamen mulier ista iam non erat canis, cum tam splendidam fidei professionem palam edidisset: *Miserere mei, Domine, fili David.*

[14] Iesus nunc, quasi diutius laboraverit suam dissimulando bonitatem, visa tanta fide, se nunc amplius continere nequit, et omnipotentiam suam solo verbo demonstrat: sic quodammodo anticipans tempus praestitum pro beneficiis gentilibus exhibendis: sicut precibus Matris suae, in Cana, tempus manifestationis suae anticipaverat (1). — Vide hinc quale sit apud Christum fidei meritum: omnia scilicet, bona a Deo impetrat, et victoriam de hoste maligno reportat, iuxta illud (2): *Haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra.* Foris quidem, id est exterioribus verbis et signis, asperiorem se Christus mulieri monstravit; sed illi se eo benigniorem facto ipso exhibuit, per immediatam gratiae tam desideratae collationem. — Notanda vis graeci textus: μεγάλη σου ἡ πίστις, ubi articulus vim dictioni adiicit. — Notandum ulterius, de nullo alio Christum fidem demiratum fuisse, nisi de centurione et muliere Chananaea, utroque gentili.

[15] Puella supra lectum placida quiescebat, toto corporis habitu demonstrans se iam a daemonii infestatione sanatam fuisse. — Hoc facto docemur quantae sit efficaciae apud Deum perseverantia in ferventi oratione: nihil enim est quod per eam a divina bonitate impetrare non possimus.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum Iesus Phoeniciam revera sit ingressus, an tantum versus illam sit profectus, in eius confiniis commoratus?*

Resp. Videtur Iesus Phoeniciam revera ingressus fuisse, ibique aliquandiu versatus, prout ex S. Marco deducitur, dicente (3): *Et*

(1) Cf. Sect. XXVIII, Vol. I, p. 191. — (2) 1 Io., V, 4. — (3) VII, 31.

iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilaeae (1). Nec obstat quod hic dictum est (2): *Mulier enim Chananaea a finibus illis egressa:* hoc enim potest intelligi sic, ut quamprimum mulier haec audivit Iesum appropinquare, e regione illa sit egressa et venerit obviam Iesu, quae postea cum ipso Iesu et discipulis sit iterum in suam regionem ingressa. — Obiicienti, Christum ipsum dixisse discipulis (3): *In viam gentium ne abieritis,* responderi potest, primo, illum adstrictum minime fuisse iis servandis, quae discipulis praeceperat; secundo, illum eo non ut praedicaturum abiisse, sed potius ut sibi et dilectis discipulis paululum quietis conciliaret, quod subindicatur, in eo quod dicitur seipsum occultare voluisse; tertio, in regionem gentilium Christum ideo se conferre voluisse, ut significaret regnum Dei, a Iudaeis repulsum, a gentibus acceptum iri.

II. — *Quomodo fuit Christus omnipotens, si latere non potuit?*

Resp. Certe Christus abscondere se potuisset, si absolute voluisset, qui aliquando invisibilem se reddidit; sed id nunc fecit, quod solent facere homines, latere volentes, id est subduxit se a turba, prohibens ne quis ad se accederet; hoc tamen non satis fuit ut omnino lateret; nam turbae, comperto quod ibi esset, statim ad illum accedere voluerunt. Pertinet igitur illa voluntas ad voluntatem signi, non beneplaciti (4).

III. — *Utrum Chananaea mulier Christum tanquam verum Deum adoraverit?*

Resp. Affirmative: nam etsi verba sacri Textus: *Procidit ad pedes eius et adoravit eum,* absolute loquendo, intelligi possint non de adoratione latriae, sed duliae, quo sensu viri sancti et prophetae interdum adorari dicuntur, tamen, cum mulier ista ab ipso Domino ob magnitudinem fidei dilaudata fuerit, hinc recte dici potest interius a Spiritu Sancto illuminata, ad Christi divinitatem rite agnoscendam et congrue adorandam.

IV. — *Utrum ex Domini nostri agendi ratione, in hoc loco, inferri possit vanam esse Sanctorum intercessionem?*

Resp. Hoc quidem intulerunt haeretici, cum dicerent Apostolorum intercessionem pro muliere Chananaea reiectam fuisse: at perperam. Primo enim, Christus non dixit Apostolis: Frustra pro ea oratis; sed aliam dedit responsionem, qua non negabat, sed potius differebat orationis exauditionem, volens huius mulieris fidem

(1) Cf. Sect. seq. — (2) Matth., xv, 22. — (3) Matth., x, 5. — (4) Cf. supra, Sect. CXIX, quaest. II, p. 181.

clarius elucescere per perseverantiam in orando; nam, ut admonet S. Ioannes Chrysostomus (1), non ita quaerendi sunt interpellatores, ut nos ab orando desistamus. Cum igitur Sanctorum intercessionem Scriptura toties commendet, hinc dogma illud a nobis fide catholica omnino retinendum est (2).

V. — *Utrum, per oves, intellexerit Dominus noster solos electos, an quoscumque ex illo populo?*

Resp. Dominus noster videtur intellexisse totum populum, cum ad eos omnes missus fuerit, ad quos praedicavit; praedicavit autem non solis electis, sed etiam reprobis, ut scribis et pharisaeis, licet id propter electos fecerit: *Omnia... propter electos* (3).

VI. — *Utrum Christus sibi contradixerit, cum primo edixerit:* NON EST BONUM SUMERE PANEM, *etc., postea vero petitioni mulieris acquieverit?*

Resp. Negative; quia verbum illud intelligendum quidem fuit generaliter, cui tamen, ob singularem mulieris devotionem, exceptio non erat facienda. Sic Moyses legitur vetuisse ne Ammonitae et Moabitae intrarent in Ecclesiam Dei (4); nihilominus Ruth Moabites, et Achior Ammonites, propter suas virtutes et devotionem ad Deum Israel, statim admissi sunt ad ritum Iudaeorum (5).

VII. — *Quot virtutes eminent in oratione mulieris Chananaeae?*

Resp. Primo, humilitas, dum canem se nominat; secundo, fides, qua Christum vocat filium David; tertio, prudentia, dum Christum ipsis eius verbis compellat; quarto, reverentia, dum ad pedes Iesu procidit; quinto, perfecta voluntatis propriae uniformitas cum divina voluntate, dum nil speciale postulat, sed tantum dicit: *Domine, adiuva me;* sexto, fiducia in Deum, dum certo sperat se a Christo exauditum iri; septimo, ardor devotionis, qua ad Iesum clamat; octavo, caritas, qua filiae miseriam, ac si sua esset, repraesentat; nono, constantia et perseverantia, qua licet a Christo semel iterumque repulsa, in orando persistit (6).

VIII. — *Quid mystice per mulierem Chananaeam significatur?*

Resp. Per mulierem Chananaeam significatur gentilitas quae, superstitione relicta, clamat ad Christum pro sanatione animarum, pro quibus Sancti intercedunt ad Dominum. Ubi consideranda est magna rerum mutatio: cum Iudaei, qui antea dicebantur filii, nunc canes vocentur (7); gentiles vero, qui prius canes erant, iam filii nuncupentur.

(1) In hunc loc. — (2) Cf. Conc. Trid., Sessio xxv, Decret. de Invoc., venerat., etc. Sanctorum. — (3) 2 Tim., II, 10. — (4) Deut., XXIII, 3. — (5) Ruth, I, 16; III, 10, 11; IV, 10-13; Iudith, XIV, 6. — (6) Corn. a Lap., in h. l. — (7) Phil., III, 2.

SECTIO CXXX.

(Mt. XV, 29-31; Mc. VII, 31-37).

Argumentum. — *Secedens Iesus inter medios fines Decapoleos, hominem surdum et mutum sibi adductum misericorditer sanat; alios quoque infirmos multos ad sanitatem restituit.*

Ratio Sectionis. — Iidem duo priores Evangelistae, qui iter Iesu in finibus Tyri, et Sidonis narraverant, eius quoque reditum in Galilaeam describunt. Solus tamen S. Marcus sanationem refert hominis surdi et muti, qui quidem confundi non debet cum alio, cui loquelae usum daemonium impediverat, de quo alibi loquuntur S. Matthaeus * et S. Lucas **. Alius quoque, ut patet, est ab illo caeco et muto, de quo superius actum est ***.

(*a*) ET iterum exiens de finibus Tyri, (*b*) cum transisset inde Iesus, (*c*) venit per Sidonem (*d*) secus mare Galilaeae, (*e*) inter medios fines Decapoleos [1]. Et adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum, ut imponat illi manum [2]. Et apprehendens eum de turba seorsum [3],

(*a*) Mc. VII, 31. — (*b*) Mt. XV, 29. — (*c*) Mc. VII, 31. — (*d*) Mt. XV, 29. — (*e*) Mc. VII, 31-37.

[1] E finibus Tyri egressus, Iesus septentrionem versus profectus est, scilicet in finibus Sidonis, usque ad hanc urbem, ut videtur, pertingens, cum in graeco expresse habeatur Σιδῶνος; tum ad orientem conversus, forsan ad radices Libani, Iordanem transivit, circa illius originem; demum ad meridiem rediit per mediam Decapolim, sitam trans mare Tiberiadis, ad orientem, et in eam fere regionem rediit, ubi paulo ante panes multiplicaverat ([1]). Non sine ratione iter huiusmodi secutus est Iesus, movente illum, sicut in omnibus, Spiritu Sancto, hac, ut videtur, de causa, ut Iudaeis in illis regionibus commorantibus, Evangelii lumen adferret. — De Decapoli iam semel iterumque mentio facta est ([2]).

[2] Tanta erat turbarum fiducia in potentiam Christi, ut satis esse putarent, ad hunc surdum mutumque sanandum, quod ei Dominus manum imponeret. Utrum autem a daemone homo iste fuerit in illum statum redactus, non satis ex sacro Textu erui potest.

[3] Seorsum hunc hominem Ie-

* IX, 32. — ** XI, 14; cf. supra Sect. LXVIII, n. 9, Vol. I, p. 406. — *** Vide Matth., XII, 22; Marc., III, 20. Sect. XC, p. 41.

([1]) Vide supra, Sect. CXV, p. 160. — ([2]) Matth., IV, 25; Marc., V, 20. Vide supra, Sect. XLIV, n. 12, quaest. VI, Vol. I, p. 279; et LXI, n. 10, ibid., p. 369.

misit digitos suos in auriculas eius; et expuens, tetigit linguam eius [4]. Et suspiciens in caelum, ingemuit [5], et ait illi: *Ephpheta* (quod est, adaperire) [6]. Et statim apertae sunt aures eius, et solutum est vinculum linguae eius; et loquebatur recte [7]. Et praecepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis praecipiebat, tanto magis plus praedicabant [8]; et eo amplius admirabantur, dicentes: *Bene omnia fecit: et*

sus apprehendit, eodem, ut videtur consilio, quo paulo post legitur ipsi et ceteris qui illum adduxerant, praecepisse ne cui dicerent: ut videlicet nos doceret humanam gloriolam fugere.

[4] Sanctissimi Domini nostri humanitas, propter coniunctionem ad Verbum, vim habet, tanquam assumptum instrumentum, ad miracula quaeque patranda. Signanter vero digitos in auriculas illius hominis misit Christus, quia ad aperiendum spiritualiter aures hominis interiores, discretio exigitur; per digitos autem, ratione articulationis et distinctionis, discretio significatur. Quod autem attinet ad os muti, non videtur Dominus in illud exspuisse, sed potius in propriam manum, sputum postea digito admovens ad linguam muti, quasi eam siccitate constrictam humectaturus atque soluturus.

[5] Per hoc demonstrare voluit Christus, totam suam virtutem esse a Patre, quem proinde tacite pro illo misero deprecabatur. Ingemuit vero, ad ostendendum quam grave malum sit ista mutitas ac surditas. Saepius dicitur Iesus ingemuisse, cum hominum mala consideraret ([1]).

[6] Ori et auribus hominis illius verba sua Dominus dirigit, quasi praecipiens: Quidquid in vobis clausum est, aperiatur, et ligatum solvatur. — Vox *Ephpheta* aramaica est, eamque, sicut plures alias Domini mysticas actiones, ut manuum impositionem, unctionem, etc., Ecclesia ad baptismi ritum transtulit.

[7] En quam perfecte restituit Dominus homini huic naturae eius integritatem et perfectionem. — Quod autem dicitur homo iste locutus *recte,* ὀρθῶς, referri potest ad perfectam et expeditam loquelam, in oppositione ad sonum confusum quem etiam muti interdum edunt: ita quod, si homo iste fuerit, ut videtur, surdus et mutus a nativitate, ad aliud miraculum spectet quod sic bene locutus fuerit: sic enim habuit inditam linguae cognitionem.

[8] Hoc dixit Dominus, ad ostendendum animum suum ab omni iactantia alienum, et ad veram cordis humilitatem insinuandam. Illi autem Christo rebelles minime fuerunt; sed probe intel-

([1]) Cf. Marc., VIII, 12; Io., XI, 33, seq.

surdos fecit audire, et mutos loqui [9]. (*f*) Et ascendens in montem, sedebat ibi [10]. Et accesserunt ad eum turbae multae, habentes secum mutos, caecos, claudos, debiles, et alios multos: et proiecerunt eos ad pedes eius, et curavit eos [11]; ita ut turbae mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, caecos videntes [12]; et magnificabant Deum Israel [13].

(*a*) Mt. xv, 29-31.

lexerunt, eatenus Dominum prohibuisse divulgationem operum suorum, quatenus omnia sua ille ad Deum referri volebat.

[9] Pro *bene*, graece est καλῶς, id est, *decore, congrue, irreprehensibiliter, perfecte*. — Felix qui omnia sua, sive prospera, sive tristia, in Deum hoc modo, cum gratiarum actione, refert. Huc pertinet oraculum Isaiae ([4]): *Tunc... aures surdorum patebunt..., et aperta erit lingua mutorum.*

[10] Dominus in montem conscendit, quo facilius ab omnibus videretur et audiretur, et ut omnes ad eum possent accedere: sedit autem, tamquam veritatis doctor.

[11] Ex hoc deducimus, non fuisse infirmitatis genus, cui non occurrerit benignissimus Salvator, et talia fuisse ab eo patrata miracula, qualia nullus ex veteris Testamenti prophetis unquam sit operatus. — *Mutos*, κωφούς, id est *surdos et mutos* ([5]): ceterum, ille, quem S. Marcus hic *surdum et mutum* vocat, in graeco dicitur κωφός καὶ μογιλάλος. — *Debiles* sunt *manci*, qui unam manum debilem habent, sicut claudus dicitur qui uno claudicat pede. — Ex usu verbi *proiecerunt eos*, sat clare deducitur quam festinanter sic ad Iesum accederent: timebant enim ne ille ab eis recederet, antequam infirmi huiusmodi ad eum possent adferri. — *Intueamur*, ait S. Hieronymus ([3]), *quod* (Christus) *quasi avis teneros foetus provocet ad volandum:... observa quod muti, claudi et caeci ducuntur ad montem, ut ibi curentur a Domino.*

[12] Quod dicitur *videntes*, valet pro *audientes:* visus enim in Scriptura pro actu cuiuscumque sensus interdum ponitur.

[13] Deum Israel, qui tanta ac talia per Iesum operabatur, magnum atque omnipotentem ultro profitebantur. — Bene dicitur *Deum Israel*, quo nomine Iudaeis, in illa regione dispersis, in memoriam revocabantur magnalia quae Deus olim pro populo suo patraverat.

([1]) xxxv, 5, 6. — ([2]) Cf. supra, Sect. I, n. 25, Vol. I, p. 9. — ([3]) Comm. in h. l.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum surdus et mutus, de quo in praesenti capite, talis penitus fuerit, an solum aegre audiret ac loqueretur?*

Resp. Dubitatio oritur ex graeco textu S. Marci, ubi legitur: καὶ φέρουσαν αὐτῷ κωφὸν καὶ μογιλάλον: cum μογιλάλος proprie significet *aegre loquentem;* unde censent nonnulli hominem nec penitus surdum, nec prorsus mutum fuisse, sed qui aegre audiret ac loqueretur. Huic opinioni favent verba subsequentia, quibus dicitur quod postquam incolumitati restitutus est, *loquebatur recte,* ἐλάλει ὀρθῶς, cum secus debuisset dici, *coepit loqui.* — At contra habetur, quod interdum μογιλάλος hominem prorsus mutum significat (1); praeterea, ipsa turbarum exclamatio: *Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos,* ἀλάλους, id est, *elingues,* seu *loquela carentes, loqui,* quam ob hoc miraculum turbae in Christi laudem prompserunt, notionem ingerit miraculi perfecte patrati. Ceterum, adverbium, *recte,* referri potest ad infusam linguae cognitionem, ut dictum est (2). — *Obiicienti,* fieri non potuisse ut homo, qui nunquam loqui scivisset, aut loquentes audivisset, statim expedite articulatos atque significativos sonos ederet, facile respondetur, id ad miraculum divina omnipotentia patratum utique pertinuisse, ut animi sensa statim et facile, absque ullo magistro, infirmus ille exprimeret.

II. — *Quare ingemuit Dominus noster, antequam miraculum patraret?*

Resp. Non certe ingemuit propter patrandi miraculi difficultatem, cum nihil Christi humanitati, utpote Verbi instrumento, difficile foret; sed ad significandam animi sui compassione id egit, qua non solum praesenti infirmo, sed universis condoluit, qui daemonum dominatione premuntur; et pariter ad ostendendum, quam difficile sanetur anima spiritualiter surda ac muta. Sic in Lazari suscitatione seipsum turbavit, fremens spiritu ac lacrymas fundens, ad demonstrandum quam difficile convertantur et vitam gratiae sortiantur ii, quos pravae consuetudinis moles opprimat (3).

III. — *Cur verbum sensibile direxit Christus ad illum hominem, cum surdus esset?*

Resp. Christi verbum efficaciam habuit, non ex hoc quod au-

(1) Exod., IV, 11; Is. XXXV, 6, apud Septuag. — (2) n. 7. — (3) Io., XI, 33, seq.

diretur, sed ex hoc quod prolatum est, eo modo quo formae sacramentorum effectum producunt, aut vox Christi aut angeli mortuos ad iudicium suscitabit (1).

IV. — *Cur S. Marcus vocem* EPHPHETA *in originario sermone retulit?*

Resp. Ut narrationi maior auctoritas et gravitas concilietur; hoc modo enim significatum videtur, sententiam aliquam alte menti esse impressam, quando in aliqua circumstantia referenda, eadem adhibentur verba, quibus auctor ipse sententiae usus est.

V. — *Cur Christus vetuit turbis, ne miraculum surdi et muti patefacerent, cum sciret eos non obtemperaturos fore?*

Resp. Praeceptum illud Domini nostri designabat voluntatem eius secundum quod humanam gloriam refugiebat iuxta illud (2): *Ego non quaero gloriam meam:* volebat tamen absolute, praesertim secundum divinam voluntatem, ut publicaretur miraculum factum propter aliorum utilitatem. Dominus, ait S. Gregorius Magnus (3), *praecepit taceri virtutes suas, servis suis se sequentibus exemplum dedit, ut ipsi quidem virtutes suas occultari desiderent, et tamen, ut alii eorum exemplo proficiant, prodantur inviti* (4).

VI. — *Utrum homines illi peccaverint, visum miraculum praedicando?*

Resp. Negative: primo quidem, potuerunt reputare Christum modestiae causa tale protulisse praeceptum, se autem ad illud observandum minime teneri; secundo, probe intellexerunt quod, si hominis quidem vere benefici est laudem pro beneficio non exigere, hominis tamen grati est gratiam impensius referre: etenim, *nullum reddenda gratia maius officium,* ait S. Ambrosius.

(1) Cf. tr. DE NOVISSIMIS, Quaest. VII, art. 2, n. 9, p. 410. — (2) Io., VIII. 50. — (3) L. XIX Moral., cap. 14. — (4) S. Thom., 3, quaest. XIII, art. 4, ad 2m; cf. supra, Sect. LVII, n. 11, Vol. I, p. 345.

SECTIO CXXXI.

(Mt. XV, 32-38; Mc. VIII, 1-9).

Argumentum. — *Quatuor hominum millia septem panibus et aliquot piscibus mirabiliter pascit Dominus.*

Ratio Sectionis. — Priorem mirabilem multiplicationem quinque panum et duorum piscium omnes simul Evangelistae retulerunt *: nunc autem secundam multiplicationem, quae fuit septem panum et paucorum pisciculorum soli S. Matthaeus et S. Marcus concorditer narrant, et quidem dum anteactam historiam prosequuntur. Dubitari autem minime potest quin uterque Evangelista de eodem omnino facto pertractet, cum similiter septem panes et paucos pisciculos, quatuor quoque hominum millia recenseant, et conformiter addant, a discipulis, postquam illi saturati sunt, de fragmentis septem sportas plenas fuisse collectas. Novo hoc miraculo, prius confirmatur et completur.

(*a*) IESUS autem, (*b*) in diebus illis, iterum cum multa turba esset, nec haberent quod manducarent [1], convocatis discipulis (*c*) suis, (*d*) ait illis [2]: *Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me; (e) perseverant mecum, et non habent quod manducent* [3]; *et dimittere eos ie-*

(*a*) Mt. xv, 32. — (*b*) Mc. viii, 1. — (*c*) Mt. xv, 32. — (*d*) Mc. viii, 1-2. — (*e*) Mt. xv, 32.

[1] In montem conscenderat Iesus, in regione orientali ad mare Galilaeae, et ad eum turbae multae accesserant (1). Nunc vero, cum iam per tres continenter dies, homines illi cum Iesu commorati essent, spiritualis cibi, id est, divini verbi, magis quam panis corporalis, avidi, tempus erat ut unusquisque in domum suam reverteretur. At, attentis locorum distantia atque ciborum defectu, fieri nequibat, quin illi in via deficerent; cui periculo occurrit Salvatoris benignitas, eis quos de spiritualis vitae profectu sollicitos noverat, etiam de temporalibus abunde succurrentis.

[2] In simili praevia occasione, Apostoli Dominum impulerant, ut turbas ipse dimitteret; nunc vero discipulos ille convocat, ut suam erga famelicas turbas compassionem eis ultro propalet.

[3] Graece προσμένουσίν μοι, id est, mihi doctrinaeque meae

* Vide supra, Sect. cxv p. 160.

(1) Sect. praeced., n. 10, p. 233.

iunos nolo, ne, (*a*) *si dimisero eos ieiunos in domum suam,* (*b*) *deficiant in via:* (*c*) *quidam enim ex eis de longe venerunt* [4]. Et responderunt ei discipuli sui: (*d*) *Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam* [5]? (*e*) Et interrogavit eos: *Quot panes habetis* [6]? Qui dixerunt:

(*a*) Mc. VIII, 3. — (*b*) Mt. XV, 32. — (*c*) Mc. VIII, 3-4. — (*d*) Mt. XV, 33. — (*e*) Mc. VIII, 5.

ita adhaerent, ut de victu minime cogitent. Non dicit Evangelista turbam cibo caruisse toto triduo, sed cum iam homines illi triduo cum Christo perseverassent, annona coepit deficere. Ut igitur Apostolorum fidem ex prodigii magnitudine confirmaret Iesus, sivit ut magna illa turba ad tertium diem secum commoraretur. — Notanda vis verbi graeci, σπλαγχνίζομαι, quod interpres latinus vertit, *misereor:* scilicet, sensus est: *Intimis commoveor visceribus.*

[4] En quanta sit Domini nostri in turbas misericordia! Sui oblitus, nonnisi illorum necessitates recogitat, atque de illorum sorte anxium cor gerit. Nimirum, Christus est, de quo Deus per Ezechielem praedixit ([1]): *Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem.* — Ob tria igitur merebantur homines illi misericordiam: primo, ob perseverantiam; secundo, ob inopiam; tertio, ob periculum imminens. — Discipulos Iesus ita alloquitur, ut eorum fidem exstimulet ex recordatione prioris miraculi. — Loco, *quidam ex eis,* in graeco est, καὶ τινὲς αὐτῶν, *et quidam eorum:* revera, quod *nonnulli* de longe venerunt, non est ratio, cur *omnes* in via essent defecturi.

[5] Christus singulariter dixerat: *Dimittere eos ieiunos nolo,* discipuli autem in persona sua ac Christi, pluraliter interrogant: *Unde nobis in deserto panes tantos,* etc. In quo patet eorum cum Magistro familiaritas, simulque imperfectio eorum fidei, cum non consideraverint potentiam Christi, qui paulo ante de quinque panibus et duobus piscibus quinque hominum millia saturaverat. In eo quod dicitur: *Unde nobis in deserto panes tantos,* supplendum est in Vulgata, *comparabimus,* nam graece est: *panes tanti,* ἄρτοι τοσοῦτοι; tantos autem hic stat pro tam multos, vel tot: graecismus est, cum vox τοσοῦτοι aeque stet pro *tantis* et *tot.*

[6] Interrogat Dominus, non quasi ignorans, sed ut ex discipulorum responsione, futuri miraculi magnitudo pateat.

([1]) Ezech., XXXIV, 23.

Septem (*a*) *et paucos pisciculos* [7]. (*b*) Et praecepit turbae discumbere super terram [8]. Et accipiens septem panes, gratias agens [9] fregit [10], et dabat discipulis suis ut apponerent; et apposuerunt turbae [11]. Et habebant pisciculos paucos; et ipsos benedixit, et iussit apponi [12]. Et manducaverunt (*c*) omnes, et saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas [13]. (*d*) Erant au-

(*a*) Mt. xv, 34. — (*b*) Mc. viii, 6-8. — (*c*) Mt. xv, 37. — (*d*) Mc. viii, 9.

[7] Ex eo quod incunctanter respondent discipuli, apparet annonam hanc ex panibus fuisse, quos secum illi detulerant: nec mirum est, si quidquam cibariae eis tunc fuerit, cum soleret Christus cum suis discipulis, in locis desertis, per plures dies commorari, aut itinera per terram et per mare protrahere. Nunc igitur, post triduanam in citato loco commorationem, discipulis adhuc supererant septem panes et pisciculi pauci.

[8] Ex hoc deducitur, aestatis finem tunc prope adfuisse, et forsan iam advenisse, quando scilicet in Palaestina terra arens facta est. In prima vero multiplicatione, ut vidimus, foenum plurimum viride terram cooperiebat ([1]).

[9] Εὐχαριστήσας: en iterum nomen illud liturgicum, quo manifesta ad futuram Eucharistiae institutionem allusio continetur. Huiusmodi gratiarum actio benedictionem claudebat; sicut infra benedictio pisciculorum continebat gratiarum actionem: utrumque vero, scilicet gratiarum actio, et benedictio significant orationem pro re aliqua, cum tamen orationis initium esse debeat gratiarum actio, ut scilicet quis, agnoscendo praeterita beneficia, impetret futura.

[10] Fractio haec multiplicationem continebat: frangendo enim panem et pisces, Christum illas res multiplicavit.

[11] Quod attinet ad huius miraculi rationem, idipsum dicendum est, quod supra de multiplicatione quinque panum et duorum piscium ([2]). In utroque etiam casu, discipuli fuerunt ministri prodigii, et in eorum manibus panes piscesque mirabiliter multiplicati sunt.

[12] Laudanda iterum est benignitas et liberalitas Salvatoris nostri, qui non pane solo, sed etiam sapido obsonio, multitudinem refecit.

[13] Sportae plenae fragmentis quae superaverant numero panum multiplicandorum correspondent, quemadmodum in prima multiplicatione tot cophini collecti sunt, quot erant Apostoli; unde habemus, in utroque casu, Do-

([1]) Sect. cxvi, nn. 2, 3, p. 165. — ([2]) Ibid., quaest. ii-iv, p. 168.

tem qui manducaverunt, quasi quatuor millia (*a*) hominum, extra parvulos et mulieres [14]: (*b*) et dimisit eos [15].

(*a*) Mt. XV, 38. — (*b*) Mc. VIII, 9.

minum ordinasse miraculosam multitudinis nutritionem mysterio coniungi. — *Sportas,* σπυρίδας: videtur vox ista significare corbem cophino maiorem: eo magis, quia eadem vox in Actibus Apostolorum adhibetur ad significandam sportam in qua S. Paulus Damasci per fenestram demissus fuit ([1]).

[14] Ex recensito numero eorum quos Dominus miraculose cibaverat, non solum patescit granditas prodigii, sed etiam innuitur quam late debuerit propalari. — In graeco est: *Extra mulieres et parvulos.*

[15] Figuram huius et superioris multiplicationis habemus in eo quod de Eliseo recolitur, qui de panibus primitiarum centum viros cibavit, et superabundavit ([2]). — Notandum, ex regione gentili eos fuisse qui, propriae sustentationis obliti, Iesu ita adhaeserant, ut ab eo avelli se non paterentur, cui nihil simile in Iudaea vel Galilaea evenisse legitur: ex quo auspicium felix cernere fuit futurae gentium conversionis ([3]). Huc facit illud Isaiae, a S. Paulo recitatum ([4]): *Inventus sum a non quaerentibus me.*

QUAESTIONES.

I. — *Quaenam differentia intercedit inter hanc et praecedentem panum multiplicationem?*

Resp. Multiplex potest differentia assignari. Primo, in priori multiplicatione, miraculum patratur vespera diei qua Christum turbae secutae sunt; in altera vero, post triduum. Secundo, in illa, hortantur discipuli Dominum, ut turbas dimittat; hic vero Christus ipse discipulos convocat eisque indigentiam turbarum exponit. Tertio, in priori, turbae recumbunt super viride gramen; in hoc vero super terram, unde aliud anni tempus innuitur. Quarto, ibi recensentur quinque panes et duo pisces; hic vero septem panes et pauci pisciculi. Quinto, in priori, saturati sunt quinque millia hominum; hic vero quatuor. Sexto, ibi collecti leguntur duodecim cophini fragmentorum; hic vero septem sportae. Septimo, ibi panes fuerunt hordeacei; hic vero triticei, uti colligi potest ex eo quod panes simpliciter vocantur. Octavo, in priori multiplicatione, Christus una benedictione panes et pisces multiplicavit; hic vero distincta benedictione.

([1]) Act., IX, 25. – ([2]) 4 Reg., IV, 42. — ([3]) Act., XIII 48. — ([4]) Rom., X, 20.

II. — *Cur discipuli, cum iam antea vidissent miraculum multiplicationis panum, non statim ad potentiam Christi recurrerunt?*

Resp. Id imperfectioni eorum fidei debetur, quae adeo languida fuit, ut iam recordatio prioris illius miraculi et ceterorum miraculorum Christi velut obfuscaretur; forsan quoque minime intelligebant, Dominum iterato id operari posse, quod semel patraverat.

III. — *Quidnam per quinque panes et duos pisces, in prima multiplicatione positos, et per septem panes et paucos pisciculos, in secunda, mystice significatur?*

Resp. Per illos significantur homines veteris Testamenti, id est carnales; per hos autem, homines novi Testamenti, id est spirituales. Nam de illis dicitur quod sequebantur Dominum, quia manducaverant ex panibus et saturati erant (1). Qui recte significantur per numerum quinarium, quo comprehenditur Pentateuchus Moysi; hi vero per quaternarium, quia Lex nova, id est Evangelica, quatuor libris Evangeliorum continetur. Et illic quidem quinque panes leguntur multiplicati, ob dictam rationem; hic vero septem, propter septiformem gratiam Spiritus Sancti. Illi quinque panes hordeacei fuerunt, id est, viliores, respectu horum panum, qui triticei fuerunt; quia triticeus panis convenit filiis, hordeaceus servis. Item ibi pisces duo, qui numerus est imperfectus; hic autem pauci, id est, duobus plures. Ibi sublati duodecim cophini propter duodecim Patriarchas, in quibus carnalis populus figurabatur; hic septem sportae, propter septiformem gratiam Spiritus Sancti, ut dictum est (2).

IV. — *De quonam beneficio egit Christus Patri gratias?*

Resp. Vel de hoc quod semper Pater illum exaudiebat, quomodo suscitaturus Lazarum, dixit (3): *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me;* vel de aeterno eius decreto praesentis beneficii praestandi: quia tamen divinitus erat statutum ut huiusmodi beneficium non praestaretur nisi mediante oratione, ideo adiungit Christus devotam precationem, qua beneficium impetret.

V. — *Ad quodnam ordinabatur fragmentorum collectio?*

Resp. Primo, ad memoriam servandam insignis miraculi modo patrati; secundo, ad docendum nos nihil de Dei donis praetermittere, et frugaliter uti rebus huius mundi. Ex hoc autem evangelico facto usuvenit, ut in religionibus, post mensam, micae diligenter in lancem colligantur.

(1) Io., VI, 26. — (2) Gulielm. Estius., in h. l. Cf. tr. n. DE SSMA EUCHARISTIA, 3. Quaest. LXXIV, art. 3, n. 3, p. 58, 59. — (3) Io., XI, 41.

SECTIO CXXXII.

(Mt. XV, 39 ; XVI, 1-4 ; Mc. XIII, 10-13).

Argumentum. — *Pharisaeis et sadducaeis Dominum tentantibus, ac eum de signo rogantibus, declarat Iesus, signum eis aliud datum non iri, nisi signum Ionae prophetae.*

Ratio Sectionis. — Historiam immediate continuari, aperte evincit adverbium *statim,* quo utitur S. Marcus *. Porro idem quidem argumentum iam retulerant S. Matthaeus **, et S. Lucas *** : at nihil omnino officit quominus dicatur Dominus bis eamdem rem tetigisse, quod in evangelica historia haud infrequenter recurrit et in praesenti casu advenisse demonstratur, tum differentia temporum, quibus S. Matthaeus narrat Iesum unum et alterum protulisse, tum concordia hac in re S. Marci cum S. Matthaeo ****.

(*a*) ET dimissa turba, (*b*) statim ascendens navim cum discipulis suis [1], venit in partes Dalmanutha, (*c*) in fines Magedan [2]. (*d*) Et exierunt, (*e*) et accesserunt ad eum Pharisaei et Sadducaei [3], (*f*) et coeperunt conquirere cum

(*a*) Mt. XV, 39. — (*b*) Mc. VIII, 10. — (*c*) Mt. XV, 39. — (*d*) Mc. VIII, 11. — (*e*) Mt. XVI, 1. — (*f*) Mc. VIII, 11.

[1] Dimittit turbam Iesus, et conscensa navi, alio pergit, declinandae laudis humanae causa, simulque ut Herodi et invidis aemulis occasionem subtrahat aliquam in ipso ambitionem suspicandi.

[2] Probabile est hanc esse regionem quae ad occidentalem maris Tiberiadis plagam iacet; idcirco Dominus, quo citius et commodius illuc perveniret, navigio usus est, iter maritimum eligens, ut quotidie fit ad stagnorum littora: unde non dicit Evangelista, Iesum mare traiecisse, quasi ad oppositam plagam perventurum, sed, conscensa navi, in partes Dalmanutha in fines Magedan, venisse, seu appulisse. Magedan, urbis, Dalmanutha vero, regionis nomen est; at definitu difficile est, ubinam praecise locus iste situs sit. — *Magedan,* graece Μαγαδάν legitur.

[3] Licet pharisaei et sadducaei diversa haberent dogmata, in hoc tamen conveniebant, quod Chri-

* VIII, 10. — ** XII, 38, seq. — *** XI, 29, seq. — **** Cf. Sect. XCIII, Ratio Sect., p. 55.

eo [4], (*a*) et rogaverunt eum ut signum de caelo ostenderet eis, (*b*) tentantes eum [5]. (*c*) At ille respondens, ait illis : *Facto vespere, dicitis : Serenum erit, rubicundum est enim caelum ; et mane : Hodie tempestas, rutilat enim triste caelum* [6]. *Faciem ergo caeli diiudicare nostis : signa autem temporum non potestis scire* [7] ? (*d*) Et ingemiscens spiritu, ait : *Quid generatio ista signum quaerit* [8] ? *Amen dico vobis, si*

(*a*) Mt. XVI, 1. — (*b*) Mc. VIII, 11. — (*c*) Mt. XVI, 2-4. — (*d*) Mc. VIII, 12.

stum tanquam communem adversarium odio similiter habebant : semper enim Christus inter duos latrones crucifigitur, ait Tertullianus. — Utrum pharisaei illi et sadducaei ex eadem regione fuerint, non plane constat : porro videntur pharisaei vel in Galilaea habitare renuisse, quod illam regionem Terrae sanctae minime accenserent. Ceterum eos legimus descendisse in Galilaeam ex Hierusalem, ad Iesum observandum ([1]).

[4] Simplices turbae Christum humiliter et dociliter audiebant ; superbi autem sapientes huius mundi cum eo irrequiete disputabant. — *Conquirere cum eo*, graece συνζητεῖν αὐτῷ, id est, *altercari cum eo*.

[5] Hypocritae illi cum Christo non conveniebant, nisi animo illum carpendi, eiusque doctrinae resistendi. Porro, in malevolam animam introire nequit sapientia ([2]). Etenim, etiamsi alia miracula edidisset Christus, ea Iudaei aeque sprevissent, aut calumniati essent facta per Beelzebub.

[6] Antiquum hoc est proverbium, quod hodie quoque apud vulgus obtinet, et ipsa experientia saepius confirmatur. — Notandum, tum pro *rubicundum est,* tum pro *rutilat,* graece legi πορράζει, quod est *rubet,* vel *rubedine splendescit. — Serenum erit,* εὐδία, *serenitas.* — Notandum quoque verba ista in nonnullis codicibus deesse.

[7] Pharisaei et sadducaei signum de caelo petierant : en qualiter eos redarguit Christus : vos qui ex caeli facie signa venturae tempestatis facile dignoscitis, quomodo adventum Messiae non percipitis, cum tam clara eiusdem adventus signa vobis suppetant, in adimpletis de me vaticiniis, in missione et praedicatione Ioannis Baptistae, in innumeris a me patratis miraculis, et signanter in revolutione septuaginta hebdomadarum Danielis ? Igitur *signa temporum* significant signa temporis adventus Messiae. — In graeco deest verbum *scire.*

[8] Ingemiscit Iesus ob voluntariam horum caecitatem et cordis obdurationem : qua doloris

([1]) Marc., VII, 1. Supra, Sect. CXXVI, n. 3, p. 212. — ([2]) Sap., I, 4.

dabitur generationi isti signum. (*a*) *Generatio mala, et adultera signum quaerit; et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae* [9]. Et relictis illis, abiit [10]. (*b*) Et dimittens eos, ascendit iterum navim, et abiit trans fretum [11].

(*a*) Mt. XVI, 4. — (*b*) Mc. VIII, 13.

significatione sat aperte pandit sincere se velle eorum conversionem; quae tamen eorum aperta malitia frustrabatur. — *Ingemiscens spiritu,* idem est ac ab imo corde vel pectore trahens suspirium.

[9] Horum verborum sensum superius exposuimus ([1]).

[10] Cum Iesus totum id, quod in se erat, ad eos convertendos iam perfecisset, recedit inde, obstinatis illis ac rebellibus in sua caecitate relictis. Vae animae illi quae incredulitate sua Dominum quodammodo cogit a se discedere.

[11] Navim Iesus conscendit, ut ad ulteriorem oram maris Tiberiadis septentrionem versus se conferret, scilicet, ut Bethsaidam, quo tendebat, perveniret ([2]).

QUAESTIONES.

I. — *Quid causae fuit, quod Iudaei a Christo signum petierint?*

Resp. Ad hoc illi moti videntur prava intentione omnia Christi miracula infirmandi. Nimirum, sicut post multiplicationem quinque panum, signum illud extenuare contenderunt, quasi nil esset comparatum cum pluvia mannae e caelo; ita nunc mirabilem septem panum multiplicationem, simulque cetera Christi miracula, malo et invido animo, nihili facienda esse calumniabantur, nisi sublimius quid, signum videlicet de caelo, Christus ipse edere potuisset: quo deficiente, omnia ab eo patrata mirabilia respuenda esse concluisissent.

II. — *Quaenam est vis eius quod hic legitur:* SI DABITUR GENERATIONI ISTI SIGNUM?

Resp. Oratio est ellyptica, iuxta phrasim Hebraeis usitatissimam, qua particula *si* pro nota iurantis ponitur; unde subintelligitur: si hoc fiet, non ero Deus verus, etc. Posita vero haec particula post verbum iurandi orationem vertit in negantem, si sit affirmans;

([1]) Sect. XCIII, nn. 4, seq., p. 56. — ([2]) Vide Sect. CXXXIV, n. 1, p. 250.

in affirmantem vero, si sit negans. Exemplum prioris est ([1]): *Sicut iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam,* id est, quod non introibunt; posterioris vero ([2]): *Iuravit Dominus, si non ut putavi, ita erit,* id est, iuravit quod ut ipse putavit, ita erit.

III. — *Quomodo componitur S. Marcus, negans signum generationi illi dandum esse, cum S. Matthaeo, concedente signum dandum Ionae prophetae?*

Resp. Non solum apud S. Marcum, sed etiam apud S. Matthaeum, absolute negatur id quod petebatur. Petebant enim Iudaei signum de caelo; et apud S. Marcum relate ad hoc signum absolute negatur illud dandum esse, nil posito de alterius generis signo. S. Matthaeus quoque implicite negat tale signum dandum fore; sed tamen concedit dandum alterius generis signum, scilicet, non de caelo, sed de terra, imo ex inferno, quale utique Iudaei nolebant, per quod tamen converti possent, signum videlicet suae resurrectionis. Nam ly *nisi* S. Matthaei, phrasi Scripturae, positum est hic pro *sed tantum,* et vim habet adversativam, non vero exceptivam. Sensus igitur est: Generatio haec signum quaerit de caelo; at tale signum ei non dabitur, sed tantummodo dabitur ei signum Ionae prophetae, quod est signum resurrectionis Filii hominis.

([1]) Ps. XCIV, 11. — ([2]) Is., XIV, 24.

SECTIO CXXXIII.

(Mt. XVI, 5-12; Mc. VIII, 14-21).

Argumentum. — *Iubet Iesus discipulos cavere a fermento pharisaeorum et sadducaeorum et a fermento Herodis, illosque instruit quid per huiusmodi fermentum intelligi debeat.*

Ratio Sectionis. — Praesens Domini sermo occurrisse dicendus est, dum transfretarent discipuli, ut evidenter colligere datur ex verbis S. Marci *: *Et nisi unum panem non habebant secum in navi.* — Igitur notari hic debet, contra Maldonatum **, ad hunc locum non pertinere quod S. Lucas ponit initio capitis XII: *Attendite a fermento pharisaeorum,* etc.; cum hoc dictum sit, *multis turbis circumstantibus* ***, turbae autem hic non adessent, sed nec adesse possent ****.

(*a*) ET cum venissent discipuli eius trans fretum, obliti sunt panes accipere [1]; (*b*) et nisi unum panem non habebant secum in navi [2]. Et praecipiebat eis, dicens: *Videte, et cavete a fermento Pharisaeorum* (*c*) *et Sadducaeorum,* (*d*) *et fermento Herodis* [3]. Et cogitabant ad alterutrum,

(*a*) Mt. XVI, 5. — (*b*) Mc. VIII, 14-15. — (*c*) Mt. XV, 16. — (*d*) Mc. VIII, 15-16.

[1] Graece, ἐλθόντες οἱ μαθηταὶ εἰς τὸ πέραν, ἐπελάθοντο, κ. τ. λ., quod verti potest: *dum venirent discipuli in ripam ulteriorem, obliti fuerant,* etc.: qui sensus etiam ex textu S. Marci eruitur. Porro tam occupati fuerant discipuli circa cibum animae, ut eis e mente exciderit cura corporalem cibum secum adferendi; vel dici etiam potest, Christum celeriter et inexpectato iussisse eos transfretare.

[2] Insufficiens certe erat haec annona omnibus cibandis: ex quo deducere licet, discipulos, post miraculosam panum multiplicationem, hominibus illis, et maxime indigentioribus, ad propria redeuntibus, septem illas sportas, fragmentis ciborum impletas, ultro dedisse, ne necessaria esca in itinere destituerentur.

[3] Utitur benignus Dominus occasione navigationis ad dilectos discipulos instruendos: quo docemur, vel inter itinerandum aut laborandum, bonas nobis interdum Spiritus Sancti inspirationes obvenire. — Porro, fermenti no-

* Marc., VIII, 14. — ** Comment. in S. Matth., c. XVI, vers. 5. — *** Ibid., vers. 1. — **** Cf. infra, Sect. CLXXIX.

(*a*) intra se, dicentes: *Quia panes non accepimus* [4]. Sciens autem Iesus, dixit: *Quid cogitatis intra vos, modicae fidei, quia panes non habetis* [5] ? (*b*) *Nondum cognoscitis, nec intelligitis ? adhuc caecatum habetis cor vestrum ? Oculos habentes non videtis ? et aures habentes non auditis* [6] ? *Nec re-*

(*a*) Mt. XVI, 7-8. — (*b*) Mc. VIII, 17-19.

mine, ut historiae decursu patescit, falsa dogmata significantur, quae totam vitam corrumpunt, quemadmodum fermentum conspersionem omnem acribus particulis pervadit. Distinguit hic Christus fermentum pharisaeorum a fermento sadducaeorum: illud quippe alibi vocat hypocrisim ([1]), et consistebat in vano paternarum traditionum amore, spreto Legis praecipuo fine; hoc vero in negatione spirituum ac resurrectionis reponebatur. Quod autem a S. Marco fermentum Herodis recensetur, hoc est quia Herodiani sadducaeorum erroribus erant imbuti: licet dici etiam possit, per huiusmodi fermentum, significasse Christum superbiam ac vanitatem qua Herodes et eius asseclae tenebantur. — In graeco S. Matthaei, legitur: Ὁρᾶτε καὶ προσέχετε, quod latinus interpres vertit: *Intuemini et cavete:* apud S. Marcum vero est: Ὁρᾶτε, βλέπετε, quod vertendum est: *Videte, diligenter considerate.*

[4] Graece apud S. Matthaeum legitur: οἱ δὲ διελογίζοντο ἐν ἑαυτοῖς, *colloquebantur inter seipsos*. Secum ipsi reputabant veris Christi hoc moneri, ne videlicet panem a pharisaeis ac sadducaeis acciperent, unde illis succurrebat se fuisse oblitos annonam accipere. — Vox *quia,* ὅτι, hic non videtur accipienda tanquam causativa, sed tantummodo tanquam recitativa: nempe, non quia panes non acceperant, ideo colloquebantur inter se, sed colloquentes hoc dicebant, scilicet se panes non accepisse. In quo dupliciter erant reprehendendi: primo, quia materialiter accipiebant id quod Christus spiritualiter dicebat; secundo, quia iterum obliti potentiae Christi, in sollicitudinem victus incidebant.

[5] Modicam fidem ostenditis vos habere, quia aestimatis me vos monuisse de corporalis alimenti provisione, quasi non potuerim vobis supernaturaliter providere. — *Quid cogitatis?* Τί διαλογίζεσθε; id est, *quid colloquimini,* vel *disceptatis inter vos?*

[6] Discipulorum incredulitas figura erat incredulitatis multorum, qui utique mentem habentes ad percipienda terrena, et oculos et aures ad cognoscendas artes humanas, veritatibus tamen

([1]) Luc., XII, 1. Infra, Sect. CLXXIX.

cordamini, quando quinque panes fregi in quinque millia (*a*) *hominum* [7] *? et* (*b*) *quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis ?* Dicunt ei : *Duodecim. Quando et septem panes in quatuor millia* (*c*) *hominum ? Et* (*d*) *quot sportas fragmentorum tulistis ?* Et dicunt ei : *Septem* [8]. Et dicebat eis : *Quomodo nondum intelligitis ?* (*e*) *Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis : Cavete a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum* [9] *?* Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisaeorum et Sadducaeorum [10].

(*a*) Mt. XVI, 9. — (*b*) Mc. VIII, 19-20. — (*c*) Mt. XVI, 10. — (*d*) Mc. VIII, 20-21. — (*e*) Mt.XVI, 11-12.

supernaturalibus cor occlusum praebent, et propterea ad claram mysteriorum gratiae cognitionem nunquam perveniunt. Isti igitur sponte caeci sunt medio in lumine. — Pro *caecatum cor,* graece est, πεπωρωμένην καρδίαν, quod est, *occalescens cor, induratum et in lapidosam duritiem immutatum.*

[7] Si miraculum multiplicationis panum, bis a me patratum, sagaciter pensaretis, sciretis utique quia non de materiali fermento locutus sum.

[8] Christus opportunis interrogationibus coepit in discipulis memoria illius duplicis miraculi reviviscere, simulque excitata est fides in spiritualem intellectum illius verborum.

[9] Ex hoc apparet quantum foret sollicitus Christus, ut non materiali verborum suorum sono, sed spirituali eorumdem intelligentiae attenderent discipuli. — In graeco S. Marci non est: *quomodo nondum intelligitis ;* sed in aliquibus codicibus est: πῶς οὐ νοεῖτε, *quomodo non intelligitis ;* in aliis vero : οὔπω συνίετε, *nondum intelligitis,* quod tamen interrogativo modo ponitur.

[10] En quomodo crescebant Apostoli in fide Iesu Christi, cuius sapientiam, potestatem atque mansuetudinem magis admirabantur; intelligebantque quantum se cavere oporteret ab hypocrisi et superbia pseudo-magistrorum.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum nomine* FERMENTUM, *unum tantummodo vitium significetur ?*

Resp. Negative: etenim, nomen istud facile transferatur ad varia vitia, puta, simulationem religionis, odium ac persecutionem

in Christum et Praecursorem, invidiam ac animi livorem significanda, quibus revera pharisaeorum corda, tanquam sepulcra dealbata, replebantur. Attamen, ex ipsis S. Matthaei verbis, hic positis ([1]), eruitur fermentum, hoc loco, proprie haereticam doctrinam significare. — *Fermentum hanc vim habet,* ait S. Hieronymus ([2]), *ut si farinae mixtum fuerit, quod parvum videbatur, crescat in maius, et ad saporem suum universam conspersionem trahat: ita et doctrina haeretica, si vel modicam scintillam in tuum pectus recerit, in brevi ingens flamma succrescit, et totam hominis possessionem ad se trahit.*

II. — *Quomodo Dominus noster monet cavendum esse a fermento pharisaeorum, cum Apostolus palam profiteatur se pharisaeum esse, filium pharisaeorum* ([3])?

Resp. In secta pharisaeorum distinguenda erant origo et professio ab accessoriis seu corruptelis, quibus temporis decursu secta illa, origine bona, foedata erat. Initio enim instituta fuerat, maioris perfectionis assequendae causa, unde *pharisaeus* idem est ac *separatus,* vel *segregatus;* dein vero, pedetentim huic sectae accesserant, primo quidem, futiles quaedam praxes, ad pietatem nihil facientes, postea vero noxiae consuetudines. Paulus igitur rite poterat se hoc nomine commendare, attenta scilicet primaeva sectae indole; non autem attenta doctrina accessoria, quam hic palam reprobat Dominus. Quapropter Christus quoque dixit ([4]): *Super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei; omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate et facite,* etc. Sadducaeos vero, quia ab initio haereticos, Paulus aperte a se alienos professus est ([5]); evertebant enim fundamenta fidei in resurrectionem et in Angelos.

III. — *Quomodo hic simul ponit Dominus fermentum pharisaeorum, sadducaeorum et Herodis seu Herodianorum, cum sectae huiusmodi diversos prosequerentur fines?*

Resp. Herodiani, ob suum erga Herodem studium, qui licet professione Iudaeus, Romanorum tamen idololatriam sectabatur, sadducaeorum placitis aperte favebant: porro pharisaei, licet a sadducaeis dissentirent quantum ad maiorum traditiones quibus superstitiose insistebant, cum his tamen conveniebant, quoties de impugnanda Christi doctrina, quae utrisque aeque contradicebat, agebatur; unde et supra vidimus pharisaeos cum Herodianis adversus Iesum consilium ad illum perdendum simul iniisse ([6]). — Addi

([1]) Vers. 12. — ([2]) Comment. in h. l. S. Matth. — ([3]) Act., XXIII, 6; XXVI, 5. — ([4]) Matth., XXIII, 2. 3. — ([5]) Act., XXIII, 6, seq. — ([6]) Marc., III, 6. Cf. supra, Sect. LXXXIX, p. 36.

potest, Herodianos subversionem imperii Romanorum molitos fuisse, et Iesum voluisse ut discipuli sui ab huiusmodi machinationibus praecaverent.

IV. — *Quid ex narratione incredulitatis Iudaeorum eruitur?*

Resp. Primo, excluditur omnis suspicio falsitatis in sacris Evangelistis, et fides eorum dictis conciliatur, cum cernuntur tam ingenue ac fideliter discipulorum defectus narrantes; secundo, apparet quam tardum sit humanum ingenium in rebus divinis capessendis, nisi Spiritus Sancti ope collustretur; tertio, in clariorem lucem adducitur bonitas et patientia Iesu, qui tantam in nobis imperfectionem perfert, quin tamen a nobis diligendis desinat.

SECTIO CXXXIV.

(Mc. VIII, 22-26).

Argumentum. — *Caecum Bethsaidae Iesus sensim curat, cui prohibet ne receptam sanationem divulget.*

Ratio Sectionis. — Miraculum a Christo patratum in sanatione huius caeci a solo S. Marco narratur, et quidem dum hic Evangelista pergit describens iter Iesu: ideoque non est huic facto alius locus assignandus.

(*a*) ET veniunt Bethsaidam [1], et adducunt ei caecum, et rogabant eum ut illum tangeret [2]. Et apprehensa manu caeci, eduxit eum extra vicum [3]; et exspuens in oculos eius [4], impositis manibus suis [5], interrogavit eum si quid

(*a*) Mc. VIII, 22-26.

[1] Iesus, cum discipulis, traiecto mari, e Magedan vel Dalmanutha, primo venit trans fretum; demum huc progressus est ([1]).

[2] Non discipuli, sed populares videntur illi esse, qui caecum adduxerunt ad Iesum; simplici fide sperabant illum contactu Christi fore sanandum.

[3] Dominus caecum duxit extra vicum, per hoc ostendens voluntatem suam fuisse ut miraculum occultaretur. Quod si hic de Bethsaida Galilaeae agatur, dici potest cives illos indignos fuisse qui huius miraculi testes essent, cum visis iam tot signis, in eum credere renuissent ([2]). — Mystice autem per hoc significatur, eum, qui divinitus vult illuminari, debere pristinos actus relinquere, imo seipsum abnegare et quasi de terrenis ad caelestia transmeare ([3]).

[4] Non dissimiliter processerat Iesus, cum surdum et mutum sibi adductum misericorditer sanavit ([4]): nimirum, primo, infirmum seorsum educit; tum contactu manuum et adhibita saliva, illum sanat. Differentia tamen est quod surdum et mutum statim perfecte, hunc caecum vero nonnisi gradatim Iesus sanaverit. Multis siquidem modis salutem nostram Deus benedictus operatur: in omnibus autem admirabilis est eius actio et laudabilis valde. — *Exspuens*, id est, sumpta saliva, oculos tetigit ac linivit: ut fit quando lippientes et caligantes oculi saliva mundantur.

[5] Christus manus super oculos caeci imposuit, et sic eos phy-

([1]) Vide supra, Sect. CXXXII, CXXXIII, pp. 241, seq. — ([2]) Cf. Matth., XI, 21. Infra, Sect. CLXXI. — ([3]) Dion. Cartus., in h. l. — ([4]) Vide supra, Sect. CXXX, p. 231.

videret [6]. Et aspiciens, ait : *Video homines velut arbores ambulantes* [7]. Deinde iterum imposuit manus super oculos eius ; et coepit videre, et restitutus est ita, ut clare videret omnia [8]. Et misit illum in domum suam, dicens : *Vade in domum tuam ; et si in vicum introieris, nemini dixeris* [9].

sice tetigit, ut ex iis colligere est quae mox adduntur : *Deinde iterum,* etc.

[6] Christus, manibus remotis, caecum interrogavit, non ut ipse sciret, sed ut responsionem provocando, adstantes de hoc mirabili facto instrueret.

[7] *Aspiciens,* graece est, ἀναβλέψας, quod est, *cum sursum respexisset.* — Quod autem habetur : *Video homines,* etc., graece legitur : Βλέπω τοὺς ἀνθρώπους, ὅτι ὡς δένδρα ὁρῶ περιπατοῦντας, *video homines, sicut si arbores videam ambulantes ;* id est, corpora quidem moveri video ; sed membrorum et lineamentorum formas minime discerno. Ex hoc deducunt nonnulli, hominem hunc non fuisse caecum a nativitate.

[8] Noviter Christus manum infirmo imponit, divinam ei applicans virtutem, quae, fide iam in eo crescente, inchoatam sanationem ad perfectum mox adducit exitum, ita ut firmiter aspiceret, nebulam et obscuritatem acie oculorum penetrans, hoc enim significat graecum verbum διέβλεψεν, et firmiter, constanterque intuebatur, ἐνέβλεπεν, omnia. — Hoc facto evincitur, non semper Dominum ita curasse infirmos, ut statim perfectam reciperent sanitatem ; sed gradualem etiam sanationem verum miraculum esse posse. — Hoc facto, spiritualiter docemur, rudes pedetentim esse docendos : sicut enim si in angusti oris vas totum simul vinum infundi velit, totum pene effundetur ; ita, si quis rudes omnia simul voluerit docere, nihil in eorum intellectu manebit. — Sic etiam, completa iam per Christum spirituali sanitate, homo non amplius vacillat circa mysteria fidei.

[9] Ex his ultimis verbis deduci potest, caecum illum e Bethsaida non fuisse. Forsan ibi commoratus fuerat, mendicandi causa. Eidem autem imponit Christus silentium, ut doceat nos vanam fugere iactantiam et solum gloriae divinae promovendae intendere. — In graeco, parum diverso modo legitur, scilicet : ὕπαγε εἰς τὸν οἶκον σου · μηδὲ εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς, μηδενὶ εἴπῃς εἰς τὴν κώμην, *vade in domum tuam, neque in vicum illum ingredere, neque haec dicas cuiquam in vico.*

QUAESTIONES.

I. — *Quaenam est urbs Bethsaida, hic designata?*

Resp. Duplex, ut iam innuimus, fuit Bethsaida: altera, prope Capharnaum, ubi quinque ex Christi Apostolis ortum habuerunt, scilicet: Petrus, Andreas, Iacobus Maior, Ioannes eius frater et Philippus (1); altera, trans Iordanem, in regione Gaulonitide, quae Philippi tetrarchae studio, instaurata et incolis aucta, e viro ignobili in claram urbem evaserat, cui nomen Iulias ille adiecit, in Iuliae, Augusti filiae, honorem (2). Porro incertum manet, in utram urbem se contulerit Dominus cum discipulis. Iamvero, cum mox visuri simus (3) eos se in castella Caesareae Philippi collaturos ibique versaturos, hinc potius inferre licebit de Bethsaida in Gaulonitide, quae eis in via iacebat, hic agi. — Obiicienti, Bethsaidam hanc hic (scilicet in decursu et fine huius Sectionis) vocari *vicum*, κώμην, respondetur, primo, Bethsaidam Iuliae apud vulgus retinere potuisse prius suum nomen κώμη, maxime cum nomina, κώμη et πόλις, apud scriptores novi Testamenti interdum promiscue usurpentur: sic Bethlehem, apud S. Lucam (4) appellatur πόλις, apud S. Ioannem vero (5) κώμη nominatur; sic etiam Bethsaida Galileae, πόλις, apud S. Ioannem (6) designatur.

II. — *Quare exspuit Christus in oculos caeci, ad illum sanandum?*

Resp. Cum per salivam sapientia designetur, ideo Christus in oculos caeci exspuit, ad demonstrandum quod eum qui divinitus illustrari desiderat, oportet per divinam sapientiam de terrenis ad caelestia transmeare, pristinos actus relinquendo et seipsum abnegando. Praeterea, voluit Christus facto suo nos edocere, ex virtute sanctissimae suae humanitatis omnes nobis gratias provenire.

III. — *Quare caeco illi non perfectam sanitatem statim restituit Dominus?*

Resp. Triplex assignari potest ratio: primo, ad inducendam in homine illo maiorem de obtento favore existimationem; secundo, ad designandum profectum hominis in gratia, ita ut purgatio praecedat illuminationem, illuminatio vero perfectionem seu unionem;

(1) Io., I, 44; Luc., X, 15; Marc., I; Matth., VIII. — (2) Cf. supra, Sect. CXIII, quaest. II, p. 154; Sect. CXVII, n. 2, p. 170. — (3) Sect. seq., p. 254. — (4) II, 4. — (5) VII, 42. — (6) I, 44.

tertio, ut nos edoceret Christus, Deum non tantum esse auctorem rerum perfectarum, sed etiam imperfectarum; quod dicitur contra Manichaeos, vilia animantia subtrahentes a Dei creatione et gubernatione: unde et legimus, mundum paulatim perductum fuisse ex imperfecto ad perfectum. Denique, per hoc instruimur, non solum iustificationem hominis, sed etiam dispositiones ac praeparationes esse a gratia Dei. Quocirca, quod legimus ([1]): *Dei perfecta sunt opera,* non aliud significat, nisi divina opera esse iusta et recta, ita ut a nemine possint merito reprehendi.

IV. — *Utrum debeatur imperfectioni huius caeci, quod primum partialiter tantum sanatus sit?*

Resp. Ita censent plures graves auctores: et potest quidem res ita fuisse: quo casu, docemur Deum dona sua et opera potentiae suae ad nostram fidem quodammodo moderari: nam, sicut Petrus, cum perfecte crederet, firmis super mare vestigiis incedebat, cum vero dubitaret mergebatur, ita huic homini adhuc imperfecte credenti imperfectum visum Dominus concessit; postea vero, cum in fide esset confirmatus, perfectam iam sanitatem consecutus est. Attamen, nequit, ex sacro Textu, talis imperfectio fidei in hoc homine certo argui.

([1]) Deut., xxxii, 4.

SECTIO CXXXV.

(Mt. XVI, 13-20 ; Mc. VIII, 27-30 ; L. IX, 18-21).

Argumentum. — *Interrogante Iesu discipulos, quem se homines esse dicerent, Petrus splendidam de illius divinitate confessionem palam edit ; cui vicissim promittit Iesus se ei daturum claves regni caelorum.*

Ratio Sectionis. — Praesens argumentum de Petri confessione a Synopticis concorditer tractatur, non tamen eodem ab omnibus loco : nimirum, S. Marcus illam ponit statim post caeci sanationem, de qua in praecedenti Sectione ; a S. Matthaeo vero, qui hanc praetermittit, immediate refertur post Christi monitum de cavendo a fermento pharisaeorum, de qua re egimus Sectione CXXXIII ; demum a S. Luca, qui omnia praetermisit quae post primam panum multiplicationem peracta sunt. Petri confessio recensetur immediate post eamdem multiplicationem panum, etsi ex verbis quibus ille exorditur, *Et factum est*, sat aperte significatum relinquat, tempus se determinare noluisse quo id contigerit. — Praeterea, advertendum, licet solemnem Petri fidei confessionem tres priores Evangelistae concorditer referant, a solo tamen S. Matthaeo recenseri primatus promissionem ; cuius omissionis, ex parte sanctorum Marci et Lucae vanum esset quaerere rationem, sicut etiam vanae sunt rationes quas moderni scriptores assignare conantur, cur a S. Luca ea omnia sunt praetermissa, quae ab aliis duobus evangelistis, post primam panum multiplicationem, usque nunc sunt relata. Vanum pariter est quaerere cur a S. Marco et S. Luca magnifica illa promissio S. Petro facta non legitur.

(*a*) ET egressus est Iesus, et discipuli eius in castella, (*b*) in partes Caesareae Philippi [1]. (*c*) Et factum

(*a*) Mc. VIII, 27. — (*b*) Mt. XVI, 13. — (*c*) L. IX, 18.

[1] Duplex erat Caesarea : una, ad oram maris mediterranei, prope Dor, scilicet Caesarea Palaestinae, quae etiam Sebaste dicebatur, et antea Turris Stratonis appellata fuerat, in qua Cornelius Centurio mansisse narratur ([1]) ; altera in Gaulonitide. ad radices montis Hermon, prope originem Iordanis, quam Philippus, frater Herodis Antipae, Caesaream vocavit, in honorem Tiberii Caesaris, a quo quartam partem regni patris sui, Herodis Ascalonitae, unam videlicet tetrarchiam, receperat ([2]). Dicta est etiam Paneas, ex sanctuario Paneion, unde hodiernum nomen Banaias. — Ve-

([1]) Act., X, 1. Cf. Comm. n. in Actus Ap., Sect. XLV, n. 1. — ([2]) Diatess., Sect XIV. quaest. II, Vol. I, p. 98.

est, cum solus esset orans, erant cum illo et discipuli [2]; et interrogavit illos (*a*) in via, (*b*) dicens [3]: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* (*c*) *Quem me dicunt esse turbae* [4]? At illi responderunt et dixerunt: (*d*) *Alii Ioannem Baptistam; alii autem Eliam; alii vero Ieremiam;* (*e*) *alii vero, quia unus propheta de prioribus surrexit;* (*f*) *alii vero, quasi unum de prophetis* [5]. Tunc dicit illis (*g*) Iesus: *Vos*

(*a*) Mc. VIII, 27. — (*b*) Mt. XVI, 13. — (*c*) L. IX, 18-19. — (*d*) Mt. XIV, 14. — (*e*) L. IX, 19. — (*f*) Mc. VIII, 28-29. — (*g*) Mt. XVI, 15.

nit igitur Iesus in castella aut partes, seu loca vicina huius urbis, quod est, omnia illius regionis oppida peragravit, ἐξῆλθεν... εἰς τὰς κὼμας Καισαρίας τῆς Φιλίππου.

[2] Solus, κατὰ μόνας, idem est ac κατ' ἰδίαν, *singulariter*. — Porro, quod hic additur, fuisse discipulos cum Iesu, non opponitur ei quod dictum est, *cum solus esset orans:* nam dictum hoc intelligi potest sic, ut Christus prius quidem ab aliorum consortio segregatus, solus orationi insisteret, mox vero ei adfuerint discipuli: hic enim est sensus graeci verbi συνῆσαν, *conveniebant*. — Orabat autem Dominus, quia modo de re maximi momenti cum Petro pertractanda agebatur. Sic vidimus Christum orasse, antequam Apostolos suos eligeret ([1]).

[3] Non ex ignorantia interrogavit Dominus discipulos, sed ut, occasione responsionis eorumdem, illos posset congrue instruere.

[4] Discrepantia quaedam hic habetur inter S. Matthaeum et alios duos Evangelistas: videlicet, in illius textu, secundum nostram Vulgatam et plures graecos codices, omittitur pronomen *me,* quod tamen ponitur et in S. Marco et in S. Luca. Igitur dici potest, vel Christum utraque usum locutione, vel aliquem ex Evangelistis Christi verba ad sensum retulisse.

[5] Turbarum de Christo multiplex opinio evincit quantae existimationis apud omnes esset Salvator, maxime cum in resurrectionem credentes, putarent viros sanctos cum maiori potentia resurrecturos. Aliqui, igitur, eodem errore ac Herodes ([2]) illum putabant esse Ioannem Baptistam, ob insignem sanctitatem quam in eo observabant; alii, ob zelum iustitiae, quo tenebatur, credebant eum esse Eliam redivivum; alii, ob eius amorem in proximum, opinabantur illum esse Ieremiam; alii, ob prophetiae donum, eum reputabant unum de prioribus, seu potioribus, prophetis resurrexisse; alii demum illum

([1]) Luc., VI, 12. Supra, Sect. LXX, n. I. Vol. I, p. 412. — ([2]) Matth., XIV, 2.

autem quem me esse dicitis [6] ? (*a*) Respondens Simon Petrus, dixit : *Christum Dei.* (*b*) *Tu es Christus, Filius Dei vivi* [7]. Respondens autem Iesus, dixit ei : *Beatus es, Simon Bar Iona* [8] : *quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater*

(*a*) L. IX, 20. — (*b*) Mt. XVI, 16-20.

habebant quasi unum de prophetis : id est, non prophetam, qui surrexisset a mortuis, sed novum quemdam prophetam, antiquis similem : hoc quippe sibivult illud S. Marci ([1]) : *Alii vero, quasi unum de prophetis,* unde haec est revera quinta opinio ab aliis distincta. Simili formula usus erat S. Marcus ([2]) : *Propheta est, quasi unus de prophetis.* — Notandum, hoc quod nonnulli putaverint Christum esse Eliam, argumento esse, tunc temporis fuisse expectatum Messiam : credebatur enim fore ut Elias ante Messiam appareret ([3]) ; simulque, quod renuerint Christum ipsum tanquam promissum Messiam habere, huius causa est quod eum viderint, non ea regia pompa incedentem, qua illum venturum exspectabant.

[6] Vos, qui mihi familiares estis, quibus doctrinae meae secreta propalavi, qui testes fuistis meorum prodigiorum, qui et ipsi in Nomine meo miracula patrastis, num me purum hominem arbitramini ?

[7] Petrus, tanquam os Apostolorum, ut illum vocat S. Ioannes Chrysostomus ([4]), pro omnibus respondet. *Ille igitur primus est in confessione,* ait S. Leo ([5]), *qui primus est in apostolica dignitate.* — Hic ergo fatetur Iesum esse revera Christum : quo quidem nomine utraque natura, divina scilicet et humana, comprehenditur : et ut explicitior sit confessio, addit : *Filius Dei vivi,* ut habetur apud S. Matthaeum, ubi, quod dicitur, *vivi*, aequivalet huic : *viventis vita beata,* ad differentiam hominum mortuorum, qui a gentibus colebantur ut dii, quales erant Iupiter, Apollo, Minerva ; et hi quidem, quantum ad corpus, mortui sunt ; quantum ad animam vero, cruciantur in inferno, ubi est mors secunda ([6]). — Notanda est emphasis, quae est in graeco textu S. Matthaei : Σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, id est, tu es ille praecellens Christus vel Messias, Filius illius Dei, qui mortuus non est, sed vivit, imo est ipsemet sua vita.

[8] Petrus a Domino praedicatur beatus, utique beatitudine viae, quae est beatitudo inchoata, scilicet, beatitudine spei et gratiae, quia credidit eis quae sibi a Deo revelata erant ; unde rite ipse-

([1]) VIII, 28. — ([2]) VI, 15. — ([3]) Mal., IV, 5 ; Matth., XVII, 10 ; Marc., IX, 10. — ([4]) Homil LIV in Matth., n. 1. — ([5]) Serm. IV, 2. — ([6]) Apoc., XX, 14.

meus, qui in caelis est [9]. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* [10], *et portae*

met docere potuit, beatitudinem aeternam, seu salutem animarum, finem esse fidei nostrae ([1]). — Notandum, beatitudinem hanc secumferre promissionem primatus, tanquam praemium eximiae professionis fidei a Petro editae. Vocatur autem Bar-Iona, quod est, filius Ioannis. Allocutio haec, quae videtur a Christo introducta in oppositione ad Filium Dei, nonnihil solemnitatis addit sermoni Christi. — Quam temerarie horum Christi verborum historica authenticitas a quibusdam recentioribus in dubium fuerit revocata, evincit responsum *Pontificiae Commissionis de Re biblica* ([2]).

[9] A te ipso non invenisti quod professus es, scilicet me esse Christum, Filium Dei vivi; sed id per gratiam fidei accepisti a Patre meo, a quo est *omne datum optimum et omne donum perfectum* ([3]). — *Caro et sanguis,* phrasi hebraica, hominem carnalem significat, in oppositione ad spiritum Dei ([4]), et hic designat rationem humanam suis relictam viribus ([5]).

[10] Vicissim ego, qui Deus sum, praemium tibi ob insignem confessionem reddere cupiens, tibi dico, et quod dico reipsa facio, cum meum dixisse sit fecisse, quia tu, qui Simon vocabaris, nunc vocaris et es vere Petrus, id est, petrae instar, firmus in fide. Sic igitur facto id nunc Christus complet, quod olim promiserat ([6]): *Tu es Simon, filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Porro, cum Christus ipse sit lapis summus, angularis Ecclesiae ([7]), non dedignatur nomen hoc, sibi proprium, Petro communicare, cum eidem suam communicasset in docendo infallibilitatem; pariter cum Deus, in veteri Testamento, interdum vocetur saxum vel rupes, hinc significat Christus Petro se divinam fortitudinem collaturum. — Notandum, aramaico sermone, quo Christus utebatur, nullum esse generis discrimen inter *petrum,* et *petram:* utrumque enim est כֵּיפָא, *Kepha,* ita quod idem prorsus significent: nisi quod cum hoc loco ad virum referatur, masculine tantum in Vulgata redditur; at plana est metaphora, Ecclesiam nempe Petro superaedificandam, propter fidei firmitatem, qua rupis instar, divina erat virtute solidandus. Quocirca Ecclesia a Christo praedicitur fundanda, non supra fidem quam Petrus professus est, nec supra Petrum, abstractione facta ab eius fide, sed supra Petrum formaliter, ut sic, talem fidem profitentem, scilicet fidem in Christi

([1]) 1 Petr., I, 9. — ([2]) 19 Iunii 1911, n. VII. — ([3]) Iac., I, 17. — ([4]) Cf. Io., I, 13; Gal., I, 16. — ([5]) Cf. Matth. XI, 27; Io., VI, 44, 45. — ([6]) Io., I, 42. — ([7]) 1 Petr., II, 6.

inferi non praevalebunt adversus eam [11]. *Et tibi dabo claves regni caelorum* [12]. *Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super ter-*

divinitatem : unde sequitur Summum Pontificem, ut est caput Ecclesiae, errare in fide non posse. Hoc modo intelligitur, cur passim a Patribus dicatur Ecclesia aedificata supra Petrum, passim supra fidem Petri. — Notanda sunt hic verba S. Augustini ([1]): *Inter congregationem, unde Synagoga, et convocationem, unde Ecclesia nomen accepit, distat aliquod : quod scilicet congregari et pecora solent, atque ipsa proprie, quorum et greges proprie dicimus; convocari autem magis est utentium ratione, sicut sunt homines.*

[11] *Portae,* in Scriptura, significant potestatem vel sedem imperii, cum olim in portis exercerentur iudicia; unde hostium portae sunt illorum vires, arma, conatus; sic ([2]): *Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum* ([3]). Aliunde, verbum *praevalere contra aliquem,* κατισχύειν τινός, sensum habet, *vi opprimere, evertere.* Aliunde, nomen *infernus,* ᾅδης, non solum significat locum tormentorum, ubi diabolus torquetur, sed etiam hostem infensum regni Dei ([4]), qualis est ipse diabolus. — Porro tripliciter impetere potest diabolus Ecclesiam : uno modo, per haereses, schismata et seductiones ; alio modo, per persecutiones tyrannorum ; tertio, per miserias et calamitates temporales. Significat ergo Christus, Ecclesiam, nec quorumdam suorum filiorum nequitia, ab eius obedientia se subducere molientium aut nova dogmata confingentium, nec externorum hostium crudelitate, nec damnis quibuscumque temporalibus, unquam esse deiiciendam. Ex quo sequitur, Ecclesiam ruinae, aut interemptioni vel corruptioni nunquam subiectum iri, sed in aeternum permansuram in fide quam recepit a Christo. — Notandum, pronomen *eam* grammatice referri ad *Ecclesiam :* at, ex consequenti, refertur etiam ad *petram.*

[12] Tropo hic utitur Dominus, quo faciliorem reddat altissimarum rerum, de quibus hic agit, intelligentiam : unde sequi debemus sensum litteralem quidem, sed metaphoricum. Clavis, in Scriptura, munus aut potestatem significat oeconomi apud principem : sic, pollicetur Isaias supremam Eliacim apud reges Iuda administrationem ([5]) : *Dabo clavem domus David super humerum eius : et aperiet, et non erit qui claudat, et claudet, et non erit qui aperiat.* Cum igitur

([1]) In Ps. LXXXI, n. 1. — ([2]) Gen., XXII, 17. — ([3]) Cf. Ibid., XXIV, 60. — ([4]) Apoc., VI, 8 ; XX, 14. — ([5]) Is., XXII, 22.

ram, erit solutum et in caelis [13]. Tunc praecepit discipulis suis, (*a*) et comminatus est eis, (*b*) ut nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus; (*c*) at ille increpans illos, praecepit ne cui dicerent hoc [14].

(*a*) Mc. VIII, 30. — (*b*) Mt. XVI, 20. — (*c*) L. IX, 21.

Christus ipse habeat claves mortis et inferi, necnon clavem David ([1]), nihilominus Petro dat claves regni caelorum, eumque instituit oeconomum vel procuratorem in domo Dei: sic quippe interpretatur regnum Dei, cum Christus in hoc mundo princeps temporalis esse noluerit, et regnum temporale minime condiderit.

[13] Hebraeorum phrasi, ligare et solvere idem sunt ac legifera potestate ac iudiciali sententia aliquid vetare et concedere; unde, habito potissimum respectu ad alia Domini verba ([2]): *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt,* quod hic Petro Dominus promittit, non aliud sibivult, nisi quod in caelo, tanquam absoluta, habenda sint peccata, quae ab eo, seu ab eius successoribus, in terris dimissa fuerint; vicissim vero, ratam fore in caelo sententiam, ab eodem vel ab eius successoribus latam, de peccatis reservandis: *unde merito,* ait Concilium Tridentinum ([3]), *Pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare.* Sibivult quoque, penes Petrum, esse potestatem leges ferendi, quae homines obligant, necnon potestatem regendi et administrandi Ecclesiam.

[14] Mirum videtur, cur Christus istud praeceperit: si enim noluerit praedicari se esse Christum, cur misit Ioannem praedicare suum adventum; cur ipsemet se praedicavit Patris Filium ([4])? — Dici potest, diversam fuisse, hac super re, diversis temporibus, Christi agendi rationem. Primo quidem, ne Iudaei excusationem haberent, noluit suum adventum penitus taceri; et ideo per Simeonem senem, per Annam prophetissam, per Magos, per Praecursorem, per propria verba et miracula, insinuavit se esse Christum, verum Dei Filium. Postea vero iussit id taceri, ne sua impediretur passio et mors, ex parte eorum qui illum occidere volebant, ut ex immediate consequentibus patet, et ne offensionis causa simplicibus praeberetur, videntibus illum tam turpi morti condemnari. Fortasse etiam nondum tanta erat Apostolis au-

([1]) Cf. Apoc., I, 18; III, 7. — ([2]) Io. XX, 23. — ([3]) Sess. XIV, c. 7. — ([4]) Io., V, 43; X, 30; etc.

ctoritas, ut populo persuaderent Iesum esse Filium Dei. At Iesus, iam e mortuis redivivus, Apostolis in fide confirmatis solemniter imperat, ut hoc ipsum ubique praedicent, pollicitus se eorum praedicationem omnis generis miraculis confirmaturum. — Eadem comminatione, ut ex verbis S. Lucae eruitur, Christus Apostolis prohibuit, ne propalarent id quod dixerat et fecerat, scilicet promissionem insignis illius potestatis Petro factam, cum homines rem tam altam nondum potuissent percipere: ideoque satis esse debebat ut tunc manifestaretur, quando revera illam iam actu contulisset, quod est post resurrectionem suam. At potissime Christi vetitum respectum habet ad decretum passionis illius, ut signanter eruitur ex verbis S. Lucae ([1]): *At ille increpans illos, praecepit ne cui dicerent hoc, dicens quia oportet Filium hominis multa pati.* — Non immerito cernunt plures scriptores, in hisce Domini nostri verbis, normam propositam disciplinae arcani, quam priscis Ecclesiae temporibus viguisse novimus.

QUAESTIONES.

I. — *Cur ordinavit Iesus ut, non in Iudaea, vel Galilaea, sed in regione gentilium, Petri confessio et splendida ad eum facta promissio locum haberet?*

Resp. Ut significaret novae Legis regnum non ad Iudaeos tantum restringendum fore, sed omnes gentes, etiam quae a fide in verum Deum erant alienae, complexurum: imo has illis fore praeferendas.

II. — *Quare legitur Christus solus orans fuisse* ([2])?

Resp. Christus ut homo, orationem facturus, seorsum secessit, non quod aliorum tumultu aut strepitu posset mens eius in devotione, attentione aut contemplatione ullatenus turbari vel impediri; sed hoc ad nostram informationem egit, quatenus orationi vacaturi impedimenta devotionis et distractionum occasiones devitemus.

III. — *Quomodo dicebant aliqui Iesum esse Ioannem Baptistam, cum ambo eodem tempore vixerint, ac proinde notum fuerit alterum ab altero esse distinctum?*

Resp. Vivente Ioanne Baptista, nondum Dominus noster celeber evaserat, et nonnisi eo mortuo coepit illius fama longe lateque diffundi, adeo ut Herodes iam censeret Ioannem in Iesu, quem non-

([1]) IX, 21, 22. — ([2]) Luc., IX, 18.

dum cognoverat, resurrexisse (1). Ceterum, quod nonnisi post Ioannis mortem Iesus crescere deberet, ipsemet Praecursor testatus erat, cum dixerit (2): *Illum oportet crescere, me autem minui.* Crevit ergo Iesus in fama, postquam Ioannes minutus est capite.

IV. — *Quid causae fuit, quod Iesum putaverint aliqui esse Ieremiam?*

Resp. Persuasio haec oriri potuit ex visione facta Iudae Machabaeo, in qua visum est sibi videre *virum aetate et gloria mirabilem, et magni decoris habitudinem circa illum... Hic est qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Ieremias, propheta Dei* (3): cum et Dominus noster, ob splendorem miraculorum, gloria undequaque circumdaretur. Insuper, cum legatur Ieremias iussus a Deo non solum destruere et dissipare, sed etiam aedificare et plantare (4), id autem vivens non videretur perfecisse, potuit opinio convalidari, illum denuo in terras missum fuisse, ut hanc alteram sui muneris partem expleret.

V. — *Utrum Petrus, per verba:* Tu es Christus, Filius Dei vivi, *intellexerit Filium Dei naturalem?*

Resp. Affirmative, uti patet ex emphatica lectione graeci textus, quam supra retulimus. — Praeterea, id confirmatur, primo, ex oppositione instituta, inter hinc Ioannem, Eliam, Ieremiam atque prophetas, illinc vero Iesum: porro, cum certum sit illos fuisse filios Dei adoptione, non restat nisi ut Iesus praedicetur Filius Dei, non adoptione, sed natura. Secundo, ex eo quod Christus testatur Petri cognitionem fuisse haustam ex speciali revelatione: atqui tali revelatione opus non fuisset, ut Iesus diceretur Filius Dei sensu quo titulum hunc hominibus insignibus Iudaei attribuebant. Tertio, ex eo quod Christus ipse statim expresse dixerit: *Pater meus, qui in caelis est:* innuens eodem sensu Petrum intellexisse Iesum esse Filium Dei, quo Iesus ipse se dicebat Patrem habere Deum, scilicet, sensu naturali et proprio. Quarto, ex eo quod dicit Petrus *Dei vivi,* innuitur Iesum procedere a Deo, ea lege qua proprium est viventium sibi similes generare.

VI. — *Utrum Petrus omnium Apostolorum nomine Christo responderit, ita ut communes partes egerit?*

Resp. Negative: cum enim plures iam priori Christi interrogationi satisfecissent, alteri quaestioni unus legitur Petrus respondisse, quin collegas interrogaret, aut mandatum respondendi ac-

(1) Marc., VI, 16. Sect. CXIV, n. 8, p. 158. — (2) Io., III. 30. - (3) 2 Mach., XV, 13, 14. – (4) Ier., I, 10.

ciperet, aut eorum corda scrutaretur: unde non omnes Christus beatos praedicavit, sed solum Petrum, illum solum revelatione divina edoctum declarans. — Dici tamen potest Petrus et pro aliis respondisse, hoc sensu quod, cum esset aliorum caput, fidei professionem ediderit, quam omnes approbarent et ad quam accederent, eo sensu quo dixit ipsemet (1): *Domine, ad quem ibimus,* etc.

VII. — *Utrum tunc, prima vice, divinitas Christi palam agnita fuerit?*

Resp. Negative: sic enim iam saepius legimus Dominum nostrum, ab Apostolis, vel ab aliis, pronuntiatum et declaratum Filium Dei: puta, a Nathanael (2), ab iis qui erant in navi, dum Iesus super aquas ambulasset, tempestatemque sedasset (3), etc. (4).

VIII. — *Utrum haec Christi verba:* SUPER HANC PETRAM, *referri debeant ad ipsummet Petrum?*

Resp. Etsi nonnulli ex Patribus verba illa retulerint ad Christum Dominum, alii vero ad Petri confessionem, seu fidem ab eo tam mirabiliter proclamatam, magis tamen obvius sensus exigit, ut ad ipsummet S. Petrum referantur. Imprimis enim idem sunt, sermone quo utebatur Christus, *Petrus et petra,* CEPHAS: unde nonnisi distorta, imo violenta ratione, verba illa ad Christum aut ad fidem referuntur. Praeterea, tum praecedentia, tum subsequentia verba Petro dicuntur: quomodo ergo potest media pars ista de aliquo alio accipi, cum potius sit eius, quod praecedit, explicatio, quasi Dominus reddat nominis impositi rationem, docens quomodo sit ille Apostolus petra, et quid sit super hanc petram exstruendum. Denique, non tam vere ad Christum vel ad fidem referri possunt, cum futurum ponatur, *aedificabo:* enimvero Ecclesia iam in Christo et in fide in ipso fundata manebat; nam fundamentum Ecclesiae est Christus et fides in Christum: unde dicendum, non hoc intendisse Dominum verbis citatis.

IX. — *Utrum doctoribus Iudaeorum aliqua fuerit olim ligandi atque solvendi potestas collata?*

Resp. Aliqua quidem potestas doctrinalis, legifera atque iudicialis erat penes Iudaeorum doctores, diversa tamen a potestate quae Petro eiusque successoribus collata est. Primo, illorum potestas ad unam tantum gentem restricta erat, Petri vero ad totum mundum; secundo, illa ultra textum S. Scripturae non se porrigebat,

(1) Io., VI, 69. — (2) Io., I, 49. Sect. XXVII, n. II, et quaest. III. Vol. I, pp 187, 189. — (3) Io., VI, 70. Sect. CXXV, n. 12, p. 208. — (4) Matth., XIV, 33. Sect. CXIX, quaest. IV, p. 181.

haec vero id quoque complectitur, quod in verbo Dei non scripto continetur: tertio illa non in uno homine, sed in pluribus simul personis residebat, haec vero initio quidem in uno Petro et in Apostolis, nunc vero in uno Summo Pontifice, sive solo, sive cum episcoporum coetu; denique illorum potestati finis erat imponendus, at potestas Petri et eius successorum usque ad saeculi consummationem est duratura. Porro, salvis hisce differentiis, inficias nequit iri, Synagogae quoque suam fuisse triplicem potestatem, cui succedit Petri potestas, tanquam perfectum imperfecto, quemadmodum et ipsam imperfectam Synagogam suscepit et continuavit perfecta Christi Ecclesia.

X. — *Utrum a potestate Petro collata exclusi fuerint ceteri Apostoli?*

Resp. Negative; ceteri enim Apostoli, quemadmodum cum Petro communicaverunt in fundamenti dignitate, ita etiam clavium potestatem, in bonum Ecclesiae universae exercendam, acceperunt; at differentia est, quod huiusmodi potestas ceteris Apostolis, ob Ecclesiae unitatem, nonnisi in ordine ad Petri potestatem collata est; Petrus vero, primatum tenens, suam accepit potestatem independenter a potestate ceteris Apostolis concessa.

XI. — *Utrum Apostolorum potestas ligandi atque solvendi extendatur etiam ad homines vita functos?*

Resp. Huiusmodi potestas proprie ad vivos pertinet, supra quos solos Ecclesia gaudet vera iurisdictione: at indirecte defunctos quoque respicit, in quantum vel indulgentias instituit eisdem per modum suffragii applicabiles, vel eos, tanquam excommunicatos, excludere potest a publicis precibus et suffragiis fidelium.

XII. — *Utrum potestas Petro collata tota transeat in eius successores?*

Resp. Totum id in Petri successores transit, quod ad Ecclesiae regimen formaliter requiritur; unde dum Romanus Pontifex plena gaudet potestate ligandi atque solvendi, tamen quae Petri praerogativae personales erant, ut confirmatio in gratia, et ea quae ab hac praerogativa profluxerunt, ad illum non transierunt, sicut in episcopos non transit Apostolorum personalis infallibilitas aut impeccabilitas, aut etiam tota eorum auctoritas. Quocirca, dicendum non est, quemlibet episcopum vel presbyterum accepisse claves regni caelorum: ecclesia enim quaelibet particularis est veluti unius regni provincia vel regio, et nequit regnum appellari.

XIII. — *Quare claves pluraliter hic ponuntur?*

Resp. Cum per clavem significetur actus iudicii quo iudex

ecclesiasticus dignos recipere, indignos vero excludere debet a regno, actus vero iudicii perfici non possit sine debita discretione de idoneitate subiecti in quem potestas illa exercenda est, hinc duae claves rite distinguuntur: quarum una pertinet ad iudicium de idoneitate eius qui absolvendus est, et alia ad ipsam absolutionem: quae duae claves distinguuntur ex comparatione ad actus, quorum unus alium praesupponit (1).

XIV. — *Cum actus clavis sit aperire et claudere, quare non dixit Christus: Quodcumque aperueris aut clauseris super terram, erit apertum aut clausum et in caelis, etc.?*

Resp. Pluribus metaphoris voluit Dominus excellentiam et amplitudinem potestatis, quam Petro promittebat, declarare. Igitur, ut daret intelligi, posse illum credentes admittere in regnum caelorum, non credentes repellere, metaphora clavium usus est, quibus clausa aperiuntur, aperta clauduntur; ut autem significaret potestatem ei esse leges sanciendi, censuras ferendi, homines peccatis onustos absolvendi aut eorum poenas relaxandi, quod quidem formale est in Petri potestate, congrue adhibuit voces *ligare* et *solvere;* eo vel magis quia claudere et aperire, ad res tantum, ligare autem et solvere ad personas etiam referuntur (2).

(1) Cf. Sect. XXXVII, quaest. III. Vol. I, p. 246; Sect. LXII, Quaest. I, Ibid., p. 375, etc. — (2) Cf. tr. n. DE SACR. POENITENTIAE, Quaest. octava, art. I, n. 10, p. 270.

SECTIO CXXXVI.

(Mt. XVI, 21-23 ; Mc. VIII, 31-33 ; L. IX, 22).

Argumentum. — *Praedicit Iesus suam passionem, mortem et resurrectionem ; Petrum vero, hac super re scandalum sumentem vehementer reprehendit.*

Ratio Sectionis. — Particula *exinde,* qua S. Matthaeus ultima praecedentis Sectionis verba, a se relata, colligat cum praesenti argumento, evincit sic ferre sequelam historiae, ut hic ponatur solemnis illa, quam de sua passione, fecit Iesus praedictio, quam quidem tres concorditer Synoptici, verbis tamen paulisper diversis, aequo modo prosequuntur. — Petrus, hic, sicut alibi pluries, ardentiorem se prodit.

(*a*) EXINDE coepit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam, et (*b*) Filium hominis multa pati [1], et reprobari a senioribus, et principibus sacerdotum, et Scribis, et occidi [2], et tertia die resur-

(*a*) Mt. XVI, 21. — (*b*) L. IX, 22.

[1] Non sine ratione statim post Petri splendidam de Christi divinitate professionem, proponit Dominus mysteria passionis, mortis et resurrectionis suae, quae novem circiter post menses complenda erant : quasi videlicet inculcare vellet eumdem, qui passurus erat, moriturus et resurrecturus, esse ipsummet verum ac naturalem Filium Dei vivi. — Quod dicitur *oportet,* non absolutam necessitatem indicat, sed necessitatem conditionatam seu finis, ut scilicet adimpleretur ordinatio Dei, qui proposuerat mundum nonnisi per Christi passionem redimendum esse. — Notandum vero specialiter est, theatrum accurate describi in quo Christus erat passurus : urbem nempe Iudaeae principem, ubi templum exstabat, uni vero Deo consecratum, quod erat figura futuri Testamenti. Sic quoque adimplendum erat dictum illud ([1]), scilicet, quod non capit prophetam perire extra Hierusalem.

[2] Clare iam distinguit Domi-

([1]) Matth., XXIII, 37; Luc., XIII, 33.

gere [3]. (*a*) Et palam verbum loquebatur [4]. Et apprehendens eum Petrus, coepit increpare eum [5]. (*b*) dicens : *Absit a te, Domine ; non erit tibi hoc* [6]. (*c*) Qui conversus, et videns disci-

(*a*) Mc. VIII, 32. — (*b*) Mt. XVI, 22. — (*c*) Mc. XIII, 33.

nus triplicem ordinem personarum, a quibus passurus erat, qui videlicet Synedrion, vel Sanhedrin constituebant : hi scilicet futuri erant seniores, sacerdotum principes et scribae, quibus omnibus arcto foedere conveniebant pharisaei. Primi numero erant viginti quatuor et populum repraesentabant ; totidem erant secundi, qui scilicet erant capita familiarum sacerdotalium, vicissim sacerdotio in templo fungentes : tertii, qui doctrinam legis repraesentabant, erant numero viginti duo. His omnibus praeerat Summus Pontifex, qui tempore mortis Christi fuit Caiphas (1).

[3] Hoc adiecit Christus ad consolationem discipulorum suorum, ne propter passionis et mortis nuntium, nimia gravarentur tristitia.

[4] Non inutiliter hoc additur, ad insinuandum quantum Domino nostro familiaris foret visio passionis suae et quomodo suos nollet vana spe aut securitate illudi. — Notandum est adverbium *palam*, graece παρρησίᾳ, quod significat *libere, sincere, sine ambagibus*. Nimirum, cum Dominus prohiberet res a se gloriose gestas propalari, ipsemet tamen ultro et frequenter de passione sua edisserebat.

[5] Graece, καὶ προσλαβόμενος αὐτόν, quod est, manu vel veste illum sumens atque seorsum ducens. Seorsum ducit Petrus Iesum, ut illum familiarius atque fiducialius alloquatur, non quidem tanquam eum de culpa arguens, sed pro vehementi affectu quo dilectum Magistrum prosequebatur, eum a proposito fortiter dissuadens. — Dicit Evangelista de Petro, quod *coepit* increpare Dominum, quasi in animo haberet ut continuaret ; sed eum Christus statim, prima prolata sententia, interrupit.

[6] In graeco, ἵλεώς σοι, κύριε, οὐ μὴ ἔσται σοὶ τοῦτο, *propitius sit tibi Deus, Domine : non erit hoc tibi :* ubi verba priora respondent formulae : μὴ γένοιτο, *absit*. Cum omni culpae et poenae reatu careas, non est aequum ut tam ignominiosa patiaris ; ex quibus apparet, Petrum nondum ex Scripturis agnovisse Christum pro mundi salute fore occidendum. In hac Petri interpellatione, ardens eius relucet voluntas Domino validam defensionem impendendi. At non considerabat Apostolus salutem humanam fru-

(1) Cf. Luc., XX, 1. Sect. CCXL ; cf. etiam Sect. XII, n. 8. Vol. I, p. 83 ; Sect. XXIV, quaest. I, p 173.

pulos suos, comminatus est Petro, dicens [7]: (*a*) *Vade post me, satana; scandalum es mihi* [8]; *quia non sapis ea quae Dei sunt, sed ea quae hominum* [9].

(*a*) Mt. XVI, 23.

strandam fuisse, nisi Christus tam acerba passus fuisset.

[7] Tristem ac terrificum vultum convertit Iesus ad discipulos, ut illos, et maxime Petrum, efficacius instruat, nam *per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis* ([1]). — Attamen, verbum *conversus,* στραφείς, verti etiam potest, *aversus ab eo,* quasi indignabundus quod rem talem protulerit.

[8] Satan proprie est *adversarius, accusator.* Igitur, abscedere a se Petrum tanquam adversarium iubet Dominus, quod conaretur impedire tantum bonum, qualis erat sua passio et totius mundi redemptio. Dicit ergo Petro: quantum in te est, suggeris mihi malum culpae et occasionem ruinae, ut non obediam Deo Patri, qui decrevit mea passione mundum salvare. — *Scandalum es mihi,* graece, σκάνδαλον εἶ ἐμοῦ, proprie, *mei offendiculum es,* seu *offendiculo mihi es.*

[9] Dum optas ne patiar, ostendis te divina non intelligere, et animum tuum non secundum Deum affici; sed humanum tantum sensum et naturalem affectum prodis. Porro, si Christus, rex et caput Ecclesiae per passionem intrare debuit in gloriam suam ([2]), quid consequens est, nisi ut nos ipsi exemplum eius sequamur? — Notari hic opportune poterit, quam diverso modo tractet Iesus Petrum et Iudam proditorem: nimirum, illum, tanquam aliquid suadentem legi Dei contrarium, satanam appellat; hunc vero, quia ipsa sua iniqua proditione Dei consilium exequitur, vocat amicum ([3]).

QUAESTIONES.

I. — *Utrum, ante hanc de sua passione praedictionem, Christus iam discipulis suis praenuntiaverit se passurum fore?*

Resp. Id quidem Christus verbis non praenuntiavit, sed tamen subobscure quibusdam factis significavit, puta paupere et humili vitae genere a se assumpto: idipsum quoque pluribus factis annuntiatum est, ut odio et insectationibus pharisaeorum, morte Prae-

([1]) Eccle., VII, 4. — ([2]) Luc., XXIV, 26. — ([3]) Matth., XXVI, 50.

cursoris et signo Ionae; his nempe et similibus, suspicari potuere discipuli, maiores adhuc dilecto magistro persecutiones instare, licet eorum imperfectio eis suaderet ut crederent vitam eius fore gloriosam: nunc tamen prima vice suam passionem Christus palam annuntiat.

II. — *Cum Christus tam perspicue praedixerit se occisum et tertia die suscitatum iri, quomodo postea discipuli magno lapide eius sepulcrum clauserunt, et mulieres eius corpus, mane tertiae diei, ungere voluerunt?*

Resp. Discipuli hoc Christi verbum non intellexerunt (1), quasi reputarent impossibile fieri, ut Filius Dei occideretur, ideoque verba illa aut non consideraverunt aut tanquam metaphorice dicta habuerunt: qua simili quidem locutione, metaphorico sensu, utuntur prophetae (2). Christo autem iam occiso, nimium perturbati fuerunt, quam ut in eorum mente sobriae considerationi locus relinqueretur.

III. — *Quomodo factum est ut, tam cito post splendidam fidei professionem, Petrus reprehensibilem protulerit sententiam?*

Resp. Priora Petrus verba protulerat docente Spiritu Dei, ideoque ea dixerat quae ex Patre didicerat; nunc autem uti homo imperfectus, proprio sensu loquitur, ea sectatus quae caro et sanguis docent, scilicet fugere passionem et dolorem: Dominus vero tantopere hominum salutem desiderabat, ut Apostolum contraria suadentem ferre nequiret.

IV. — *Utrum Christi verba:* VADE POST ME, *transferri possint:* SEQUERE ME?

Resp. Ita quidem haec verba intellexerunt Origenes (3) S. Ambrosius (4) et S. Hilarius (5); quasi dixerit Christus: *Veni post me, Petre;* tunc, conversa in Satanam oratione: *Satana, scandalum mihi es;* implicite redarguens Petrum, quod Satanae suggestione, illum conatus sit a morte deterrere, his verbis: *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc.* Haec tamen sententia iuste refellitur a S. Hieronymo (6), et tanquam contextui sanctorum Matthaei et Marci minus consentanea communiter deseritur.

V. — *Utrum Petrus ex impulsu ac suggestione Satanae locutus fuerit?*

Resp. Negative, sed ex humano affectu, et non bene ordinata

(1) Cf., Marc., IX, 31; Luc., XVIII, 34. — (2) Os., VI, 2, 3. — (3) In h. l. — (4) L. I de Abraham, c. VI. — (5) In Matth., c. XVII. — (6) In h. l.

in Christum dilectione, prodiit ista locutio: quam tamen, quia non ex sapientia caelesti oriebatur, dignam Christus duxit quae Satanae attribueretur.

VI. — *Ad quodnam peccatum pertinuit increpatio Petri?*

Resp. Pertinuit ad peccatum stultitiae, in hoc consistens, quod homo immergit sensum suum rebus terrenis, ex quo redditur eius sensus ineptus ad percipienda divina, iuxta illud (1): *Animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei;* sicut etiam homini, habenti gustum infectum malo humore, non sapiunt dulcia (2).

(1) 1 Cor., II, 14. — (2) S. Thom., 2 2ae, Quaest. XLVI, art. 2.

SECTIO CXXXVII.

(Mt. XVI, 24-28; Mc. VIII, 34-39; L. IX, 23-27).

Argumentum. — *Docet Christus Dominus, hominem ad sui sequelam venientem, crucem ferre debere quotidie, ut animam suam, quae maioris est pretii quam universus mundus, salvare possit, addens fore ut, in secundo suo adventu, eum qui se nunc confessus fuerit aut erubuerit, ipsemet confiteatur aut erubescat.*

Ratio Sectionis. — Quod hic recitatur, de cruce quotidie ferenda, sicut a S. Matthaeo et S. Marco immediate ponitur post reprehensionem Petro a Domino factam, ita eamdem logico ordine e vestigio subsequitur: praedicaverat enim Christus necessitatem passionis et mortis suae; Petro vero repugnante, formaliter subsumit Dominus, universalem legem esse de cruce ab unoquoque quotidie ferenda, tanquam conditionem ad sui sequelam. — Notandum, S. Lucam Christi ad Petrum reprehensionem siluisse; attamen haec divini Salvatoris de abnegatione verba ita retulisse, ut solus particulam *quotidie* addiderit. Quae autem adiicit Dominus de eo qui se confessus fuerit, a solis S. Marco et S. Luca recitatur; licet tres Synoptici concorditer referant id quod dicitur de quibusdam non gustaturis mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.

(*a*) HUNC Iesus, (*b*) convocata turba, cum discipulis suis, dixit (*c*) ad omnes [1]: *Si quis vult post me venire* [2],

(*a*) Mt. XVI, 24. — (*b*) Mc. VIII, 34. — (*c*) L. IX, 23.

[1] Solos discipulos nominat S. Matthaeus; sed S. Marcus recenset turbam cum discipulis, et S. Lucas dicit verba Christi directa fuisse ad omnes: ex quo deducitur voluisse Dominum ut neminem prorsus lateret suum de cruce ferenda monitum, quod prius quidem solis duodecim patefecerat ([1]).

[2] Si quis vult mea sequi vestigia, meis virtutibus conformari, ad perfectionem pertingere, ad patriam caelestem post me intrare, faciat quod nunc praecipio. — Cum dicit Dominus: *Si quis vult,* aperte significat, nulli se vim inferre, nullum cogere, sed uniuscuiusque arbitrio id relinquere.

([1]) Matth., x, 38. Vide supra, Sect. cx, n. 5, p. 138.

abneget semetipsum [3], *et tollat crucem suam quotidie* [4], *et sequatur me* [5]. (*a*) *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, et Evangelium,* (*b*) *inveniet eam,* (*c*) *salvam faciet eam* [6]. *Quid enim proderit homini* (*d*) *si mundum universum lucretur,* (*e*) *se autem ipsum perdat,* (*f*) *et detrimentum animae suae faciat? Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua* [7]? *Qui enim me confusus fuerit, et verba mea, in generatione ista adultera et peccatrice: et Filius hominis confundetur eum:* (*g*) *qui me erubuerit et meos sermones,*

(*a*) Mc. VIII, 35. — (*b*) Mt. XVI, 25. — (*c*) Mc. VIII, 35. — (*d*) Mt. XVI, 26. — (*e*) L. IX, 25. — (*f*) Mc. VIII, 36-38. — (*g*) L. IX, 26.

[3] Propriae renuntiet voluntati, ubi haec divinae non consentiat, passionesque rationi subditas habeat, et Deo perfecte obtemperet: hoc autem est naturam peccato curruptam generose vincere, necnon exuere veterem hominem et induere novum.

[4] Tribulationes vitae aequanimiter ac viriliter perferat, ac seipsum per opera poenitentiae mortificet: et hoc quidem faciat quotidie, ut inculcat S. Lucas.

[5] Verba, *sequatur me,* accipi non debent pro mera Christi sequela, secus sensus hic tautologicus fieret: *Qui vult me sequi, me sequatur;* sed accipi debent per imitationem virtutum Christi, et quidem usque ad martyrium, si id requiratur, ne quis fidei contradicat ([1]). Hae sunt conditiones, ut quis Christi discipulus, secundum veritatem, appelletur.

[6] Qui voluerit animam suam ad veram felicitatem perducere, eam salubriter occidat, privatum amorem exstirpando, ac delectabilia huius vitae propter Christum spernendo; unde, qui id amore Christi fecerit, morti etiam corporali propter iustitiam se exponendo, animam in futuro saeculo salvam ac aeternaliter beatam habebit.

[7] His verbis rationem reddit Christus Dominus eorum quae superius dixerat, perdendam scilicet esse animam in hac vita, ut salvetur in futura, seu perdendum bonum temporale propter spirituale. Equidem corporis vita pretiosior est cunctis terrenis bonis; at animae vita aeterna longe nobilior est ac maioris pretii, qua amissa, omnia amittuntur. Ideo nil homini proficit, si totum mundum lucretur, animam vero neglexerit. — In graeco S. Matthaei et S. Marci, pro *commutatione* habetur ἀν-

([1]) Cf. Ibid., quaest. III, p. 140.

hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, et Patris, et sanctorum angelorum [8]. (*a*) *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera eius* [9]. (*b*) Et dicebat illis : (*c*) *Amen dico vobis : sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo* [10]; (*d*) *donec videant regnum Dei veniens in virtute ;* (*e*) *donec videant regnum Dei.*

(*a*) Mt. xvi, 27. — (*b*) Mc. viii, 39. — (*c*) Mt. xvi, 28. — (*d*) Mc. viii, 39. — (*e*) L. ix, 27.

τάλλαγμα, quod est *compensatio, pretium* aut *lytrum*.

[8] Asserit hic Christus necessitatem professionis fidei, et quidem, primo, in ipsum, prout est Deus et homo, humani generis, per passionem et mortem, Redemptor; secundo, in eius integram doctrinam : quae quidem professio facienda est, quoties id Dei honore requiratur; quod si quis verecundetur ea confiteri quae christianae sunt fidei, Christus vicissim, cum in die iudicii veniet in maiestate sua, Angelorum multitudine circumseptus, circa illum se per modum erubescentis habebit, eum abiiciendo, quasi verecundetur de ipso. — Pro verbo *confusus fuerit* S. Marci, et *erubuerit* S. Lucae, idem graecum verbum adhibetur, scilicet ἐπαισχύνομαι, *me pudet*. Latinus vero interpres S. Marci graecum verbum plus aequo ad litteram conatus est exprimere, dum latinum verbum *confundere* ad imitationem graeci, deponens fecit.

[9] Veniet Christus in gloria Patris, id est, in ea gloria quae est Patri et caeteris duabus personis propria, hoc est in gloria divinitatis, mediis Angelis quasi aulicis, iudicaturus vivos et mortuos atque unicuique redditurus iuxta eius vitae tenorem : hoc enim sibivult graeca phrasis, κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ. Quid autem redditurus sit, docet S. Paulus ([1]) : *Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum ; gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum.* — Notandum verba haec : *Tunc reddet,* a solo S. Matthaeo recitari.

[10] Haec ultima verba referri nequeunt ad Christi adventum in fine mundi, cum nullus ex ibi stantibus mortem non foret gustaturus; praeterea, de ultimo suo adventu modo locutus fuerat Dominus : unde loqui videtur de regno suo quod est Ecclesia ; sic ut praenuntiatum relinquat quosdam de ibi stantibus, propriis

([1]) Rom., ii, 9, 10.

visuros esse oculis Ecclesiae propagationem atque stabilem dilationem; et quidem, aut absolute, stando textibus S. Marci et S. Lucae, aut, stando textui S. Matthaei, in relatione ad illum eventum qui, iuxta hunc Evangelistam, coniungi solet cum adventu Filii hominis in fine mundi, nempe ad excidium urbis Hierosolymitanae, quod saltem S. Ioannes vidisse creditur. — Notandum, versiculum hunc, *Amen dico vobis,* etc., qui in Vulgata S. Marci ultimus est capitis octavi, in graeco textu eiusdem Evangelistae primum esse capitis noni.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum Christi verba:* SI QUIS VULT POST ME VENIRE, *etc., consilii sint, an praecepti?*

Resp. Verba ista praecepti sunt; unde ad ea non religiosi tantum, sed omnes christifideles obligantur: omnes quippe tenentur velle post Christum venire, semetipsos abnegare, crucem suam tollere et ita Christum sequi. Nullus quippe officio liberatur quotidianas pressuras et tribulationes patienter ferendi, pravis resistendi concupiscentiis, Dei voluntati, in superiorum iussionibus manifestatae, humiliter obtemperandi. Omnes ergo, sive sint religiosi, sive etiam saeculares, obligationi subduntur tendendi ad perfectionem; et sola differentia est, quod illi ad finem perfectionis obtinendum certae se regulae per votum obligant, quo fit ut firmior reddatur eorum voluntas, seu ut in statu acquirendae perfectionis firmiter stabiliantur (1).

II. — *Undenam desumpta est metaphorica locutio:* TOLLAT CRUCEM SUAM?

Resp. In hac locutione, videtur Dominus respectum habuisse ad crucis supplicium, quod, Romanis in Palaestina imperantibus, iam tunc vigebat, et discipulis sat notum erat, in quo cruciarius ipse crucem suam portare debebat: quo sane significatur, passiones nobis a Deo immissas, esse voluntarie ferendas. Videtur quoque Christus in hoc ad suam ipsius futuram passionem attendere voluisse, in qua suam ipse crucem portare voluit.

III. — *Utrum, in verbis:* SEQUATUR ME, *assignetur aliqua specialis conditio, ut quis post Christum vadat?*

Resp. Affirmative: quatenus, videlicet, significant haec verba,

(1) Cf. S. Thom., 2 2ae, Quaest. LXXXVI. art. 6.

imitetur me, eo sensu quo dixit Dominus noster ([1]): *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Nimirum, cum possit quis, mundano affectu, seipsum abnegare, imo et crucem tollere seu mala vitae huius perpeti, testatur Dominus, hoc minime sufficere, ut quis eius discipulus nominetur et sit, nisi hisce addat observantiam divinorum praeceptorum et imitationem sui exempli.

IV. — *Utrum verba ista:* SUNT DE HIC STANTIBUS, *etc., referri debeant ad transfigurationem aut resurrectionem Domini nostri?*

Resp. Licet plures quidem ita censuerint, hoc tamen non videtur probabile: nam, imprimis, transfiguratio post sex dies evenit, resurrectio vero post novem circiter menses: atqui modus loquendi Christi: *Sunt quidam de hic stantibus,* longius temporis spatium profecto innuit, intra quod plerique de ibi stantibus erant obituri. Praeterea, nec transfiguratio, nec resurrectio Christi tales eventus fuerunt, ut ipsis possit attribui appellativum *regnum Dei veniens in virtute,* cum de ratione regni sit ut sit aliquid permanens, omnibus visibile.

V. — *Utrum ex his Christi Domini verbis:* SUNT DE HIC STANTIBUS, *etc., inferre liceat S. Ioannem immunem fuisse a morte usque ad ultimum Christi adventum?*

Resp. Id quidem nonnulli ex discipulis intulerunt; quorum tamen sententiam S. Ioannes ipse refellit; qui, cum comperisset aliquos, ex his verbis, fuisse arbitratos illum mortis fato minime fore obnoxium, ait ([2]): *Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus: Non moritur; sed: Sic eum volo manere,* etc. ([3]).

([1]) Io., VIII, 12. — ([2]) Ibid., XXI, 23. — ([3]) Cf. infra, Sect. CCCLXII.

SECTIO CXXXVIII.

(Mt. XVII, 1-9; Mc. IX, 1-9; L. IX, 28-36).

Argumentum. — *Assumptis Iesu Petro, Iacobo et Ioanne, transfiguratur ante eos: apparent autem in maiestate Moyses et Elias; tum nubes lucida eos obumbrat, de qua vox exiens auditur:* Hic est Filius meus dilectus.

Ratio Sectionis. — Cum passionem suam modo praedixisset Iesus, iussissetque unumquemque crucem post se portare, nunc ad discipulos confortandos, quoddam velut praeludium exhibet illius gloriae, ad quam et ipse et sequaces sui per crucis efficaciam erant perventuri. — Porro, historiam hanc transfigurationis Domini tres Synoptici parallelo modo prosequuntur, et quidem immediate postquam illius verba retulerint, quibus testabatur discipulorum nonnullos minime morituros, antequam viderent Filium hominis venientem in regno suo, aut regnum Dei veniens in virtute. Loco quarti Evangelistae haberi hic potest S. Petrus, qui de facto illo in secunda Epistola accurate tractat *, licet dici etiam possit S. Ioannes illius mentionem fecisse, cum dixit: *Et vidimus gloriam eius,* etc. **. — Operae autem pretium est hic adnotare, quam leviter ratiocinentur, qui contendunt sancto Lucae aliorum duorum narrationem ob oculos fuisse cum scriberet: cum narrandi modus, illius proprius, a modo quem isti tenent notabiliter discedat.

(*a*) FACTUM est autem, post haec verba, fere dies octo, (*b*) (post dies sex) [1], (*c*) et assumpsit (*d*) Iesus Petrum, et Iacobum, et Ioannem fratrem eius [2], et ducit illos in montem excelsum seorsum (*e*) solos, (*f*) et ascendit in

(*a*) L. IX, 28. — (*b*) Mt. XVII, 1. — (*c*) L. IX, 28. — (*d*) Mt. XVII, 1. — (*e*) Mc. IX, 1. — (*f*) L. IX, 28-29.

[1] Pro eo quod ponit S. Lucas: *Fere dies octo,* S. Matthaeus et S. Marcus habent: *Dies sex:* in quo, ut patet, nulla est contradictio, tum quia adverbium *fere* diminutivum est, tum quia S. Lucas computavit diem antecedentis sermonis et diem quo Christus transfiguratus est: quos partiales dies alii duo Evangelistae praetermiserunt, solos dies medios accipientes.

[2] Seligit Christus illosmet discipulos, quibus cognomina imposuerat ([1]), quos resuscitationi filiae Iairi interesse voluit ([2]), quos

* I, 16-18. — ** Io., I, 14.

([1]) Io., I, 42; Marc., III, 16. 17. — ([2]) Marc., V, 37; Sect. LXVII, n. 5. Vol. I, p. 400.

montem ut oraret [3]. Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera [4]. (*a*) Et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol [5], (*b*) et vestimenta eius facta sunt (*c*) alba, (*d*) splendentia et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere [6]. (*e*) Et ecce

(*a*) Mt. XVII, 2. — (*b*) Mc. IX, 2. — (*c*) Mt. XVII, 2. — (*d*) Mc. IX, 2. (*e*) L. IX, 30-33.

etiam in Gethsemane secum assumpturus erat ([1]): scilicet Petrum, inter Apostolos ferventiorem; Ioannem discipulum praedilectum, et Iacobum, scilicet Maiorem, filium Zebedaei, qui, inter Apostolos, primus erat martyrium subditurus ([2]). Tres autem voluit Dominus esse testes suae transfigurationis, ut in ore plurium testium staret insignis huius miraculi veritas.

[3] Orationis fundendae gratia, Christum in montem conscendisse, solus S. Lucas commemorat. Igitur, ascendit Iesus in montem, ut oraret, nos facto ipso docens orationem consistere in elevatione mentis in Deum, qua hominis affectus a terrenarum rerum contagione separatur.

[4] Signanter notat Evangelista, orationis tempore, evenisse Domini transfigurationem, ex quo docemur, primo quidem, gloriam corporis a fruitione animae emanaturam; deinde, hunc esse proprium orationis fructum, hominem de terreno caelestem efficere; unde fervor atque devotio orationis dispositio est ad transfigurationem atque exstasim mentis.

[5] Non facies tantum Christi, sed tota eius sanctissima caro huiusmodi splendore circumfusa fuit, qui ex beata illius anima, per dispensationem divinitatis, usque ad corpus derivabatur. Deinde non genuflexus, sed stans transfiguratus est Dominus, ut eruitur ex hoc S. Lucae ([3]): *Evigilantes viderunt maiestatem eius, et duos viros qui stabant cum illo,* id est, pariter stantes.

[6] Dupliciter intelligi potest Christi vestimenta resplenduisse: vel ita quod in se realiter dealbata et clarificata fuerint, vel quod ex refulgentia eximiae claritatis corporis eius illa splendida apparuerint. — Figuravit autem claritas vestimentorum Christi gratiam et gloriam membrorum eius, quam illi sibi ex Christo capite communicatam habent; nam vestium nomine, iusti interdum significantur, iuxta illud ([4]): *Omnibus his velut ornamento vestieris.* Quae quidem gloria, in resurrectione, ad res usque materiales redundabit; propter quod Angelus, resurrectionis dominicae testis ac nuntius, in veste candida legitur apparuisse ([5]). — *Candida nimis*

([1]) Matth., XXVI, 37. — ([2]) Act., XII, 2. — ([3]) IX, 32. — ([4]) Is., XLIX, 18. — ([5]) Marc., XVI, 5.

duo viri loquebantur cum illo: erant autem Moyses et Elias, visi in maiestate [7]; et dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem [8]. Petrus vero, et qui cum illo erant, gravati erant somno. Et vigilantes viderunt maiestatem eius, et duos viros qui stabant cum illo [9]. Et factum est, cum discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum [10]: *Praeceptor*, (*a*) *Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus*

(*a*) Mt. XVII, 4.

velut nix, λευκὰ λίαν ὡς χιών: sic quidem apud S. Marcum: apud S. Matthaeum vero est, λευκὰ ὡς τὸ φῶς, *alba sicut lux*, cuius tamen loco Vulgata legit: *alba sicut nix*.

[7] Comites gloriosae suae transfigurationis adesse voluit Dominus, non solum apostolos novae et evangelicae Legis, sed etiam viros sanctos veteris Testamenti, ad insinuandum quod, sive ante Christi adventum, sive post, homines non salvantur, nisi per ipsum. Visi sunt autem Moyses et Elias *in maiestate*, id est, in magna claritate ac dignitate apparentes.

[8] Graece τὴν ἔξοδον, seu *exitum*, id est, mortem, quae est separatio animae a corpore. Dici etiam potest passio seu mors Christi excessus, quia in ea ostensus est excessus summae dilectionis et pietatis quam erga nos habuit, propter quam caritatem, summum pro nobis dolorem passus est ab excessiva Iudaeorum crudelitate in ipsum. Igitur, de Christi passione et morte, tanquam de profundissimo maximoque mysterio, praeclarissimi illi viri prophetice loquebantur cum Christo, gratias ei referentes, necnon pro mundi salute precando, ac de Iudaeorum impietate amare dolendo. — Notandum, id quod heic refertur, scilicet, *visi in maiestate*,... *dicebant*, etc., per quandam anticipationem narrari, cum mox dicantur discipuli, qui horum testes esse debebant, somno gravati.

[9] Perdurante Iesu prolixius in oratione, discipuli somno se dederant, sicut postea in Gethsemane evenit ([1]), licet non ob eamdem causam, quae tunc fuit *tristitia* ([2]); praeterea, non legitur Dominus hic eos monuisse ut orarent et vigilarent. Initium igitur transfigurationis non viderunt discipuli; unde, ex nimio fulgore Christi, necnon ex eius cum Moyse et Elia dulci sermocinatione, penitus expergefacti, videre coeperunt maiestatem Christi, et dulce eius colloquium audierunt.

[10] Quamdiu vidit Petrus Moysen et Eliam stantes cum Christo, huic solummodo visioni, et

([1]) Luc., XXII, 45. — ([2]) Ibid.

hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliae unum [11]. (*a*) Non enim sciebat quid diceret; erant enim timore exterriti [12]. (*b*) Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos [13]. (*c*) Et timuerunt, intrantibus illis in nu-

(*a*) Mc. IX, 5. — (*b*) Mt. XVII, 5. — (*c*) L. IX, 34-35.

rebus quas audiebat intentus erat; sed statim ac intellexit illos in eo esse ut discederent, tunc Christum reverenter et affectuose allocutus est.

[11] Ex his S. Petri verbis, licet inferre quanto afficeretur gaudio ex contemplatione glorificatae humanitatis Christi. Quod si tanta tunc fuit eius laetitia, quis enarrare poterit qualis sit futura beatorum exultatio, cum Deum facie ad faciem contemplabuntur? — Notandum, non absolute dixisse Petrum, *faciamus;* sed, cum plene deferret, ut decebat, voluntati Christi, addidit: *si vis*. Non autem sex, sed tria tantum optat fieri tabernacula, non dubitans quin ipse et socii sui in Christi tabernaculo reciperentur. — Loco nominis *Praeceptor,* Ἐπιστάτα, quod habet S. Lucas, S. Matthaeus ponit Κύριε, *Domine*, et S. Marcus Ῥαββεί, *Rabbi.*

[12] Non plene considerabat Petrus quae dicebat, timore magno, quo tenebatur, eius rationem ligante. Primo, non considerabat quod nisi Dominus pateretur, mundus salvari non poterat; deinde, non considerabat quod non in contemplatione claritatis humanitatis Christi, sed in visione faciali eius divinitatis quaerendus est finis noster ultimus; tertio, perperam tria quaerebat tabernacula, cum unum sit tabernaculum Evangelii, ait S. Hieronymus (1), in quo Lex et Prophetae recapitulanda sunt: quocirca dicendus est Petrus sensum verborum quae tunc proferebat non satis advertisse. Attamen, plenam huius mysterii intelligentiam postea recepit, cum scilicet id utilitate Ecclesiae requisitum fuit (2). Dici tamen potest, Petri propositionem revera adimpletam fuisse, scilicet in casu Domini nostri, cum per Sanctissimae Eucharistiae institutionem, eius tabernaculum, usque in finem mundi perduraturum, in terra fuit constitutum.

[13] Nubes ista angelico famulatu supernaturaliter formata vel directa fuit, cum declivius descenderit, quam soleant nubes a natura formatae. — Dubitatur autem quinam per *eos* intelligatur, Moysesne et Elias, an Petrus cum duobus aliis discipulis. Sunt qui, ob praecedentia verba: *Factum est, cum discederent ab illo,* scilicet Moyses et Elias, etc., putant nubem obumbrasse non Moysen

(1) Comment. in Matth., l. III, c. XVII. v. 4. — (2) Act., X, 15; XV, 10.

bem [14]; et vox facta est de nube, dicens: (*a*) *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite* [15]. (*b*) Et dum fieret vox, inventus est Iesus solus [16]. (*c*) Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde [17]. Et accessit Iesus, et tetigit eos, dixitque eis: *Surgite, et nolite timere* [18]. Levantes autem oculos suos, (*d*) et

(*a*) Mt. XVII, 5. — (*b*) L. IX, 36. — (*c*) Mt. XVII, 6-8. — (*d*) Mc. IX, 7.

et Eliam, qui iam discessissent, sed Apostolos, temperando eisdem splendorem Christi transfigurati ad hoc ut illum possent intueri. Ita sentit S. Augustinus (1). — At probabilius dicitur nubes obumbrasse Moysen et Eliam cum Christo, quatenus finem signaret clarificationis Christi et apparitionis comitum eius. Enimvero, cum Apostoli vocem audierint *de nube,* scilicet proficiscentem, planum est ipsos nube ipsa non involutos et obumbratos fuisse. Ex nube autem, maiestatem Dei facile agnoverunt: saepe enim in veteri Testamento nubes habebatur tanquam signum specialis praesentiae Dei, divinam quodammodo maiestatem designans, et declarans Deum ipsum esse qui loquitur (2).

[14] Timor ille, ortus ex visione insolita atque magnifica, gaudium non excludebat, quo afficiebantur ob gloriam dilecti magistri. — *Intrantibus illis,* iuxta modo dicta, referendum est ad Moysen et Eliam, minime vero ad ipsos Apostolos.

[15] Haec iam antea, scilicet in baptizatione Christi, protulerat Pater de dilecto suo Filio (3). Christus est Filius Patris, ei coequalis et consubstantialis, ab eo infinite dilectus ut Deus, ut homo vero, ab eodem dilectus, plus quam universitas creaturarum. Cum vero Christus sit via et veritas et vita, ius habet ut a nobis plene audiatur, auribus non corporis tantum, sed cordis, ita ut in omnibus ei obediamus.

[16] Per haec solemnia Patris verba, finis impositus est magnificae visioni. Porro, ubi Filius designatus est, servi iam discesserant, ne videlicet ad illos vox paterna putaretur facta. Iesus autem, deposita gloria transfigurationis, in priorem formam restitutus est.

[17] Sic olim prophetae frequenter corruisse leguntur, auditis divinae revelationis sermonibus (4).

[18] Iubet Iesus Apostolos inordi-

(1) L. de Consensu Evangelist., h. l. — (2) Cf. Exod., XVI, 10; XIX, 9, 16; 3 Reg., VIII, 10. Cf. etiam supra, Sect. II, n. 17, Vol. I, p. 16. — (3) Matth., III, 16, 17; Marc., I, 11; Luc., III, 22; Io., I, 32. Cf. 2 Pet., I, 16, 17. Vide supra, Sect. XIX, nn. 15, 16. Vol. I, p. 135. — (4) Is., XXI, 3; Ezech., II, 1; Dan., VIII, 17.

statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi Iesum tantum secum [19]. (*a*) Et descendentibus illis de monte, praecepit eius Iesus, (*b*) ne cuiquam, quae vidissent, narrarent: nisi cum Filius hominis a mortuis resurrexerit [20]. Et verbum continuerunt apud se, conquirentes quid esset: Cum a mortuis resurrexerit [21]. (*c*) Et ipsi tacuerunt, et nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quae viderant [22].

(*a*) Mt. XVII, 9. — (*b*) Mc. IX, 8-9. - (*c*) L. IX, 36.

natum pavorem deponere, eosque interius confortat, quemadmodum Daniel tactu angelico se confortatum fuisse testabatur ([1]).

[19] Transacta transfiguratione, pristinam formam ac figuram Iesus resumpsit. Cito autem transiit gloriosa haec Christi transfiguratio, ut detur intelligi brevia esse huius vitae gaudia, et solum in caelo ea esse fixa ac stabiliter permansura.

[20] Non solum humilitatis gratia, iubet Iesus occultari splendidam sui transfigurationem, sed tum propter futuram suam passionem, ne videlicet graviter scandalizarentur discipuli, si illum, quem tantopere exaltatum cognovissent, postea adeo deiectum visuri fuissent, tum maxime ne iidem discipuli, de regno temporali tenacius cogitantes, pro suis praeiudicatis opinionibus Iesum regem terrenum constituere tentarent ([2]). Cum autem gloria transfigurationis confirmata est gloria resurrectionis, tunc palam manifestatum est Christum propter nos esse passum et mortuum.

[21] Nondum conceperant Apostoli fidem de mysterio resurrectionis Domini, cum nondum intellexissent Christum debere pati et mori; nihilominus verbis dilecti Magistri perfecte obediverunt.

[22] Caute dicit S. Lucas, *in illis diebus,* cum miraculum istud divulgandum esset postea, non solum per tres synopticos Evangelistas, sed etiam per solemne testimonium principis Apostolorum.

QUAESTIONES.

I. — *Cur voluit Christus transfigurari ?*

Resp. Dominus noster voluit transfigurari, ut discipuli, contemplatione semper manentis gaudii ad breve tempus delibata,

([1]) Ibid., 18. — ([2]) Cf. Io., VI, 15. Sect. CXVII, n. 6, p. 171.

fortius adversa tolerarent (1). Sicut enim Christus, per suam passionem, pervenit ad gloriam corporis, ita discipulos suos, qui vestigia suae passionis fuerint secuti, nunc testatur se sibi in gloria configuraturum. Ut autem quis recte procedat in via, necesse est ut finem aliqualiter praecognoscat: sicut sagittator non recte iaciet sagittam, nisi prius signum perspexerit in quod iacienda sit; et hoc praecipue necessarium est, quando via est difficilis et aspera, et iter laboriosum, finis vero iucundus (2). — *Ut istam felicis constantiae fortitudinem toto Apostoli corde conciperent,* ait S. Leo (3), *et nihil de suscipiendae crucis asperitate trepidarent, ut de supplicio Christi non erubescerent, nec pudendam sibi eam patientiam crederent, quae sic subitura erat saevitiam passionis, ut non amitteret gloriam potestatis, assumpsit Iesus Petrum, et Iacobum, et Ioannem, et conscenso cum eis seorsum monte praecelso, claritatem illis suae gloriae demonstravit.*

II. — *Quare assumptio claritatis a Christo transfiguratio vocatur?*

Resp. Cum figura circa extremitatem corporis consideretur, hinc color et claritas, quae in superficie corporis non transparentis attenditur, ad figuram quodammodo pertinere videntur; quocirca mysterium illud, quo corpus Domini nostri de nativo colore ad supernaturalem claritatem transformatum est, congrue transfiguratio vocatur (4). Porro Christi corpus, per huiusmodi claritatem, revera transparens fuit (5); at, ad instar corporis non transparentis, ob vestimenta, apparuit.

III. — *Quisnam est mons ille in quo Dominus noster transfiguratus est?*

Resp. Silentibus Evangelistis huius montis nomen, aliquid certi statui non potest: probabilius tamen tenendum est, hunc fuisse non montem Libanum, ut aliqui censuerunt, sed Thabor, in Galilaea situm, non longe a mari Tiberiadis, prout communi traditione habetur, secundum quod Ecclesia in festo Transfigurationis canit (6): *Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt* (7). Ad hunc igitur montem, a castellis Caesareae Philippi, potuit Dominus cum discipulis, intra sex dierum spatium, facile pervenire. Media in planitie surgit mons ille, mira rotunditate sublimis: qua de causa excelsus valde apparet, licet sexcentum tantummodo circiter metris maris superficiei

(1) Ven. Beda, in h. l. — (2) S. Thom., 3, Quaest. XLV, art. 1. — (3) Serm. LI, n. 2. — (4) S. Thom., Ibid, ad 2m. — (5) Cf. tr. n. DE NOVISSIMIS, Quaest. VIII, art. 4, n. 5, p. 170. — (6) Ps. LXXXVIII, 13. — (7) Vide Euseb., in Ps. LXXXVIII, 13; S. Hieronym., Ep. XXVII, seu Epitaph. Paullae; et Ep. XVII ad Marcell.

emineat. Hunc montem S. Hieronymus (1) dicit a Septuaginta vocari *Itabyrion,* ea ratione qua Graeci hebraea nomina suo sermone declinant, ut quando pro *Edom* dicunt *Idumaeam.*

IV. -- *Utrum Christi transfiguratio fuerit miraculum?*

Resp. Affirmative: nam, claritas, quae ordinario processu, ex anima beata ad corpus usque debet derivari, ex speciali Dei dispensatione, in Christo ita fuerat cohibita, ut corpus relinqueret suis infirmitatibus obnoxium; unde sequitur, nonnisi ex speciali derogatione factum fuisse, ut in casu praesenti, et quidem, per modum passionis transeuntis, corpus Domini nostri luce gloriae donaretur. Unde, per miraculum assumpsit tunc dotem claritatis, sicut per miraculum assumpsit dotem subtilitatis quando invisibilem se Iudaeis praebuit (2), et dotem agilitatis quando super aquas solidis plantis incessit (3), et dotem impassibilitatis in quadragesimali ieiunio (4).

V. — *Quare Moyses et Elias specialiter electi sunt comites transfigurationis Domini?*

Resp. Hi prae ceteris cum Christo adfuerunt, *primo,* ut per Moysen vere defunctum, et Eliam nondum mortuum, ostenderetur Christus iudex ac Dominus vivorum et mortuorum. *Secundo,* propter specialem conformitatem eorumdem cum Christo: nam, sicut Moyses veteris, ita Christus novae Legis est collator; Elias vero secundum eius praecurret adventum (5). *Tertio,* ad designandum Christi perfectionem: per Moysen nempe, qui prae omnibus hominibus habitantibus super terram mansuetus fuit (6), et Eliam qui surrexit velut ignis, et maximus divini honoris ac legis exstitit aemulator (7), significatur quod Christus simul mitissimus atque iustissimus fuit, et in tantum zelatus est pro Patris honore, ut transgressores constantissime increparet, et propter Patris gloriam et hominum salutem vitam suam exponeret. *Quarto,* propter eminentiam dignitatis, ac miraculorum et sanctitatis Moysi et Eliae. *Quinto,* ut ostenderet Christus se non esse Legis solutorem, sed impletorem et prophetias in se verificari, ideoque falso contrarium ei a Iudaeis sibi fuisse impositum (8).

VI. — *Quomodo apparere potuit Moyses, cum iam mortuus esset?*

Resp. Dicunt nonnulli, Moysen apparuisse secundum simili-

(1) Comment. in Osee, L. I, cap. V. — (2) Io., VIII, 59. — (3) Matth., XIV, 29. — (4) Ibid., IV, 2. — (5) Malach., IV, 5. — (6) Num., XII, 3. — (7) Eccli., XLVIII, 1; 3 Reg., XIX, 10. — (8) Dion. Cartus.

tudinem, angelo scilicet illius formam assumente illumque repraesentante. Hoc autem merito communiter reiicitur; unde alii cum S. Hieronymo ponunt (1), illum divina virtute fuisse suscitatum a mortuis; at vero, potius retinendum est, cum S. Thoma, Moysen apparuisse in corpore miraculose assumpto et sibi adaptato, eo modo quo angeli corpora assumere possunt atque in eis opera vitae exercere. Elias autem existens in aliquo eminenti loco, ad quem in curru igneo, in corpore et anima, angelico ministerio, raptus est, quam cito ad locum, ubi erat Dominus, fuit adductus (2).

VII. — *Quomodo Apostoli agnoscere potuerunt Moysen et Eliam, quos antea non viderant?*

Resp. Illos agnoscere potuerunt, vel interna mentis illustratione, vel ex aliquo signo quo Moyses et Elias se ad eos convertentes, eis potuerunt innotescere, sicut Moysen cornuta facies prodere potuit, Eliam currus igneus. Dici etiam potest Christum, Apostolis audientibus, Moysen et Eliam nominatim allocutum fuisse, sicut solent amici convenientes se invicem ex nomine salutare, aut ipsos indicasse quinam essent.

VIII. — *Quaenam est relatio transfigurationis ad baptizationem Christi?*

Resp. Similis quidem appositio et testificatio facta est in Christi baptismo ac transfiguratione, aliter tamen et aliter. Enimvero, utrobique manifestata est Sanctissima Trinitas, videlicet: Pater, in voce, quae angelico ministerio creditur formata; Filius, in humanitate; Spiritus Sanctus, ibi quidem in specie columbae, hic autem in nube. Porro Spiritus Sanctus aliquando designatur per columbam, aliquando per nubem: scilicet, per columbam, simplicitas et innocentia significantur; per nubem vero spiritualis refrigeratio atque defensio ab igne concupiscentiae et tentationum fervore. Cum igitur Christus sit nobis causa gratiae in praesenti et gloriae in futuro, idcirco tum in eius baptismo, tum in eius transfiguratione, apparuit Trinitas: Pater quidem in eius baptismo testimonium protulit, quia eius baptismus fuit figura et causa nostrae regenerationis, qua in praesenti renascimur, gratiam acquirendo; similiter, testificatus est in eius transfiguratione, quae figura fuit nostrae glorificationis in futuro. Unde, per nubem lucidam hic apparentem, intelligi potest claritas visionis divinae, qua electi ab omni adversitate proteguntur, iuxta illud (3): *Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus aestus* (4).

(1) Comment. in S. Matth., c. XVII, v. 3. — (2) Cf. S. Thom., 3, Quaest. XLV, art. 3, ad 3m. — (3) Apoc., VII, 16. — (4) Cf. Is., XLIX, 10. Dion. Cartus., in h. l.

IX. — *Utrum transfiguratio locum habuerit in die, vel in nocte ?*

Resp. Probabiliter dici potest locum habuisse in nocte, tum quia noctis tempus opportunius videtur fulgori transfigurationis manifestando, quam dies ; tum quia legimus discipulos, Magistro orante, gravatos fuisse somno. Quapropter, quod scribit S. Lucas (1), sequenti die eos de monte descendisse, accipi potest, mane alterius diei.

(1) IX, 37. Sect. CXL.

SECTIO CXXXIX.

(Mt. XVII, 10-13; Mc. IX, 10-12).

Argumentum. — *Sciscitantibus tribus Apostolis de Eliae adventu, qualis futurus esset, eos edocet Magister divinus, Eliam quidem multa passurum esse, eumque figuram iam extitisse Praecursoris Ioannis Baptistae.*

Ratio Sectionis. — Eliae apparitio cum Christo in monte occasionem dedit tribus Apostolis praesens dubium proponendi, quod Dominus consueta benignitate solvit. Res a duobus tantum Evangelistis, Matthaeo et Marco narratur, S. Luca de hoc colloquio omnino silente, forsan quia pro gentilibus scribebat, apud quos non tam profunda inerat de Eliae futuro adventu persuasio.

(*a*) Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes: *Quid ergo* (*b*) *dicunt Pharisaei et Scribae, quia Eliam oportet venire primum* [1]? Qui respondens, ait illis: (*c*) *Elias quidem venturus est; et* (*d*) *cum venerit primo, restituet omnia* [2]: *et*

(*a*) Mt. XVII, 10. — (*b*) Mc. IX, 10-11. — (*c*) Mt. XVII, 11. — (*d*) Mc. IX, 11.

[1] Planum est interrogationem hanc a solis tribus supradictis Apostolis, Petro scilicet, Iacobo et Ioanne, factam fuisse: quandoquidem, eventum hunc illi nemini patefecerunt ante Christi resurrectionem; unde dici potest, colloquium hoc locum habuisse, cum illi de monte descenderent. — Notandum, in graeco tum S. Matthaei, tum S. Marci, solos scribas, γραμματεῖς, nominari. — Notandum ulterius, discipulos non Scripturam citare, in qua forsan non satis erant exercitati, sed tantummodo quae didicerant, ex traditione scribarum referre.

[2] Certe hic non loquitur Salvator de S. Ioanne Baptista, scilicet de Elia in spiritu, sed de vera persona prophetae Eliae, qui secundum Christi adventum praeveniet, quemadmodum de eo praedicitur in Malachia ([1]): *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum.* — *Restituet omnia,* ἀποκαθιστάνει, id est, minister erit,

([1]) IV, 5, 6.

quomodo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur et contemnatur [3]. (*a*) *Dico autem vobis, quia Elias iam venit, et cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quaecumque voluerunt* [4], (*b*) *sicut scriptum est de eo* [5]. (*c*) *Sic et Filius hominis passurus est ab eis* [6]. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis [7].

(*a*) Mt. XVII, 12. — (*b*) Mc. IX, 12. — (*c*) Mt. XVII, 12-13.

seu auctor instrumentalis restitutionis synagogae ad Ecclesiam, seu sanabit magnam illam Iudaeorum apostasiam, quod erit in fine temporum, ut testatur S. Paulus ([1]): *Caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret. — Primo,* in graeco est πρῶτον, sicut supra ([2]), et refertur ad ultimum adventum Christi, qui videlicet praecedi debebit praedicatione Eliae.

[3] Sicut oportuit Christum multa pati et a suis contemni ac vilipendi, ita multa patietur Elias, et contumeliose tractabitur. Ex hoc quidem facile deducere potuerunt Apostoli, nondum venisse Eliam Thesbiten eo modo quo illum necesse est venire ante secundum Christi adventum, cum talis adventus debeat esse in dolore et ignominia, ad imitationem ipsius Christi patientis.

[4] Ex ipsa Eliae persona transit nunc Dominus ad eum cuius ille extitit figura, scilicet ad Ioannem Baptistam, quem alibi Christus ipse testatus est fuisse Eliam ([3]); *Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est.* Igitur, quemadmodum primum Christi adventum, qui fuit in humilitate, praeparavit Ioannes Baptista, qui fuit Elias in spiritu et virtute: ita secundum illius adventum, qui erit in maiestate, praeparabit ipsemet Elias, qui tamen male tractabitur, non secus ac Ioannes.

[5] Locus cui hic alluditur est ex Isaia ([4]): *Despectum et novissimum virorum,* etc.; quae quidem prophetae verba, de Christo in sensu primario intellecta, in sensu secundario ad illius praecursores rite referuntur dicta.

[6] Eadem quippe sors erit servorum et domini. Unde sicut Elias, licet visus *in maiestate* ([5]), multa pati debet, ita etiam Christus, licet fuerit transfiguratus: nimirum, Baptistae mors tanquam praesagium ac prooemium quoddam mortis Christi extitit.

[7] Intellexerunt tres praedicti discipuli Ioannem Baptistam a Domino dictum fuisse Eliam propter similitudinem proprietatum, non propter unitatem personae. Et quidem, haec Christi ad eos sermocinatio huc ordinabatur, ut contra scandalum Crucis eius opportune praemunirentur.

([1]) Rom., XI, 25, 26. — ([2]) Marc., IX, 10. — ([3]) Matth., XI, 14. Sect. LXXVIII, n. 11. Vol. I, p. 455. — ([4]) LIII, 3, 4. — ([5]) Luc., IX, 31.

QUAESTIONES.

I. — *Undenam enata est Apostolorum de Elia interrogatio?*

Resp. Cum Apostoli, ex doctrina scribarum, seu legis doctorum, accepissent Eliam, ante diem Domini, venturum fore, duplicem autem diem Domini distinguerent, primum scilicet, adventum Messiae ad regnum suum in terra constabiliendum, alterum iudicii diem ante finem saeculi; hinc ex viso in monte Elia, et ex eiusdem dispositione, multiplex, in eorum mente, dubium oriebatur. — Primo quidem dici potest, docuisse scribas et pharisaeos Messiam nondum advenisse, cum eius adventus praecedi deberet adventu Eliae: unde cum ipsi tres Apostoli Eliam vidissent, et sic confirmati fuissent in sua fide de adventu Christi tanquam Messia promisso, non bene intelligere poterant cur Elias sic repentine disparuisset, quin de eius adventu ipsimet sermonem possent instituere: unde dubitabant utrum adhuc venturus foret, scilicet ante Christi glorificationem in resurrectione, de qua Christus ipse verba eis modo fecerat. — Secundo, agendo de ultimo Christi adventu, ante diem iudicii, iterum dubitatio in mente Apostolorum enascebatur, qualiter haec scribarum assertio verificari posset, cum Elias iam venisset et disparuisset.

II. — *Qua ratione dicitur Elias restituturus omnia?*

Resp. Dicitur Elias restituturus omnia, quatenus ad eius praedicationem convertendus sit populus iudaicus, cui ille patefaciet verum sensum prophetiarum messianicarum, in Iesu Christo eiusque Ecclesia adimpletarum, ostendens quomodo necessarium foret, ut ille pateretur et contemneretur, atque fieret opprobrium hominum et abiectio plebis.

III. — *Cur Dominus noster, de persona Eliae interrogatus, transivit ad loquendum de persona Ioannis Baptistae?*

Resp. Ob similitudinem unius ad alterum, et quia in prophetia Malachiae, ubi de Eliae adventu sermo est (1), introducitur etiam prophetia de adventu Praecursoris (2): unde et unus dici potest fuisse figura alterius.

IV. — *Quo pacto dici potest Elias figura Ioannis Baptistae, cum necatus non fuerit?*

Resp. Etsi Elias necatus minime fuerit, similitudinem tamen

(1) IV, 5, 6. — (2) III, 1.

cum Ioanne habet in eo quod, sicut ille, pro Dei lege in odium et offensionem furentis feminae incurrit, ab ea male tractatus necnon ad necem quaesitus fuit (1). Ceterum, et ipse in fine mundi martyr occumbet (2).

V. — *Utrum sententiae de futuro Eliae adventu refragari liceat?*

Resp. Negative cum iste adventus in Scripturis aperte significetur (3), et in Apocalypsi expresse scribatur (4): *Et dabo duobus testibus meis* (Henoch et Eliae), *et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta... Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum.* Ceterum, dicentes per venturum Eliam, non alium quam Ioannem Baptistam fuisse significatum, facile refelluntur, hac animadversione, primo, quod Baptista non omnia restituit, quemadmodum hic de Elia Christus vaticinatur; secundo, quod Baptista minime praecessit horribili diei Domini, prout de Elia praedicitur (5). Igitur, Eliae opus erit, ante ultimum diem, Iudaeos Christo lucrifacere, medium parietem populos segregantem deiicere (6), atque efficere ut fiat unum ovile et unus pastor (7), ut sic Iesu Christi regnum absolutissime restituatur.

(1) 3 Reg., XIX, 1, seq. — (2) Cf. tr. n. DE NOVISSIMIS, Quaest. VI, art. 5, n. 3, seq. — (3) Eccli., XLVIII, 10; Malach., IV, 5. — (4) XI, 3. — (5) Malach., l. cit. — (6) Eph., II, 14, 15. — (7) Io., X, 16.

SECTIO CXL.

(Mt. XVII, 14-17; Mc. IX, 13-26; L. IX, 37-44).

Argumentum. — *Cum descendisset Iesus de monte, ad eum accedit homo, petens ut filio suo lunatico, qui surdus et mutus erat, et quem curare non potuerant Apostoli, sanitatem restituat; cui petitioni benignus occurrens Iesus, illum perfecte sanat.*

Ratio Sectionis. — Praesentis historiae tempus a S. Luca accurate describitur, cum dicat hoc evenisse die transfigurationem subsequente. Conveniunt tres priores Evangelistae in substantia facti, at circumstantias uberius refert S. Marcus. Vulgata S. Matthaei non omnino parallela est cum textu graeco, in quo versiculus decimus quartus in duos dividitur. Similiter, cum, apud S. Marcum, ultimus versiculus capitis octavi Vulgatae, in graeco, sequenti capiti nono coniungatur, hinc versiculi graeci textus altiorem numerum praeseferunt, ita ut primus Vulgatae sit secundus in graeco, et ita porro.

(*a*) FACTUM est autem, in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa [1]. (*b*) Et cum venisset (*c*) ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, et Scribas conquirentes cum illis [2]. Et confestim omnis

(*a*) L. IX, 37. — (*b*) Mt. XVII, 14. — (*c*) Mc. IX, 13-15.

[1] Ceteri discipuli, quos Dominus in planitie reliquerat, eius reditum cum turbis praestolabantur. Postquam igitur Christus cum tribus Apostolis in monte, ut inferre licet, pernoctaverat, ad suos mane reversus est, fraternae caritatis opera adimpleturus.

[2] Qualis foret causa altercationis scribarum cum discipulis Domini, Scriptura non dicit; at probabiliter inferri potest, ex adiunctis, eam fuisse vanum discipulorum conamen in eiiciendo daemonio, quo lunaticus torquebatur: scribis videlicet Christo calumniantibus, quasi eius discipuli huic operi impares forent, praecise eo quod Christum sequerentur, et veterem calumniam instaurantibus, eum, si quando id fecisset, in Beelzebub daemonium eiicere ([1]). — In pluribus graecis codicibus S. Marci, ubi in Vulgata singulariter ponitur, *et veniens ad discipulos suos,* numerus pluralis ponitur: καὶ ἐλθόντες, *et venientes,* etc.

([1]) Sect. XC, n. 6. p. 42. Sect. CVIII, n. 15. p. 130.

populus videns Iesum, stupefactus est, et expaverunt [3]: et accurrentes salutabant eum [4]. Et interrogavit eos: *Quid inter vos conquiritis* [5]? (*a*) Et ecce, (*b*) respondens unus de turba, (*c*) accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum, (*d*) exclamavit, dicens [6]: (*e*) *Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum,* (*f*) *obsecro te, re-*

(*a*) L. IX, 38. — (*b*) Mc. IX, 16. — (*c*) Mt. XVII, 14. — (*d*) L. IX, 38. — (*e*) Mc. IX, 16. — (*f*) L. IX, 38.

[3] Dici potest stupor iste et pavor ortus ex inopinato Christi adventu, quem videbant tam opportune adesse: unde hinc quidem sperare poterant fore ut Christus ipse compleret quod discipuli facere nequiverant, illinc vero timebant ne Christus procaces scribas severe puniret. — Notandum, pro *stupefactus est* et *expaverunt,* unum tantum verbum in graeco haberi, ἐξεθαμβήθησαν, *obstupuerunt;* quo tamen verbo exprimi etiam sensum timoris et pavoris, ex aliis locis S. Marci colligitur ([2]).

[4] Argumentum hic habetur reverentiae simul et amoris turbarum erga dilectum Magistrum. Attamen gaudium hoc et reverentiae signa fuerunt tantummodo ex parte turbarum, non scribarum, ut patet ex hoc quod immediate antea turba et scribae separatim nominantur.

[5] En quomodo Christus se primo insinuat, more hominum interrogans, etsi probe sciret quid actum fuerat: interrogavit autem, ut et occasionem miraculum patrandi suscitaret, et dilectos discipulos a scribarum vexatione liberaret, ne videlicet eorum confessio in opprobrium Evangelii vergeret. — Per *eos,* non sunt intelligendi scribae, ut colligunt nonnulli ex aliquibus codicibus graecis, ubi legitur ἐπηρώτησεν τοὺς γραμματεῖς, sed intelligi debet turba: nam naturale est Christum interrogasse turbam sibi occurrentem. — *Inter vos,* graece est πρὸς αὐτούς, *ad eos,* vel *cum eis,* id est, cum discipulis: nimirum, interrogat Chistus turbam, quare cum discipulis disceptarent.

[6] Naturale erat ut ille unus, in respondendo, omnes praecederet, qui ansam disceptationi dederat, pater scilicet infirmi: qui quidem suae humilitatis simul et ardoris sensum pandit: humilitatis, cum in genua ante Dominum pronus procidit; ardoris, cum clamorem pio de pectore edidit. — Non est ergo cum quibusdam scriptoribus dicendum, neminem ausum fuisse respondere: non discipulos, propter pudorem de sua impotentia; non scribas, de sua mala intentione

([1]) XIV, 33; XVI, 5, 6.

spice in filium meum, quia unicus est mihi [7]. (*a*) *Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, et male patitur* [8]: *nam saepe cadit in ignem, et crebro in aquam;* (*b*) *et ecce spiritus apprehendit eum; et subito clamat, et elidit. et dissipat eum cum spuma,* (*c*) *et stridet dentibus, et arescit:* (*d*) *et vix iscedit dilanians eum* [9]. (*e*) *Et obtuli eum discipulis tuis,* (*f*) *et rogavi* (*g*) *ut eiicerent illum,* (*h*) *et non potuerunt curare eum* [10]. Respondens autem Iesus, ait: *O generatio incredula et perversa, quousque ero vobiscum? usquequo patiar vos* [11]? *Af-*

(*a*) Mt. XVII, 14. — (*b*) L. IX, 39. — (*c*) Mc. IX, 17. — (*d*) L. IX, 39. — (*e*) Mt. XVII, 15. — (*f*) L. IX, 40. — (*g*) Mc. IX, 17. — (*h*) Mt. XVII, 15-16.

conscios: respondit ille cuius causa agebatur.

[7] Quod dicit, *attuli,* referendum est ad intentionem, qua domo exiens movebatur: scilicet, ad Iesum, ubicumque demum ille esset, accedere volebat. — Porro, per huiusmodi obsecrationem, quae est dignissima species orationis, eximia illius hominis fides se prodidit, cum etiam confessus sit adspectum Christi fore filio suo salvificum. Nec praetermisit advertere, alterius se prolis solatio et adiutorio carere.

[8] Non solum lunaticus erat miser iste puer, id est, comitiali morbo laborans, sed etiam mutus, ἄλαλος, necnon surdus, ut infra dicetur ([1]), defectu illo daemone pravo abutente, ad illum dire cruciandum. Dicitur autem lunaticus, qui tali aegritudine afficitur, quae occulto quodam lunae, aut crescentis, aut decrescentis influxu recrudescit, ut est morbus comitialis aut epilepsia ([2]).

[9] En effectus obsessionis diabolicae: non solum puerum illum daemon fecerat surdum et mutum, sed etiam corporaliter multis modis torquere solebat: modo in ignem aut aquam illum proiiciens, modo clamores inarticulatos per eum edens, modo illum elidens et contorquens, atque varios in eo casus excitans: sic frendebat dentibus, spumas ore vomebat, totus tabe consumebatur.

[10] Absentibus tribus Apostolis cum Iesu in monte, homo ille non omnes, sed novem tantum reliquos rogasse dicendus erit: curatio vero minime secuta est ob incredulitatem tum rogantis, tum ipsorum rogatorum, ut ex decursu historiae patescit.

[11] Non ex impatientia, indignatione aut taedio, profert Iesus verba ista, sed ex affectu et zelo

([1]) Matth., IX, 24. — ([2]) Cf. supra, Sect. XLIV, quaest. V, p. 280.

ferte huc illum ad me: (*a*) *adduc huc filium tuum* [12]. (*b*) Et attulerunt eum. (*c*) Et cum accederet, (*d*) et cum vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum, (*e*) et dissipavit, (*f*) et elisus in terram, volutabatur spumans [13]. Et interrogavit patrem eius: *Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit?* At ille ait: *Ab infantia* [14]; *et frequenter eum in ignem et in aquas misit ut eum perderet: sed si quid potes, adiuva nos, misertus nostri* [15]. Iesus autem ait illi: *Si potes credere,*

(*a*) L. IX, 41. — (*b*) Mc. IX, 19. — (*c*) L. IX, 42. — (*d*) Mc. IX. 19. — (*e*) L. IX, 42. — (*f*) Mc. IX, 19-26.

iustitiae, dolens de illorum infidelitate: qui cum tanta suae potentiae documenta vidissent, adhuc tamen tam imperfecti in fide manebant. — Apud S. Matthaeum, absolute legitur: *Respondens autem Iesus;* apud S. Marcum vero: *Qui respondens eis,* αὐτοῖς, non *ei,* αὐτῷ, ut in paucis graecis codicibus habetur.

[12] Nunc ostendit Dominus mansuetudinem et longanimitatem suam, demonstrans se non homini, sed vitio iratum fuisse. Potuisset autem Iesus puerum absentem sanare; at iubet illum adduci ad se, ut miraculum magis divulgetur.

[13] Permisit Christus daemoni tantam crudelitatem in puerum exercere, ut hostis generis humani malignitas magis eluceret et clarius pateret magnitudo miraculi; pariter, ut innueret tunc fortius homines a diabolo tentari, cum eos cernit velle vitam corrigere. — Verba, *cum vidisset* referri debent ad subsequens nomen, *spiritus,* πνεῦμα, constructione ad sensum adhibita. — *Dissipavit,* συνεσπάραξεν, id est, *discerpsit.*

[14] Clarum ex hoc desumitur argumentum, nec daemonum obsessiones, nec morbos, semper esse sequelam peccati actualis, cum in hoc puero mala ista ab infantia, cum scilicet nondum posset peccare, obvenerint. Sic de caeco nato ait Salvator, quod neque ipse peccavit ([1]). Attamen, cum omnia ordini divinae providentiae subdantur, hic nonnunquam inveniuntur homines pro peccato protoparentum puniri. Illae igitur infirmitates interdum a Deo iuste permittuntur, ut ostendatur humanam naturam fuisse vulneratam et gratia Dei indigere.

[15] Fides et spes huius viri adhuc imperfectae erant: non enim agnoscebat Christum omnia posse, sed dubitanter loquebatur; non tamen diffidebat. — *Quid,* τι, per modum adverbii hic ponitur, scilicet, *si forte potes.*

([1]) Io., IX, 3.

omnia possibilia sunt credenti [16]. Et continuo exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat: *Credo, Domine; adiuva incredulitatem meam* [17]. Et cum videret Iesus concurrentem turbam [18], comminatus est spiritui immundo, dicens illi: *Surde et mute spiritus* [19], *ego praecipio tibi, exi ab eo: et amplius ne introeas in eum* [20]. Et exclamans, et multum discerpens eum, exiit ab eo, et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent: *Quia mortuus est* [21]. Iesus autem tenens manum eius, elevavit eum, et surrexit, (*a*) et curatus est puer ex illa hora; (*b*) et reddidit il-

(*a*) Mt. XVII, 17. — (*b*) L. IX, 43-44.

[16] Qui firma et stabili fide postulat, nihil haesitans ([1]), omnia a Deo fidenter potest exspectare. Equidem, etiam sine hominum fide, posset Christus miracula facere; at ordinaria lege, ea non impendit, nisi praevia petentium fide. Fides enim primo datur, ut quoddam beneficiorum initium existat. — Advertendum, fidem hic proprie non sumi pro fiducia, qua quis firmiter exspectet se exaudiendum in omnibus quae postulat, sed pro fide promissionis secundum illud ([2]): *Petite et dabitur vobis:* etsi fidem hanc comitetur fiducia impetrandi quod petitur. — Pro, *si potes credere,* graece est, τό εἰ δύνῃ, *si hoc potes,* subaudito, *credere.*

[17] Id est, adiuva me incredulum, vel suppetias fer meae fidei infirmae, illius defectum tuae potentiae bonitate supplendo. Mirus in hoc homine fidei profectus, qui prius dubitabat an corporalem morbum Christus posset pellere, nunc eum exorat, tanquam excellentem animae medicum, qui suae subveniat infidelitati, quod profecto solius Dei est. Merito igitur fidei paternae sanitas filio mox reddenda erat.

[18] Omnia ita ordinat Dominus, ut manifestius fiat miraculum, quo plures ad eius fidem possint adduci.

[19] Ex hoc clare eruitur lunaticum illum fuisse simul surdum et mutum. Dicitur autem spiritus surdus et mutus ab effectu, quia videlicet puerum illum auditu et loquela privaverat.

[20] His verbis clare significat Dominus, propria se auctoritate miracula facere et daemonem eiicere, cui etiam prohibet ne unquam in iuvenem illum revertatur.

[21] Hisce daemonis vexationibus intelligi datur, quam aegre eos, quos semel possederit, spiritus ille nequam deserat. — *Exclamans,* id est ferocem inar-

([1]) Iac., I, 6. — ([2]) Matth., VII, 7.

lum patri suo [22]. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei [23].

ticulatae vocis rugitum edens; *discerpens,* σπαράξας, id est, postquam eum distorserat et convulserat.

[22] Christi iussioni omnes obedire coguntur: eiecto autem daemone, tolluntur mali effectus, vel quibus ille abutebatur, vel qui ab eo superinducti fuerant: scilicet tolluntur surditas et mutitas atque magna corporis et animi agitatio. Attendendus hic est modus agendi Christi diversus a modo agendi daemonis: hic nempe concitate, violenter, crudeliter; Christus vero quiete, dulciter et cum summa dignitate procedit.

[23] Ex huius miraculi consideratione, homines inducti sunt in admirationem atque venerationem auctoris illius. — Mirandum non est si summus pictor, Raphael Urbinas, opportune duxerit ingenii sui acumen exercere in hoc eventu coloribus pingendo, quod mira arte perfecit.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum populi stupor provenerit ex speciali maiestatis fulgore in Christi vultu resplendente?*

Resp. Id minime probabile videtur: cum enim Iesus formaliter discipulis praecepisset, ne quidquam de transfiguratione loquerentur, si insolito splendore circumfusus apparuisset, ipsum transfigurationis secretum aut ipsemet prodidisset, aut reliquos Apostolos quasi invitasset, ut ex tribus suis collegis huiusmodi fulgoris causam sciscitarentur.

II. — *Quare noluit Deus ut discipuli lunaticum illum liberarent?*

Resp. Ut ipsi suam infirmitatem melius dignoscerent, et ut de incredulitate redarguti, ad perfectionem fidei proficerent. At benignissimus Dominus eisdem mox adfuit, eos a scribarum vexatione defensurus.

III. — *Utrum morbus omnis illius lunatici processerit a daemone?*

Resp. Probabilius dicendum videtur, morbum quidem a natura primo iuveni illi obvenisse, ita tamen ut eodem morbo daemon abuteretur ad eum magis divexandum, additis et mutitate et surditate: enimvero, efficacius et uberius malignam suam actionem diabolus in languido corpore exercet.

IV. — *Utrum verba haec:* O GENERATIO INCREDULA, *etc., dixerit Christus discipulis, an turbis?*

Resp. Ea dixit quidem turbis, et maxime scribis, qui ex eo quod discipuli lunaticum illum curare non potuerant, ansam acceperant persuadendi turbis, Christum non illum esse, quem ipsemet se faciebat; turbae autem seductae, ac miraculorum Christi oblitae, eis ultro credentes, fidem Iesu detractabant. Attamen, discipulos quoque in hac reprehensione comprehensos, et quidem potiori iure, fuisse, ex subsequentibus patet (1), cum ipsis non tanta esset fides, quantam habere debuissent, attenta potissime amplissima potestate eis collata super omnia daemonia (2): porro, discipuli non tam clare intellexerunt se hac reprehensione comprehensos fuisse, ut patet ex eorum posteriori interrogatione (3): *Quare nos non potuimus eiicere eum?*

V. — *Utrum, per hoc quod dixit Christus:* QUOUSQUE ERO VOBISCUM, *significaverit se mortem optare?*

Resp. Hoc quidem posuerunt nonnulli, dicentes Christum, comperta scribarum, turbarumque, et maxime discipulorum incredulitate, mortem sibi optasse: at, perperam hoc dicitur: nam, imprimis, verba haec talem sensum non necessario secumferunt; deinde, non videtur talis affectus decere Christum, cui aliunde incredulitas illa ab initio comperta erat. Sensus igitur est, Dominum de illorum fidei tarditate fuisse conquestum; quo modo medicus, si cernat aegrotum suis iussis non parentem et aliud facientem ab eo quod praeceperat, illum acriter redarguit: *Quousque industriam meam in te perdam? Quousque te patiar?* etc.

VI. — *Voluitne revera daemon perdere, vel occidere puerum illum?*

Resp. Id quidem, ex daemonis gestis, inferre potuit pater pueri: at potius tenendum videtur maluisse daemonem in puero habitare et illum vexare, quod ei res gratissima est, quam, illo occiso, voluptate eum torquendi se privare.

VII. — *Quodnam hominum genus, per lunaticum illum, moraliter intelligendum est?*

Resp. Per obsessum lunaticum, qui surdus ac mutus extitit, intelligitur omnis peccator insignis: qui lunae instar mutatur et in vitiis nunc crescit, modo decrescit; qui surdus est corde, ne audiat eos qui illum de sua salute admonent, et mutus, ne Deum devote laudet, salubriter confiteatur, et instanter oret. Talem peccatorem

(1) Matth., XVII, 19. — (2) Luc., IX, 1. — (3) Sect. seq.

apprehendit diabolus, eum ad peccati dilectionem atque consensum inducendo; eum quoque facit clamare, per intentum peccandi affectum, per murmurationem, praesumptionem et impiorum verborum garrulationem. Illum etiam elidit, in diversa vitia praecipitando; dissipat, per inordinatarum affectionum malarumque cogitationum corruptionem; stridere facit, per iram, impatientiam, et rancorem; spumare, per luxuriam; aridum efficit, per indevotionem, bonorumque operum omissionem; vix discedit, tenendo peccatorem in consuetudine vitiosa; dilaniat quoque, naturalia vulnerando, seu vires inficiendo, et illum ad bonum undequaque infirmum reddendo (1).

(1) Dion. Cartus., in h. l.

SECTIO CXLI.

(Mt. XVII, 18-20; Mc. IX, 27-28; L. XVII, 5-6).

Argumentum. — *Docet Christus Dominus Apostolos, quanta sit, pro patrandis miraculis, fidei efficacia; ad exorcismos autem insinuat necessaria esse orationem et ieiunium.*

Ratio Sectionis. — Prosequuntur S. Matthaeus et S. Marcus narrationis ordinem, referentes discipulorum secretam interrogationem et Christi de fidei praestantia commendationem. Quae autem hac de re profert S. Lucas, ex alio loco eruuntur, scilicet ex capite decimo septimo *: qua quidem transpositio eo potest explicari quod, ut habent insignes expositores, S. Lucas plura in illo capite, licet forsan disparata, collegerit, inter quae sunt duo citati versus. Sane, quod S. Matthaeus et S. Lucas conveniant in referenda similitudine grani sinapis, argumento est, illos de eadem re agere, licet dici etiam possit Dominus idem bis protulisse, ut pluries fecit, cum de re magni momenti ageretur.

(*a*) ET cum introisset in domum, (*b*) tunc accesserunt discipuli ad Iesum secreto, et (*c*) interrogabant eum: *Quare nos non potuimus eiicere eum* [1] ? Et (*d*) dixit illis Iesus: *Propter incredulitatem vestram* [2]. (*e*) Et dixerunt Apostoli

(*a*) Mc. IX, 27. — (*b*) Mt. XVII, 18. — (*c*) Mc. IX, 27-28. — (*d*) Mt. XVII, 19. — (*e*) L. XVII, 5-6.

[1] Cum Apostoli se impares probassent eiiciendo daemonio ab illo lunatico, veriti ne, ob aliquod suum peccatum, potestas, quam antea cum fructu exercuerant, sibi a Magistro fuisset erepta, exspectaverunt de industria donec illum domi solum accersere possent, ab eo humiliter sciscitaturi causam insufficientiae exorcismorum, quos in energumenum illum facere frustra tentaverant.

[2] Non est sensus, Apostolos amisisse fidem; sed sensus est, non eum fuisse in eis fidei ardorem, quali decebat informari ministros a se tam singulariter electos, et qualis requirebatur ad daemones fugandos. — Notandum hic, noluisse Dominum Apostolos de infidelitate coram omnibus signanter redarguere, etsi ad eos quoque pertinebat reprehensio ab eo turbis superius data ([1]): ut autem eorum profectui consulat, eos nunc

* Vers. 5-6.

([1]) Sect. praec., Quaest. IV, p. 295.

Domino : *Adauge nobis fidem* [3]. Dixit autem Dominus : (*a*) *Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis* [4], (*b*) *dicetis huic arbori moro : Eradicare, et transplantare in mare ; et obediet vobis* [5] : (*c*) *dicetis monti huic : Transi hinc illuc, et transibit ; et nihil impossibile erit vobis* [6].

(*a*) Mt. XVII, 19. — (*b*) L. XVII, 6. — (*c*) Mt. XVII, 19-20.

privatim redarguit. — *Propter incredulitatem vestram,* διὰ τὴν ὀλιγοπιστίαν ὑμῶν, *propter exiguam vestram fidem,* aut fidei imperfectionem seu imbecillitatem.

[3] Perfice et conforta fidem nostram, primo, quia ipsa est fundamentum virtutum supernaturalium ; secundo, propter actus fidei difficultatem, cum difficilis res sit rationem in omnibus fidei dictamini subiugare ; tertio, quia intelligebant Apostoli necessarium sibi esse, ad praedicationem Evangelii confirmandam, ut patrarent miracula, ad quae ordinatur virtuositas fidei. — *Adauge,* πρόσθες, id est, *appone,* vel *adde.*

[4] Quemadmodum granum sinapis, quamvis sit quantitate modicum, est tamen magnum virtute, fervidum et amarum, venenique expulsivum ; sic christianorum fides magna debet esse, necnon fervida per caritatem, amara per promptitudinem sustinendi adversa, ne tempore tentationis deficiat, omnis quoque veneni errorum atque perfidiae expulsiva (1).

[5] Hoc exemplo docet Dominus, posse nos fide impetrare, quae vires nostras omnino superent : arborem enim eradicare, atque inter maris fluctus firmiter plantare, ita ut undarum commotione minime obstante, virescat et fructus ferat, res est quae nulla vi aut arte humana fieri potest. — *Arbori moro,* τῇ συκαμίνῳ. Arbor haec species est mori, cuius fructus fico similis est.

[6] Certum est sanctos Apostolos, et alios multos Sanctos, mirabiliter quaeque ac stupenda miracula patrasse : Salvator enim servis suis miraculorum charisma, quod computatur inter gratias gratis datas, quantum fidei dilatationi necesse foret, impertivit. Ceterum, quod hic, de montium translatione dicitur, in historia S. Gregorii Neocaesariensis, cognomento Thaumaturgi, completum legimus. Praeclara sunt, hac super re, verba Ven. Bedae Presbyteri (2) : *Poterat ergo hic, poterat alius quis eiusdem meriti vir, si opportunitas exegisset, impetrare a Domino, merito fidei, ut etiam mons tolleretur, et mitteretur in mare.* — Mystice, mons hic significat diabolum, quem doctores sancti ab hominum cordibus eiiciunt, ne in eis vesaniam suae tyrannidis exerceant. — Atta-

(1) Dion. Cartus., in h. l. — (2) L. III Comment. in Marc., c. 11.

Hoc autem genus (a) in nullo potest exire, nisi in oratione et ieiunio [7].

(*a*) Mc. IX, 28.

men, sedulo notandum est, id quod hic dicit Christus, tum de arbore moro, tum de monte, potius per modum proverbii efferri, ad significandum scilicet rem valde difficilem, ut etiam ex verbis subsequentibus comprobatur: *Et nihil impossibile erit vobis:* quocirca vis facienda non est in determinatis istis operibus; sed attendendum est sensui, tantam videlicet inesse efficaciam virtuti fidei.

[7] Cum daemon hominem possidet vel obsidet, aliud non intendit, nisi illum avertere a Deo, fonte totius vitae spiritualis, et pertrahere ad vitium. Atqui per orationem, mens hominis ad Deum elevatur et Deo coniungitur; per ieiunium vero a pravis sensuum delectationibus expeditur: ideoque docet Dominus, ad daemonem efficaciter expellendum, adhibenda esse orationem et ieiunium. — Hoc tamen non tollit quin, interdum, diabolus, Deo disponente, etiam citra orationem et ieiunium, expulsus fuerit, ut videtur eruendum in casu illius hominis qui daemones eiiciebat in nomine Iesu, quamvis non esset discipulus ([1]); sed ordinaria Dei lege, duo ista exercitia praemittenda sunt, prout etiam praescribit Ecclesia ([2]).

QUAESTIONES.

I. — *Quaenam sit fides, quae in miraculo patrando requiritur?*

Resp. Fides, quae dicitur miraculorum, non est proprie fides quae est virtus theologica, quae videlicet potest esse formata vel informis, secundum quod habet caritatem adnexam, necne; sed est quaedam fidei excellentia seu fiducia magna, quae est veluti extensio virtutis fidei in ordine ad miracula, vel a Deo impetranda, vel per virtutem Dei patranda, prout hoc necessarium sit fidei dilatationi: unde huiusmodi fides est speciale donum Dei, et ponitur inter gratias gratis datas. Porro, quod fides ista possit esse absque gratia sanctificante, clare eruitur ex illo S. Pauli ([3]): *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.*

([1]) Luc., IX, 49. Infra, Sect. CXLVI. — ([2]) Rit. Rom., Tit. X, c. I, n. 10. — ([3]) I Cor., XIII. 2.

II. — *Quomodo crescere potest fides?*

Resp. Fides augetur dupliciter: primo, extensive; secundo, intensive. Extensive quidem, scilicet quantum ad eius obiectum, dum plura credibilia creduntur explicite: sicut litterati multa credunt explicite, quae simplices credunt implicite, credendo sicut credit Ecclesia. — Intensive et quoad subiectum crescit fides, dum credibilia lucidius cognoscuntur, et firmius ferventiusque tenentur. Quod augmentum datur potissimum per donum intellectus, quo homo rationes credendorum agnoscit, necnon per sapientiae donum, quo veritatem divinorum, quam credit, dulci velut praelibatione degustat, experimentaliterque sapit quod credit, et quam vere per fidem catholicam anima Deo complaceat, eique uniatur. Quocirca, per fidem, homo futurae beatitudinis saporem quemdam et pignus nunc accipit, ita quod nihil est sibi certius, nihilque rationabilius ei apparet, quam ea quae fides christiana proponit. Utrumque autem hoc fidei augmentum, praesertim necessarium est praelatis atque doctoribus, qui et ceteros erudire debent in fide ([1]).

III. — *Quare dixit Dominus noster:* SI HABUERITIS FIDEM SICUT GRANUM SINAPIS, *cum granum sinapis minimum quid existat?*

Resp. Vis comparationis a Domino nostro institutae non est reponenda in parvitate grani sinapis, bene autem in illius virtute et efficacia. Equidem nonnulli, cum S. Ioanne Chrysostomo, cui accedunt Maldonatus et Knabenbauer, volunt sensum horum verborum esse, sinceram fidem, vel minimam, magna posse: at, licet hoc utique verum sit, non tamen hic videtur sensus Domini nostri in hoc loco, cum rationem reddat cur discipuli lunaticum curare non valuissent, causam assignans praecise fidei illorum exiguitatem. Igitur, melius, cum S. Hieronymo, S. Thoma, aliisque bene multis, dicitur, hic intelligi magnam et excellentem fidem, quae, etsi oculis hominum videatur esse res parva, imo exigua, revera tamen magnam habet ad movendum cor Dei efficaciam, in ordine ad miracula patranda: talem quippe iam diximus esse fidem miraculorum, quae est speciale donum Dei, seu gratia gratis data. Ceterum, sensum hunc confirmare videntur verba S. Pauli superius recitata: *Si habuero omnem fidem,* etc.

IV. — *Utrum omnes diabolicae obsessiones unius sint generis?*

Resp. Ex verbis Dominis nostri: *Hoc genus,* etc., deduci potest varias esse daemonum obsessiones; cuius ratio est quod diversorum daemonum varia est potestas, et proinde diversi de diversis vitiis

([1]) Dion. Cartus., in h. l., fere ad litt.

tentant homines; unde aliqui dicuntur spiritus fornicationis, alii spiritus invidiae, alii spiritus superbiae, etc. Et quidem licet pro omnibus daemoniis eiiciendis necessaria sint, in exorcizante, fides, oratio et ieiunium; in quibusdam tamen casibus recursum ad orationem et abstinentiae praxim specialiter requiri, ex praesentibus Christi verbis rationabiliter erui potest.

V. — *Utri praecipitur oratio et ieiunium, energumeno, an exorcistae ?*

Resp. Licet ex parte utriusque requiratur, hoc tamen loco, verba Christi per se diriguntur ad discipulos, quos Dominus expresse edocebat, quibusnam armis eis utendum foret, ut hostem nequissimum devincerent.

SECTIO CXLII.

(Mt. XVII, 21-22 ; Mc. IX, 29-31 ; L. IX, 44-45).

Argumentum. — *Christus in Galilaea existens, iterum praedicit discipulis suam passionem, mortem et resurrectionem ; quod tamen verbum discipuli non intelligunt.*

Ratio Sectionis. — Post liberationem lunatici surdi et muti, Evangelistae synoptici concorditer narrant Christi praedictionem de passione, morte et resurrectione sua, quam quidem semel ille iam annuntiaverat, postquam regni caelorum claves Petro se daturum promiserat *.

(*a*) Et inde profecti, praetergrediebantur Galilaeam [1] : nec volebat quemquam scire [2]. (*b*) Conversantibus autem eis in Galilaea, (*c*) omnibusque mirantibus in omnibus quae faciebat [3], (*d*) docebat autem discipulos suos, et

(*a*) Mc. IX, 29. — (*b*) Mt. XVII, 21. — (*c*) L. IX, 44. — (*d*) Mc. IX, 30.

[1] A castellis Caesareae Philippi, ad montem, ut putatur, Thabor, se contulerat Iesus ; de quo cum descendisset ac, lunatico curato, discipulos de fidei necessitate privatim instruxisset, iter cum eisdem discipulis trans Galilaeam nunc instituit, Capharnam versus (†).

[2] Noluit Dominus cum aliquo extraneo conversari, quia, ut infra dicitur, discipulos edocere, et quidem pluribus verbis, volebat, mysterium passionis suae, quod quidem plebs indisposita erat ad audiendum : sic etiam dabat nobis Christus exemplum, debere fidei praedicatorem se a turbarum strepitu interdum subtrahere, ut contemplationi ad horam vacare possit.

[3] Non solum facta Christi mirifica, sed eius quoque agendi modum mirabantur, cum potestative ac imperiose miracula patraret. Consulto autem advertit S. Lucas, illo praecise tempore, omnes fuisse admiratione actos ob splendida Christi opera, ut ex adverso clarior appareat ignominia futurae passionis. — En igitur, o bone Iesu, cum omnes praeclara opera tua admirarentur et te tanquam pro-

* Supra, Sect. CXXXVI, p. 265

(†) Sect. seq.

dicebat illis: (*a*) *Ponite vos in cordibus vestris sermones istos* [4]: *Filius enim hominis futurum est, ut tradatur in manus hominum* [5], (*b*) *et occident eum, et occisus tertia die resurget* [6]. (*c*) At illi ignorabant verbum istud; et erat velatum ante eos, ut non sentirent illud [7]; et timebant eum

(*a*) L. IX, 44. — (*b*) Mc. IX, 30. — (*c*) L. IX, 45.

phetam magnum acclamarent, tu e contra futuram tuam passionem et mortem, cum omnibus tristibus circumstantiis, animo obvolvebas, et hoc quidem tormenti pondus amore mei ultro suscipiebas!

[4] Consulto duo verba adhibet S. Marcus, *docebat* et *dicebat,* ad insinuandum quanta Christus sollicitudine, suos vellet dilectos discipulos in mysterio Crucis erudiri. Consulto etiam dicit Dominus: *Ponite* vos; id est *vos,* qui mei discipulatu gloriamini, doctrinam hanc de meis doloribus, prae caeteris addiscere debetis. Sic igitur fortiter ac suaviter praeparat Dominus Apostolos suos ad futuram ferendam tragoediam passionis suae, iubens ut, quando tempus patiendi pro eo adveniret, ii in memoriam revocarent ea quae modo de ipso, ad eius gloriam, dicta fuerant, ut illum videntes crucifixum, non existimarent prae infirmitate talia passum. — Notandum, in graeco legi, εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν, *in aures vestras:* similiter, in pluribus latinis codicibus est, *in auribus vestris.*

[5] Hominum scilicet perversorum ac sensualium, eorum videlicet, qui se, plus quam Deum, amantes, terrenam constituunt civitatem. Hjs autem verbis, maxima significatur humilitas, quam subire debebat quem Pater gloria et honore circumdederat, et qui in summa dignitate ab eo constitutus fuerat.

[6] En duo praecipua redemptionis nostrae mysteria, Incarnationem consequentia: mors acerba Christi et beata eius resurrectio.

[7] Discipuli, partim ob amorem quo erga dilectum Magistrum afficiebantur, partim ob naturalem repugnantiam ad dolorem et passionem, Christi verbum minime gustabant, nec eorum sensum penetrabant; sed sibi ipsi illudebant, putantes Iesum in figuris et symbolis, non secundum rei veritatem, loqui. — Pertinet autem hoc ad hebetudinem sensus, quae importat quamdam debilitatem mentis circa considerationem spiritualium bonorum, et opponitur dono intellectus, per quod homo usque ad intima spiritualium bonorum subtiliter penetrat: quo modo in corporalibus dicitur quis esse acuti sensus, qui obiectum potest, vel ex remotis, percipere ([1]).

([1]) S. Thom., 2 2ae, Quaest. XV, art. 2.

interrogare de hoc verbo [8]. (*a*) Et contristati sunt vehementer [9].

(*a*) Mt. XVII, 22.

[8] Timebant discipuli Christum interrogare, vel quia memores erant verborum, quibus Petrum a passione illum avertentem Iesus increpaverat; vel quia verebantur, ne expressiora ab eo verba audirent, quibus eorum perturbatio augeretur.

[9] Tanto vehementius contristabantur Apostoli, quanto in eius amore magis fervebant et separari timebant a tam dulci Magistro. Magno scilicet erat eis moeroris argumento, quod tanta ingratitudine, tantaque malitia, homines prosequi possent Iesum, qui totus erat in benefaciendo omnibus, qui tanta pollebat dignitate, ac tot perfectionibus ornabatur.

QUAESTIONES.

I — *Ad quidnam referri debent verba:* SERMONES ISTOS ([1])?

Resp. Verba haec a nonnullis ad subsequentem sententiam referuntur, quasi dicat Christus: *Ponite in cordibus vestris id quod dicturus sum, scilicet fore ut Filius hominis tradatur in manus hominum.* — At potius dicendum videtur, eadem referri ad id quod praecesserat, nempe ad sermones laudatione plenos, quibus turbae opera Christi admirantes, illum magnificabant, quod quidem inculcandum duxit Dominus, ne, quando tempus illius passionis et mortis adforet, scandalum illi putarentur: monet igitur Dominus, ut in ea sententia, in qua nunc sunt, firmi tunc perseverare curent. Duobus autem suadetur interpretatio haec: primo, ex hoc quod non dicit Christus: *Ponite in cordibus vestris sermones* MEOS, sed ISTOS; secundo, ex subsequenti particula *enim,* γάρ, quae rationem dat, quare discipuli illos sermones alte in memoria retinere debeant.

II. — *Qua ratione dicuntur Apostoli ignorasse verbum Christi de passione et morte eius?*

Resp. Apostoli optime quidem percipiebant quid sibi vellet, in potestatem hominum inimicorum devenire, in necem dari atque resurgere; at, cum Iesum nossent esse Messiam atque Dei Filium, proindeque impassibilem atque immortalem, hinc minime assequi

([1]) Luc., IX, 44.

poterant, quomodo fieri posset ut simul probro ac morti ab hominibus traderetur. Cum haec igitur inter se pugnantia viderent, deficiente abundantiori Spiritus Sancti collustratione, ab ulteriori mysterii investigatione sese abstinebant.

III. — *Quare voluit Christus passionem et mortem suam discipulis praedicere, cum tamen rem hanc illi percipere nequirent?*

Resp. Utique discipuli probe perceperunt, generaliori modo, id de quo agebatur, et per hoc Christi intentio, in illius mysterii revelatione, satis fuit adimpleta: at, propter suam imperfectionem, Deo permittente, in profundiorem mysterii cognitionem illi tunc penetrare minime potuerunt. Profuerunt tamen discipulis verba illa post Christi resurrectionem, ad eorum fidem et caritatem firmandam.

IV. — *Cur Iesus tam cito praedictionem de sua morte iteravit?*

Resp. Ut eam altius in Apostolorum animis insculperet: cum enim necesse esset, falsam eorum de temporali Messiae regno notionem corrigere, atque dilectos discipulos contra imminentis passionis offensionem opportune praemunire, hinc expresse repetiit divinus Magister quod paucos ante dies edixerat.

SECTIO CXLIII.

(Mt. XVII, 23-26).

Argumentum. — *Iesus, quamquam liber a tributo solvendo, ne aliis tamen scandalo esset, edito miraculo, iubet illud solvi pro se et Simone.*

Ratio Sectionis. — Praesens eventus ab uno S. Matthaeo refertur, et quidem immediate post secundam praedictionem de passione et morte Iesu: nihil autem causae est, cur alio loco res ista debeat collocari. — Quod, si in tributi solutione, Christus Petrum sibi tam intime coniungat, mysterio certe non vacat: indubiam nimirum illius excellentiam prae ceteris Apostolis indicare voluit.

(*a*) Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum [1], et dixerunt ei: *Magister vester non solvit didrachma?* Ait: *Etiam* [2]. Et cum intrasset in domum, praevenit eum Iesus, dicens [3]: *Quid tibi videtur, Simon? Reges terrae, a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis?* Et ille

(*a*) Mt. XVII, 23-26.

[1] Erant isti exactores, seu collectores tributorum, ex parte imperatoris, commorantes Capharnaum, quae urbs erat princeps Galilaeae. Ad Iesum accedere non ausi sunt, propter reverentiam, qua erga illum tenebantur, cum probe scirent eum tot ac tanta miracula operatum fuisse, tantoque honore a populo haberi; unde Petrum, tanquam inter Apostolos praecipuum, fiducialiter et libere adeunt.

[2] Modeste ac reverenter, exactores Petrum, de tributo solvendo sciscitantur; prompta autem Petri responsio argumento est, non consuevisse Dominum a publicis oneribus vitae civilis sese eximere. Forsitan dilectum Magistrum ipsemet viderat Petrus, annis superioribus, tributum reddentem. Ex eo autem quod de solo Christo sciscitati sunt exactores num tributum solveret, non debet inferri eos duxisse Apostolos solutos fuisse: sed quaesitio proposita de duce et capite, ad ceteros quoque, qui ipsi socii erant, implicite extendebatur.

[3] Iesus, ut videtur, iam ingressus erat domum, scilicet Petri, qui Capharnaum domicilium habebat; Petrus autem foris manserat, cum exactoribus loquens. Inexpectata autem hac interrogatione evincit Dominus, se cognovisse ea quae se absente evenerant; unde iam opportunam sibi occasionem praeparat convenientia veritatis documenta promendi.

dixit : *Ab alienis* [4]. Dixit illi Iesus : *Ergo liberi sunt filii* [5]. *Ut autem non scandalizemus eos* [6], *vade ad mare, et mitte hamum ; et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore eius, invenies staterem* [7] : *illum sumens, da eis pro me et te* [8].

[4] Suo interrogandi modo, subindicat Christus, Petrum, quem familiari nomine compellat, nimis praecipitanter et inconsiderate exactoribus respondisse, quasi videlicet Christus tributum solvere teneretur, quem tamen verum Filium Dei solemniter, ante paucos dies, professus fuerat ([1]). — *Tributa,* τέλη, vectigalia sunt, vel portoria, quae pro mercibus solvuntur ; *census*, κῆνσος, onus quod pro se quisque et pro agris debet subire, seu tributum de capite et de terris.

[5] Logica est Christi Domini conclusio : sive tributum accipiatur pro censu in gratiam templi solvendo, sive pro quocumque tributo, eo scilicet quod in usum profanum cessisset. In priori quippe casu, Christus unicus Dei filius, obnoxius non erat censui, qui directe in gratiam Patris sui pendebatur ; ab eo quoque solvendo eximebantur Petrus et ceteri Apostoli, cum familiares et intimi ministri filii regis eisdem praerogativis gaudeant, quibus gaudet ipse filius. Si autem agatur de tributo generice accepto, cum hoc principibus solvatur, in quantum Dei locum in terris gerere censentur, Deique auctoritate imperant, hinc ab huiusmodi onere liber omnino erat Filius Dei altissimi, qui in potestate et virtute par est Patri suo caelesti.

[6] Quod Iesus esset verus et proprius Dei Filius, turbae non noverant ; ideoque, ne eis offensioni esset, statuit tributum pro se et Petro solvere, edito insigni miraculo. Quod hic de ceteris Apostolis mentio non fiat, hoc est vel quia tunc aberant, vel quia volebat Christus Petri dignitatem efferri atque omnibus manifestam reddi.

[7] In hoc quod Christus praedixit mox capiendum piscem staterem in ore gestantem, clare ostenditur eius omniscientia : in eo vero quod humanis se legibus subdidit, dum esset Filius Regis aeterni, summa eius humilitas demonstratur. — Attamen, ex hoc quod non de suo Christus didrachma solvendum iusserit, non tam recte inferretur summam fuisse tunc eius paupertatem, quasi tam exigua pecuniae summa in promptu ei non fuerit : cum motivum cur non de suo solverit, esse videatur, ut dictum est, studium perfectam suam libertatem, necnon universale suum in mundo dominium patefaciendi.

[8] Quod Iesus non solum pro

([1]) Matth., XVI, 16. Sect. CXXXV, n. 7, p. 256.

se, sed etiam pro Petro tributum solvi iubeat, mysterio non vacat. Nimirum, significare voluit Christus, unum Petrum, prae ceteris Apostolis, utpote futuram Ecclesiae petram, sibi intime sociari et quasi aequalem sibi facere.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum malitioso animo exactores Petro quaestionem de solvendo tributo proposuerint?*

Resp. Probabiliter negative: cum Dominus postea eos non increpaverit, sed potius possibili eorum scandalo occurrere voluerit. Igitur dicendum potius est, ita illos ratione muneris adimplendi ita se gessisse: cum dubitare possent num Iesus, ob Messiae dignitatem, quam sciebant eum sibi attribuere, tributum vellet solvere.

II. — *Quale fuit tributum, quod didrachma vocabatur?*

Resp. Didrachma, seu duplicata drachma, graece τὰ δίδραχμα, dimidio siclo respondens, tributum erat, diuturna consuetudine inductum, non domesticatim, sed viritim seu personaliter, a vigesimo aetatis anno, in gratiam, ut videtur, non Caesaris aut Reipublicae, sed templi hierosolymitani, annuatim persolvendum, uti recte deduci posse videtur ex illo Domini nostri: *Reges terrae,* etc., quibus Christus, ex eo quod erat Filius illius summi Regis, cui huiusmodi tributum solvebatur, argumentatur se, ab illa obligatione eximi: quocirca rectius sentire videntur, qui tributum hoc, non principi, sed templo cessisse asserunt.

III. — *Utrum debuerit Christus tributum principibus temporalibus solvere?*

Resp. Negative, cum ipse, non solum ut Deus, sed etiam ut homo, nulli regi temporali subderetur, immo esset, iure nativo, rex et caput omnium hominum; unde etiam nulla obligatione tenebatur parendi principibus temporalibus: quod etiam dici debet de Domina nostra et dulcissima Matre et Regina, Maria.

IV. — *Quare non ex loculis propriis Christus pecuniam solvi voluit?*

Resp. Ut melius ostenderet suam omnipotentiam et summum suum in universum mundum dominium, facto ipso comprobans, se ad tributa solvenda minime obligari.

V. — *Utrum Apostoli tenerentur obligatione tributa solvendi?*

Resp. Primo quidem, edicendum est, a tali obligatione solutum

fuisse Petrum, ut eruitur ex verbis Christi: *Ut non scandalizemus eos,... da eis pro me et te;* quibus Dominus Petrum in eadem collocat conditione, in qua ipsemet erat. Atqui idem profecto, hac in re, determinandum videtur de ceteris Apostolis, qui omnes tunc temporis Iesum temporaliter habebant praefectum, quos etiam Christus constituerat *principes super omnem terram* (1).

VI. — *Utrum Ecclesiae ministri et Christifideles eximantur a solvendis tributis?*

Resp. Negative: non enim illi participes sunt privilegii Apostolorum, quod fuit omnino personale: unde, si unum excipias Romanum Pontificem, qui nulli hominum subiectus est, nec Ecclesiae ministri, nec christifideles soluti sunt a legibus, tributis et vectigalibus politici magistratus, cum expresse dixerit Christus (2): *Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo* (3).

VII. — *Utrum pro ceteris Apostolis, praeter Petrum, solutum fuerit didrachma?*

Resp. Dici potest, vel pro ceteris Apostolis solutum fuisse didrachma ex loculis Iudae, vel eosdem a solvendo tributo, inopiae causa, ab exactoribus fuisse excusatos.

VIII. — *Utrum ad vitandum scandalum, non datum, sed acceptum, aliquid interdum facere debeamus?*

Resp. Affirmative: interdum scilicet aliquid, ex caritate, facere et pati debemus, utique salvis iustitiae et veritatis iuribus, pro subtraendo proximi scandalo, quod alioquin non datum, sed acceptum esse posset, ut ex hoc Domini exemplo constat.

IX. — *Utrum ad miraculum pertineat, quod staterem Petrus in ore piscis invenerit?*

Resp. Certe, huiusmodi revelatione, ostendit Dominus praescientiam suam; praeterea, ad eius quoque potentiam res haec pertinuit, si quidem, ad nutum Christi, nummus hic in ore piscis miraculose formatus est, aut piscis illum ore cepit, aut denique piscis talem habens in ore nummum, ad hamum primus adductus est: ad quae quidem, si facta sint, introduci etiam commode potest ministerium angelicum.

(1) Ps. XLIV, 18. — (2) Matth., XXII, 21. — (3) Cf. Marc., XII, 17, Luc., XX, 25.

SECTIO CXLIV.

(Mt. XVIII, 1-5; Mc. IX, 32-36; L. IX, 46-48).

Argumentum. — *Contendentibus Apostolis de praelatione proponit Iesus exemplum parvuli, eos cordis humilitatem fortiter et suaviter edocens.*

Ratio Sectionis. — Aliquam videntur ingerere discrepantiam verba, quibus Synopticorum singuli praesentem de praelatione quaestionem exordiuntur. Quae tamen discrepantia cito evanescit, si perpendatur, primum quidem, Apostolos, in via Capharnaum versus, cogitasse et tractasse de praelatione; tum eos domum pervenisse, dum Petrus foras cum exactoribus de solvendo didrachma ageret; dein a Iesu Apostolos fuisse interrogatos de subiecto eorum colloquii in via, cui illi non responderunt. Post haec, reverso iam Petro, sedens Iesus, duodecim ad se arcessivit, quorum generali interrogationi respondit, eximia praebens humilitatis documenta. — Utrum Petrus cum ceteris in via contenderit, res clara non est; at probabiliter dici potest, illum tunc abfuisse; sodales autem contendendi occasionem accepisse a Christi promissione de primatu eidem Petro facta. Dici etiam potest, ultima Christi verba: *Illum sumens, da eis pro me et te,* ab omnibus percepta fuisse, et maiori postmodum invidiae causam dedisse. — Notandum, ter contentionem recenseri de primatu inter Apostolos: primo, hoc loco, secundo, cum mater filiorum Zebedei ad Iesum accessit *; tertio, post ultimam coenam **. Tantae molis est superbiam ab humano corde evellere!

(*a*) INTRAVIT autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset [1]. At Iesus, videns cogitationes cordis illo-

(*a*) L. IX, 46-47.

[1] Sciebant Apostoli, Christum Petro claves regni caelorum promisisse, illumque secum assumpsisse in montem excelsum; sciebant etiam duos Apostolos, Iacobum et Ioannem, iam non semel a Domino aliis praelatos fuisse: ex quibus omnibus moti sunt ad suspicandum Apostolos istos ceteris esse praeferendos: de qua re eorum amor proprius se laesum sentiebat. — Verba: *quis eorum maior esset,* τίς ἂν εἴη μείζων αὐτῶν, non significant, ut volunt aliqui, *quis maior esset quam ipsi,* sed bene, *quis inter eos maior esset,* cum Apostolis in mentem venire ne-

* Matth., XX, 25; Marc., X, 42. Infra, Sect. CCXVII. — ** Luc., XXII, 24. Infra, Sect. CCLXXX.

rum [2], (*a*) cum domi essent, interrogabat eos: *Quid in via tractabatis* [3]? At illi tacebant: siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum maior esset [4]. Et residens vocavit duodecim [5]. (*b*) In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: *Quis, putas, maior est in regno caelorum* [6]? (*c*) Et ait illis: *Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister* [7]. (*d*) Et advocans Iesus parvulum (*e*) et accipiens, (*f*) apprehendit puerum, et statuit illum secus se, (*g*) in medio eorum. (*h*) Quem cum complexus esset,

(*a*) Mc. IX, 32-34. — (*b*) Mt. XVIII, 1. — (*c*) Mc. IX, 34. — (*d*) Mt. XVIII, 2. — (*e*) Mc. IX, 35. — (*f*) L. IX, 47. — (*g*) Mt. XVIII, 2. — (*h*) Mc. IX, 35.

quiret, aliquem, qui a Christo non esset vocatus, maiorem quam ipsi, in regno messianico, excellentiam habiturum. — Ubi certe carnales adhuc se prodiderunt Apostoli, cum ad regnum temporale potissime animum applicarent.

[2] Quod hic dicitur *cogitationes,* graece est τὸν διαλογισμόν, quod verti potest, *disceptationem* ([1]).

[3] Pro, *cum domi essent,* graece est, ἐν τῇ οἰκίᾳ γενόμενος, *cum domi esset.* — *Tractabatis,* διελογίζεσθε, *disputabatis,* aut *disceptabatis.* — *Quis eorum maior esset,* τίς μείζων, absolute, *quis maior.*

[4] Prae rubore tacent Apostoli, timentes ne dilecto Magistro, quem tam perfectum et humilem videbant, suae imperfectionis manifestatione, displicerent.

[5] Petrum quoque vult Christus adesse admonitioni et instructioni quam ceteris Apostolis dare proponit. Sedet Dominus, ut ipso corporis situ ostendat se rem seriam agere, et quidem pacato et quieto, non commoto animo, quasi de tribunali iudicaturus.

[6] Apostoli ad tempus quidem prae rubore siluerunt; post modicum vero temporis, resumpta fiducia, sciscitati sunt Dominum de utili quaestione, tacito ambitiosae suae disputationis argumento. — Pro *quis putas,* in graeco est, τίς ἄρα, *quis igitur:* quo sat clare indicatur, interrogationem hanc ex aliquo praecedenti eventu ortam fuisse.

[7] Non revelat Iesus Apostolis ea quae sciebat ipsos in itinere disputasse, ne eos pudore afficiat, at clare edisserit, regnum suum dissimile esse terrenis imperiis, cum ibi ambitiosi, hic humiles ita regnent atque dominentur, ut qui in humilitate et meritis in aliorum servitio comparatis cun-

([1]) Cf. 1 Tim., II, 8.

ait illis [8]: (*a*) *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis. et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum* [9]. *Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno caelorum* [10]. *Et qui susceperit unum parvu-*

(*a*) Mt. XVIII, 3-5.

ctis antecelluerit, hic primum in regno Dei locum sit obtenturus.

[8] Parvulus, heic, apud Synopticos, graece, παιδίον, *puellulus,* non significat infantem nondum rationis compotem, sed grandiusculum puerum, qui vocatus venire possit, et ratiocinari ac loqui valeat, qui et credere possit, iuxta illud quod infra legitur ([1]): *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt.* — Notandae sunt diversae Christi actiones circa beatum illum parvulum: primo, illum ad se advocat; secundo, illum peramanter accipit, λαβών; tertio, illum apprehendit, vel sublevat, ἐπιλαβόμενος; quarto, illum in medio statuit; quinto, illum complectitur, ἐναγκαλισάμενος, id est, in ulnas recipit, hac amoris significatione demonstrans, quantum sibi humilitas, simplicitas, atque innocentia parvulorum placeat: eos quoque solos dignos esse suo complexu, qui parvulos huiusmodi imitantur. — Censent plures parvulum hunc fuisse S. Martialem, qui postea episcopus Lemovicensis factus est ([2]); alii vero, cum Nicephoro Callisto ([3]), putant illum fuisse S. Ignatium, primum Antiochiae episcopum, qui Iesu Christi causa, nobile martyrium pertulit.

[9] Apostoli, falsis scribarum notionibus adhuc imbuti, Christi regnum per modum terreni imperii extiturum reputabant, ad quod scala est ambitio et principatus ardor; Christus vero, e contra, testatur nullum, nisi depositis inanibus hisce desideriis, in regno suo partem habere posse.

[10] Humilitas disponit hominem ad gratiae profectum in praesenti, et gloriae exaltationem in futuro; ideoque quanto magis quis se humiliaverit propter Deum ex caritate, tanto sublimior erit in patria. Humilitas hic accipitur per oppositionem ad omnia vitia quibus privatam quis excellentiam indebite prosequitur, ut sunt superbia, ambitio, imperandi cupiditas, etc. — Notandum, exemplum hic a Christo summae humilitatis ac simplicitatis proponi, non quasi omnes fastigium harum virtutum attingere debeant, sed ut unusquisque, quam proxime possit, accedat: quo modo dixit Dominus noster ([4]): *Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester caelestis perfectus est.*

([1]) Matth., XVIII. 6. — ([2]) Martyrol. Rom., ad diem 30 Iunii. — ([3]) Hist. Eccles., L. II, c. 35. — ([4]) Matth., V, 48.

lum talem in nomine meo, me suscipit [11]; (*a*) *et quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me* [12]. (*b*) *Nam qui minor est inter vos omnes. hic maior est* [13].

(*a*) Mc. IX, 36. — (*b*) L. IX, 48.

[11] Si quis, in visceribus caritatis, humilem et pauperem aliquem, non ob motivum naturale, sed mei gratia, susceperit, id tanquam mihi in propria persona exhibitum aestimabo et praemiabor. Idipsum alibi iterum expresse docet divinus Magister ([1]): *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* — Dicendo *unum parvulum talem,* Christus non solum curam parvulorum in genere commendat, verum etiam eorum hominum, qui inopes et ope indigentes in mundo versantur, et tanquam abiecti et contempti ab omnibus habentur. — Pro, *unum parvulum talem,* ut est apud S. Matthaeum, S. Marcus habet: *unum ex huiusmodi pueris,* ἕν τῶν τοιούτων παιδίων, quod in idem redit.

[12] Cum Christus sit unum cum Patre in divina natura, sponte sequitur ut illum suscipiens suscipiat et Patrem, a quo procedit et qui eum in mundum misit. — *Non me suscipit,* id est, *non me solum suscipit, sed,* etc.

[13] En totius discursus conclusio, et responsio ad Apostolorum quaesitum: quasi dicat Christus: vos quidem de primatu contendebatis; sed scire debetis illum fore maiorem, qui minorem sese per humilitatem exhibuerit.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum quod viderint Apostoli Dominum iussisse ut tributum pro se et Petro solveretur, causam dederit illorum disceptationi?*

Resp. Negative: nam, ex S. Marco habetur Apostolos iam in disceptationem venisse in via, et sic antequam de tributo Petrus interrogaretur: at dici potest eisdem Apostolis novum invidiae motivum obvenisse ex viso illo Domini nostri erga Petrum specialis benevolentiae signo.

II. — *Quare huiusmodi imperfectionem ambitionis Christus in Apostolis suis permisit?*

Resp. Christus saepe permisit discipulos suos, in cogitando,

([1]) Matth., XXV, 40.

loquendo et operando, errare, ut ex illorum erroribus occasionem nancisceretur eos docendi regulam veritatis. Signanter vero, humilitatis regula efficacissime inculcatur, cum cernuntur primi illi evangelici praedicatores, antea quidem de praelatione inter se rixati, postmodum vero perfectionis adeo aemulatores, ut se libenter arbitrarentur ut stercora, ut Christum lucrifacent (1).

III. — *Cur ad discipulorum quaestionem Christus absolute non respondit, velle se in Petrum conferre primatus dignitatem, cum tamen videretur, tali responsione, ceteros Apostolos placari debuisse, atque ostium eisdem claudi ulterius contendendi?*

Resp. Christus saepius sat aperte testatus erat se Petrum ad quamdam magnam dignitatem destinasse: ad discipulorum tamen interrogationem, respondere noluit se velle ut ille primus fieret, ne hoc eis maioris invidiae causa fieret; sed maluit eis humilitatis antidotum praebere, ut eos ad puerorum, ab omni ambitione alienorum, simplicitatem, suaviter revocaret.

IV. — *Utrum Apostolorum de primatu contentio in eis rationem mortalis culpae induerit?*

Resp. Negative; non enim videntur Apostoli, primatum ambiendo, ita animo fuisse dispositi, ut propter illum obtinendum, bonum divinum deserere voluerint. Hoc tamen minime obstante, vera est Domini sententia: *Nisi conversi fueritis*, etc.; venialia enim peccata, suo modo, hominem impediunt ab ingressu regni caelestis: primo, propter sui turpitudinem; secundo, quia disponunt ad mortale. Hoc tamen non tollit quominus superbia e genere suo sit peccatum mortale (2).

V. — *Utrum verborum Christi:* SI QUIS VULT PRIMUS ESSE, ERIT OMNIUM NOVISSIMUS, *etc., sensus sit, huiusmodi, in poenam suae superbiae, futurum esse novissimum omnium?*

Resp. Negative: indoles enim sermonis Domini nostri, hoc loco, est, non ut poenas superbiae congruentes significet, sed ut verae humilitatis documenta tradat; praeterea, quomodo fieri posset ut superbi quique omnium novissimi, aut omnium ministri fierent?

VI. — *Quo pacto a Domino parvuli nostrae proponuntur imitationi, cum non sit eisdem solida virtus, sed tantummodo quaedam virtutis similitudo?*

Resp. Parvuli, divina gratia ornati, quales Christus Apostolorum imitationi proposuit, veras quidem virtutes, ex radice gratiae

(1) Phil., III, 8. — (2) S. Thom., 2 2ae, Quaest. CLXII, art. 5.

procedentes, habent, etsi nondum exercitatione firmatas. Simul quoque carent malitia, duplicitate atque ambitione, cum necdum in eis pravae dispositiones succreverint. Et in hoc quidem Apostolis caeterisque hominibus imitationi proponuntur; ita tamen ut quam in eis videmus, propter teneram aetatem, vigere humilitatem, simplicitatem et ambitionis carentiam, adulti conentur ex virtute adipisci. Hoc sensu dicebat Apostolus ([1]): *Fratres, nolite effici pueri sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote.* Revera, Christus, cum dixisset: *Sinite parvulos venire ad me,* postea subdidit, non iam, quia illorum est regnum caelorum, sed quia *talium* est regnum caelorum. Hoc circiter modo Sacra Scriptura pigrum remittit ad formicam ([2]), et eos qui superflua laborant sollicitudine crastini, ad lilia agri et volucres caeli ([3]), quia ab his rebus, etsi ratione carentibus, exempla possunt desumere, propter quasdam virtutum similitudines in illis naturales. *Non igitur pueritia,* ait S. Ambrosius ([4]), *sed aemula puerilis simplicitatis bonitas designatur.* Et S. Leo Magnus eloquenter scribit ([5]): *Amat Christus infantiam, quam primum et animo suscepit et corpore. Amat infantiam humilitatis magistram, innocentiae regulam, mansuetudinis formam.*

VII. — *Quomodo componuntur verba ista:* NISI... EFFICIAMINI SICUT PARVULI, NON INTRABITIS IN REGNUM CAELORUM, *cum aliis verbis:* QUICUMQUE HUMILIAVERIT SE SICUT PARVULUS ISTE, HIC EST MAIOR IN REGNO CAELORUM?

Resp. Difficultas conciliandi inter se duos hos locos, ex eo provenit, quod, in priori textu, ponitur humilitas tanquam conditio sine qua homo in regnum caelorum ingredi non valet; in posteriori autem textu, supponitur hominem posse in regnum caelorum sine humilitate ingredi, cum homo parvulo similis, seu humilis, comparative praedicetur maior in regno caelorum. — Ad quod respondent aliqui, in priori loco, regnum caelorum poni pro beatitudine aeterna, ad quam sine humilitate non pervenitur; in posteriori vero loco, accipi pro Ecclesia militante, in qua sunt boni et mali, superbi et humiles, ex quibus humiles Deus praeeligit. — At melius, et intentioni Christi Domini conformis dicitur, utrobique quidem, per regnum caelorum intelligi aeternam beatitudinem, quam certe absque humilitate homo nequit adipisci: attamen, secundum huius humilitatis gradum, maiorem minoremve esse beatitudinem; ita quod supremum gradum constituat puerilis humilitas.

([1]) 1 Cor., XIV, 20. — ([2]) Prov., VI, 6. — ([3]) Luc., XII, 27; Matth., X, 29. — ([4]) L. VIII in Luc., n. 57. — ([5]) Sermo XXXVI de Epiphan. 7. Cap. 6, 7.

SECTIO CXLV.

(L. XVII, 7-10).

Argumentum. — *Docet Dominus opportuna parabola, nos, cum fecerimus omnia quae nobis sunt praecepta, nosipsos inutiles servos ultro debere confiteri.*

Ratio Sectionis. — Ab uno S. Luca praesens refertur parabola, et quidem eo capite XVII, in quo, ut iam innuimus, plura commemorantur, variis temporibus a Salvatore prolata. Probabiliter teneri potest, cum Maldonato *, parabolam hanc a Christo recitatam fuisse postquam, disceptantibus de primatu Apostolis, ille parvuli simplicitatem eis in exemplum proposuit, simul monens discipulatus sui notam distinctivam fore animi demissionem atque parvam suipsius existimationem. Hac de causa, opportune hic ponitur sermo iste, quasi coronis discursus de humilitate, quem fecit Dominus noster Iesus Christus ad suos Apostolos in domo, ubi Capharnaum cum illis habitabat.

(*a*) *Quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem* [1], *qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recumbe* [2]; *et non dicat ei: Para quod coenem, et praecinge te, et ministra mihi donec manducem et bibam; et post haec tu manducabis et bibes* [3]? *Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quae ei imperaverat? Non puto* [4]. *Sic et vos,*

(*a*) L. XVII, 7-10.

[1] Id est, servus cui incumbat terram arare, aut greges pascere, scilicet oves vel boves, prout in pluribus codicibus suppletur.

[2] *Transi*, παρελθών, *accedens*, recumbe ad mensam, et quiesce comedens et bibens. Consulto dicit Dominus *statim*, εὐθέως, quia veniet quidem quiescendi tempus, at non statim.

[3] Cibaria prius appone mihi, prout tui muneris est, antequam tu ipse cibo et potu vires reficias. — *Praecinge te*, περιζωσάμενος, id est, vestimenta tua zona cinge, quo expeditior evadas ad ministrandum.

[4] Terrenus dominus cui, iuxta antiquum morem, servus totaliter erat addictus, gratias huic non agit, nec ei se debitorem considerat, cum ex agro rever-

* Comment. in h. l. S. Luc.

cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis [5], *dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus* [6].

titur, ubi tota die laboravit: etenim, tale obsequium tenetur servus praestare; quod si negligat, merito vapulat a domino. Quinimmo novum ab eo dominus praestolatur officium, nec ei tunc demum agit gratias, aut quidquam se ei debere profitetur. — Verba, *non puto,* in pluribus graecis codicibus desunt.

[5] Ex hoc clare eruitur, contra haereticos, omnia praecepta servari posse, ut etiam confirmatur ex verbis sequentibus: *Quod debuimus facere, fecimus.* Huc facit celebre illud Concilii Tridentini ([1]): *Deus impossibilia non iubet; sed iubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat ut possis.*

[6] Io eo quod dicitur: *Servi inutiles sumus,* ὅτι δοῦλοι ἀχρεῖοί ἐσμεν, non illa odiosa vocaboli *inutilis* significatio attenditur, quae sensum exhibeat servi debito erga herum famulatu non fungentis, ideoque poena digni, qualis est in hoc loco sensus ([2]): *Inutilem servum eiicite in tenebras exteriores,* τὸν ἀχρεῖον δοῦλον ἐκβάλετε εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον; sed sensus est, nos in nobis ipsis minime gloriari oportere. Igitur praesenti loco affine est illud S. Pauli ([3]): *Nam, si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: vae enim mihi, si non evangelizavero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo,* etc.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum ex verbis:* SERVI INUTILES SUMUS, *quidquam inferre liceat contra fructum et meritum bonorum operum?*

Resp. Hoc quidem haeretici statuere praesumpserunt, at perperam. Primo enim, non dixit Dominus: *Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, tunc adhuc eritis servi inutiles;* sed: *Dicite, servi inutiles sumus:* hoc quippe pertinet ad humilitatem, ut quis se talem sincere agnoscat atque demisse vocet, quemadmodum S. Paulus protestabatur se indignum esse, qui vocaretur Apostolus ([4]). — Deinde, hunc non esse sensum verborum Christi clare subinfertur ex alia parabola, ubi eum qui talenta domini sui utiliter expenderat, ipse Dominus sic peramanter alloquitur ([5]): *Euge, serve bone et fidelis,* etc.; quinimmo, servos suos expresse

([1]) Sess. VI, cap. XI. Ex S. AUGUSTIN., Lib. de Natura et gratia, c. 43. — ([2]) Matth., XXV, 30. — ([3]) I Cor., IX, 16, 17. — ([4]) I Cor., XV, 9. — ([5]) Matth., XXV, 23.

amicos appellat ([1]): *Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis.*

II. — *Utrum saltem, per hanc parabolam, excludantur opera illa, quae supererogatoria appellantur?*

Resp. Negative, cum hic sermo sit formaliter tantummodo de iis quae a Domino homini imperantur, ultra quod, sua observantia, diligentia et caritate, aliquid certe praestare potest; unde et Apostolus discrimen indigitabat inter opus praeceptum et opus ab homine libere positum, dum de priori aiebat ([2]): *Vae mihi est, si non evangelizavero,* necessitas enim ei incumbebat; de altero autem ([3]): *Ut Evangelium praedicans, sine sumptu ponam Evangelium,* cum tamen sua praedicatione mercedem potuisset obtinere ([4]). Quod discrimen clarius adhuc statuit S. Paulus de observantia virginitatis ([5]).

III. — *Quisnam est proprius huius parabolae scopus?*

Resp. Proprius scopus atque formalis intentio huius parabolae, est, hominem docere cordis humilitatem, in quantum nec quicquam a se, tanquam suum omnino, repetere debeat, nec cogitare se Deo aliquid adiungere valere. Etenim, omnia nostra Dei sunt; nec obsequio nostro, qualecumque hoc sit, id est, quantumvis pleno atque perfecto, aliquid Deo utilitatis, lucri aut perfectionis intrinsece afferimus, qui bonorum nostrorum minime indiget ([6]), cum in se perfectissimus sit ac infinite beatus, licet eius gloriam extrinsecam possimus promovere. Porro, cum nos Dei creaturae simus, ipseque nostri, nostrorumque temporum et facultatum, plenissime dominetur, ideo absoluta potest auctoritate quaelibet nobis imperare, quin unquam de laboris diuturnitate nobis liceat conqueri. Eo igitur ipso quod totum quod habemus et sumus, a Deo suscepimus, nos ipsos eius obsequio totaliter mancipare debemus, et omnem nostram operam in eius honorem ordinare. Quinimmo, quo plura ab eo gratiarum dona retulerimus, eo strictiori tenemur officio ipsi toto corde placere atque tota mente et viribus deservire, cum ex dignatione gratiae Dei utilia vasa effici possimus, ad omne opus bonum parata, si tamen divinae operationi fideliter corresponderimus ([7]).

([1]) Io., xv, 14. — ([2]) 1 Cor., ix, 16. — ([3]) Ibid., 18. — ([4]) Ibid., 14. — ([5]) Ibid., vii, 25. — ([6]) Ps. xv, 2. — ([7]) 2 Tim., ii, 21.

SECTIO CXLVI.

(Mc. IX, 37-40; L. IX, 49-50)

Argumentum. — *Exorcistam extraneum prohiberi vetat Dominus, qui etiam edicit, potum aquae in nomine suo datum, mercede non fraudandum.*

Ratio Sectionis. — A solis S. Marco et S. Luca, praesens Apostoli Ioannis interrogatio et Christi Domini responsio referuntur: quae res etsi inchoatum discursum interrumpere videtur, sat tamen cum antecedentibus et consequentibus convenit, ut non sit necesse eamdem ad alium locum, aut ad aliud tempus amandare; nec videtur cur S. Marcus, qui in recitandis sermonibus de parvulo imitationi proposito, et de scandalo vitando, ordinem parallelum cum ordine S. Matthaei sequitur, rem hanc inter duos istos sermones interseruerit, si revera ad alium locum pertineret. Similiter a S. Luca praesens argumentum immediate ponitur post sermonem de humilitate amplectenda.

(*a*) RESPONDENS autem Ioannes [1], dixit: *Praeceptor, vidimus quemdam in nomine tuo eiicientem daemonia,* (*b*) *qui non sequitur nos,* (*c*) *et prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum* [2]. Et ait ad illum Iesus: (*d*) *Nolite prohibere eum. Nemo est enim qui faciat virtutem in nomine*

(*a*) L. IX, 49. — (*b*) Mc. IX, 37. — (*c*) L. IX, 49-50. — (*d*) Mc. IX, 38-40.

[1] Hoc verbo, *respondens,* insinuatur Ioanni occasionem dicendi ortam fuisse ex antecedentibus: nimirum, cum dixisset Christus ([1]): *Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo,* etc., probabile est discipulo illi in mentem occurrisse factum, cuius ille, cum sociis, testis fuerat, de homine in Christi nomine daemonia eiiciente, et de huius rei ratione illum certiorem reddi voluisse.

[2] Quemdam hominem viderunt Apostoli, per invocationem, adiurationem, vel prolationem nominis Christi, daemonia eiicientem; et quia perceperant illum non secum ambulare, ideo tamquam indignum prohibuerant quominus id amplius faceret: soli quippe discipuli iussi fuerant

([1]) Luc., IX, 49.

meo, et possit cito male loqui de me [3]. *Qui enim non est adversum vos, pro vobis est* [4]. *Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquae in nomine meo, quia Christi estis: amen dico vobis, non perdet mercedem suam* [5].

daemones eiicere. — Advertendum, non omnes qui in Christum credebant, ei corporaliter adhaesisse, ut evidenter patet de Ioanne Baptista.

[3] Ly *cito* verti potest *faciliter*, sensus ergo est, neminem, miraculosum effectum in nomine Christi patrantem, tam facile aut cito posse loqui male de eo; qui enim, invocato Christi nomine, daemones eiecerit, eo ipso illum honorat, nec ei occasio est, aut tanta audacia, ut male de illo loquatur.

[4] Qui aliquid docet doctrinae Christi consentaneum, secundum hoc illi adhaeret, cum a Christo omnis veritas derivetur; ideoque a tali actu non est prohibendus; similiter, omne beneficium, quantumvis exiguum, in nomine Christi praestitum, a quocumque demum praestetur, prohiberi non debet. Sic Moyses reprehendit Iosue prohibere volentem Eldad et Medad a prophetando ([1]). Huc quoque revocari potest quod S. Paulus quorumdam poetarum testimonia introducit, ad confirmationem suorum dictorum ([2]). Quidquid enim veri et boni illi protulerunt, hoc totum fuit a Christo, totius veritatis fonte. — Colligi ex hoc Domini nostri dicto potest, neminen sine aliqua in Christum fide, posse in eius nomine daemones eiicere, aut miracula patrare. — Notandum, hic, in graeco S. Marci, loco *vos..., pro vobis,* legi *nos..., pro nobis:* ὃς γὰρ οὐκ ἔστι καθ' ἡμῶν, ὑπὲρ ἡμῶν ἐστιν: quae lectio, in nonnullis codicibus graecis S. Lucae, similiter reperitur.

[5] Cum nominasset Christus beneficium eiectionis daemonum praestitum in nomine suo, nunc transit ad aliud beneficii genus, scilicet corporale, ut sic ostendat nullum misericordiae opus, sive sit spirituale, sive corporale, debita mercede defraudandum esse. Enimvero, tanta est perfectio iustitiae Dei, ut nullum opus bonum, eorum etiam qui a se alieni sunt, sine mercede relinquat: at iustis, praeordinatis in vitam aeternam, consistit huiusmodi merces in bono simpliciter infinito, quod Deus est; praescitis vero consistit in bono quodam temporali, cui perfecta mercedis ratio competere non potest. — Recolendum, in regionibus orientalibus, ubi plerumque aquae penuria laborant incolae, calicem aquae esse maioris pretii atque beneficii, quam apud nos, qui aquarum abundantia gaudemus.

([1]) Num., xi, 29. — ([2]) Tit., i, 12; Act. xvii, 28.

QUAESTIONES.

I. — *Cuius rei occasione sermonem de exorcista extraneo Ioannes introduxit?*

Resp. Dici potest Ioanni rem hanc introducendi occasionem praebuisse ultima Christi verba, testantis eum, qui suo nomine parvulum suscepisset, ipsummet Christum suscipere; unde Ioannes, veritus ne, hominem daemones in nomine Iesu eiicientem prohibens, errasset, rem ingenue divino Magistro fassus est. Aut dici potest Ioannem, in eo quod viderit Iesum benigne amplexantem parvulum, dubitasse de propria agendi ratione erga exorcistam illum, quasi videlicet severius illum tractasset: ideoque a Domino indirecte et veniam et instructionem quaesivisse.

II. — *Utrum exorcista ille extraneus fuerit improbus?*

Resp. Probabiliter negative, cum a Christo non sit reprehensus, et potius ex eius verbis commendari videatur.

III. — *Utrum Apostoli exorcistam hunc prohibuerint ex aemulatione aut invidia?*

Resp. Non videntur exorcistam illum ex aemulatione aut invidia prohibuisse, cum de tali flagitio non sint a Domino reprehensi; unde melius dicuntur ex zelo pro Christo egisse, cupientes ut illum quamplurimi tanquam discipuli sequerentur.

IV. — *Utrum fieri possit ut improbus homo, in nomine Christi daemonia eiiciat?*

Resp. Cum potestas daemonia eiiciendi computetur inter gratias gratis datas, quae scilicet de se ordinantur ad utilitatem aliorum, nihil obstat quin interdum conferantur non solum iustis, sed etiam iis quibus deest gratia sanctificans. Huc referri potest sententia quae legitur in quosdam ultimo die proferenda, qui ad Christi gregem visibiliter non pertinent: qui quidem Christum interrogaturi sunt (1): *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Quibus Christus respondebit (2): *Quia nunquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Quod tamen sine fide in Christum, non contingat aliquem, etiam invocato illius nomine, daemonia eiicere, aut generaliter miracula patrare, patet

(1) Matth., VII, 32. — (2) Ibid., 23.

ex illis Iudaeis exorcistis, quos legitur in Actibus Apostolorum (1), ita a daemoniaco male tractatos fuisse, ut nudi et vulnerati relicti fuerint.

V. — *Quomodo componitur hoc dictum S. Marci:* QUI NON EST ADVERSUM VOS, PRO VOBIS EST, *cum hoc alio* (2): QUI NON EST MECUM, CONTRA ME EST ?

Resp. Haec duo ad invicem videbuntur non opponi, si tantum diversae occasiones attendantur, quibus a Christo Domino sunt prolata. Apud S. Matthaeum quidem loquebatur Christus de pharisaeis qui, utpote in Scripturis eruditi, illum debuissent tanquam verum Messiam agnoscere: unde ex quo se relate ad ipsum veluti indifferentes habebant, illi realiter refragabantur, indeque populum ab eo avertebant. Apud S. Marcum autem agitur de homine qui, licet Christo corporaliter non adhaereret, cum eo tamen spiritualiter erat, in nomine eius credebat, et eius nominis virtute daemonia eiiciebat. De huiusmodi igitur dicit Dominus, eum esse cum discipulis suis et consequenter secum operari, cum in suis actionibus doctrinae eius non contrariaretur.

VI. — *Cum ait Christus, hominem, qui in nomine eius benefecerit, non perditurum esse mercedem suam, de quanam mercede loquitur, aeternane, an temporali ?*

Resp. Dependet hoc a statu et conditione benefacientis: nimirum, cum gratia sit principium merendi vitam aeternam, si homo quidem in gratia existens, alteri benefecerit, hoc ei ad aeternam mercedem computabitur; secus, ad temporalem: cum vita aeterna sit simpliciter praemium operum iustitiae, per relationem ad motionem divinam quae est secundum gratiam sanctificantem (3).

(1) XIX, 13, seq. — (2) XII, 30. — (3) Cf. tr. DE GRATIA, Quaest. CXIV, art. 10, nn. 3, seq., p. 442.

SECTIO CXLVII.

(Mt. XVIII, 6-9; Mc. IX, 41-49; L. XVII, 1-2).

Argumentum. — *Docet Dominus quam grave sit scandali peccatum, et quanta ei poena praeparetur, scilicet ignis inexstinguibilis et vermis qui non moritur: demum hortatur discipulos ad habendum sal et ad pacem inter se servandam.*

Ratio Sectionis. — Expleta iam praecedenti admonitione, pergit Dominus, docens discipulos de scandali gravitate, cum haberet prope se parvulum illum, quem antea accersiverat. Ordinatam sermonis Christi continuationem nobis exhibent textus S. Matthaei et S. Marci; nisi quod ille Ioannis incidentalem discursum praetermittit, ut vidimus Sectione praecedenti. Hic etiam congrue ponuntur priores duo versus capitis XVII S. Lucae, in quibus eadem omnino res pertractatur, cum iam dixerimus plura, in illo capite, a Christo obiter dicta simul colligi.

(*a*) ET ait ad discipulos suos: *Impossibile est ut non veniant scandala* [1]: *vae autem illi per quem veniunt* [2]. (*b*) *Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me* [3], (*c*) *utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum eius, et proiiciatur,* (*d*) *et demergatur in profundum maris* [4]. (*e*) *quam ut scandalizet unum de pusillis*

(*a*) L. XVII, 1. — (*b*) Mc. IX, 41. — (*c*) L. XVII, 2. — (*d*) Mt. XVIII, 6. — (*e*) L. XVII, 2.

[1] Non absolute hoc dicitur, sed conditionate, sicut praevisa a Deo necesse est evenire. Sic S. Paulus edisserit (1): *Oportet et haereses esse.* Ita scilicet decrevit divina sapientia, ad maiorem electorum suorum sanctificationem.

[2] Aeterna ei imminet damnatio, qui scandalum parit, saltem loquendo de scandalo quod, per se et ex intentione agentis, inducat ad peccandum mortaliter.

[3] Pusilli hic dicuntur infirmi in fide, qui Christo quidem adhaerent, at a bono fidei proposito facile possunt dimoveri.

[4] Graece λίθος μυλικός. Apud S. Marcum et S. Matthaeum, legitur, μύλος ὀνικός, *mola asinaria:* ex iis nempe grandioribus molis, quae non a servis, sed ab

(1) 1 Cor., XI, 19.

istis [5]. (*a*) *Vae mundo a scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala ; verumtamen vae homini illi, per quem scandalum venit* [6]. (*b*) *Et si scandalizaverit te manus tua, abscide illam,* (*c*) *et proiice abs te* [7] : (*d*) *bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur* [8]. *Et si pes tuus te scanda-*

(*a*) Mt. XVIII, 7. — (*b*) Mc. IX, 42. — (*c*) Mt. XVIII, 8. — (*d*) Mc. IX, 42-46.

asinis torquebantur. Fuit hoc grave supplicii genus, quo flagitiosissimi homines, sepultura indigni, interdum mulctabantur. Eum igitur qui unum ex his pusillis, in Christum credentibus scandalizaverit, gravissime peccare edicit Dominus, et proinde severe mulctandum, adducto exemplo ab extraordinario mortis genere: scilicet ab homine in alto mari, appenso ad collum gravissimo lapide, submerso: quo significatur, quanta sit ille poena a Deo in aeternum plectendus.

[5] Sensus est eum, qui hominibus, maxime parvulis ac simplicibus, offensionis causam praebuerit, illorum fidei, religioni aut virtuti insidiando, gravissimum incurrere peccatum, et consequenter durissimis in altera vita ita torquendum esse cruciatibus, ut optabilius ei foret, si mola, qua teruntur frumenta, ad eius collum suspensa, in mare demergeretur. Utilius quippe est in hac vita etiam gravissima tormenta sustinere, quam tantum malum, quale est scandalum, procurare, ac proinde ad inferni poenas aeternaliter condemnari.

[6] Ex consideratione gravitatis peccati ab eis commissi qui parvulis scandalo sunt, transit Dominus ad generalem de scandalo reprobationem. Et primo quidem, advertit fieri non posse, quin in mundo, qui totus in maligno positus est ([1]), scandala eveniant: attamen, non propter hoc scandalosi excusantur; illos autem Deus tolerat, ad profectum servorum suorum, cum virtus in infirmitate perficiatur.

[7] Quod hic dicitur, de manu, pede, oculove amputando atque proiiciendo, si quidem homini ea membra scandalo fuerint, dictum iam est a Christo in Sermone in Monte ([2]), ubi haec metaphorico sensu prolata fuisse, exposuimus, et quidem, hac de causa, quia membrorum abscissione' peccandi pericula minime removentur, sed potius removentur firma voluntate peccatum vitandi, auxiliante gratia divina.

[8] Quod hic recitat S. Marcus de immortali verme et de igne

([1]) 1 Io., v, 19. — ([2]) Sect. XLVII, quaest. II, Vol. I, p. 303.

lizat, amputa illum: bonum est tibi claudum introire in vitam aeternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inexstinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. Quod si oculus tuus scandalizat te, eiice eum (a) et proiice abs te: (b) bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur [9]. *Bonum est sal: quod si sal insulsum fuerit, in*

(a) Mt. XVIII, 9. — (b) Mc. IX, 46-49.

inexstinguibili desumitur ex Isaia propheta, qui de supplicio inimicorum Domini agens, ait ([1]): *Et egredientur* (Hierosolymis), *et videbunt cadavera virorum qui praevaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur; et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Nimirum, cadavera, apud nos, aut sepeliuntur, aut cremantur: in primo casu, cibus fiunt vermium, in secundo. cibus ignis; at vermes cito moriuntur, ignis vero cito transit. In morte autem impiorum, vermes et ignis non transibunt: et quidem per vermem intelligi potest sive conscientiae remorsus, ante resurrectionem animam torquens, sive vermis materialis, post resurrectionem, corpus in aeternum rodens: per ignem vero, ignis ille ira Dei succensus, cui animae separatae damnatorum alligabuntur, et quo eorumdem corpora torquebuntur post resurrectionem. *Illic sapiens ignis,* ait Minutius Felix ([2]), *membra urit et reficit, carpit et nutrit, sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec absumunt. Ita poenale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.*

[9] Valde obscurus est locus iste et diverse a diversis intelligitur. Probabilis unus sensus est, quo particula *enim* ponitur ad reddendam rationem, cur vermis non moriatur, scilicet, cur poena damnatorum in aeternum duret: nimirum, cum in Levitico ([3]) iuberetur victima sale condiri, iam reprobi, tanquam divinae iustitiae victimae, igne in inferno condientur quo, quasi sale, perenniter durante, a corruptione praeservabuntur. — Alius sensus aeque probabilis est, quo verba haec non ad malos, in inferno, sed ad bonos, in hac vita, referantur, et particula *enim* det rationem eius quod superius dictum est, de membro amputando, quod scandalum affert:

([1]) LXVI, 24. — ([2]) In Octav. — ([3]) II, 13.

quo illud condietis [10] ? *Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos* [11].

nempe, omnis bonus debet igne devotionis inflammari, ad diligendum Deum et ferenda pro eo omnia huius vitae incommoda; insuper, debet sale sapientiae vel doctrinae Christi saliri, ne putrescat: qui posterior sensus probabilior videtur.

[10] Cum sal nominasset Dominus, exhinc occasionem sumit id resumendi, quod in Sermone in Monte de sale dixerat, scilicet de praelatis et doctoribus, qui sedulo satagere debent, ne sapientiae sal amittant ([1]).

[11] Sal prudentiae et discretionis, fidei et dilectionis, incorruptionis vitae et doctrinae, virtutis verbi Dei, quod quidem sal ex radice caritatis oritur, habete in vobis: pacem pariter conservate, quae est effectus caritatis, ac certum indicium discipulatus Christi.

QUAESTIONES.

I. — *Quisnam est sensus horum Christi verborum:* UTILIUS EST ILLI, SI LAPIS, *etc.* ?

Resp. Verba ista, quae apud S. Lucam leguntur ([2]), et graece sic sonant: λυσιτελεῖ αὐτῷ, similia sunt verbis tum S. Matthaei ([3]): *Expedit ei,* συμφέρει αὐτῷ, tum S. Marci ([4]): *Bonum est ei magis,* καλόν ἐστιν αὐτῷ μᾶλλον. Porro, his verbis, comparatio importatur; at difficultas est ut determinetur quocum ista comparatio instituitur. Porro, non videtur comparatio institui cum peccato scandali, cum idipsum dici possit relate ad qualecumque peccatum, scilicet ei praeferendam esse horrendam necem hic descriptam; sed nec cum poena aeterna tali peccato debita, cum quaecumque poena huius vitae, etiam maxima, minor sit poena aeterna. — Igitur, dicendum videtur, comparationem hanc ad modum proverbii a Domino institui, sumpto exemplo ex gravissimo supplicio et piscatoribus sat noto, scilicet violenta in mari submersione: quasi dicat: excogitate poenam quantum vultis gravem et atrocem: iamvero, res talis esset tolerabilior quam peccatum scandali et quam poena, quae tale peccatum in inferno manet.

II. — *Utrum omnes parvuli, qui circa Christum tunc erant, in eum crediderint ?*

Resp. Certe aliqui eorum, ii scilicet qui usum rationis iam fuerant adepti, in Christum fidem habuerunt, ut ostendi potest ex Christi ipsius erga eos paterno amore: attamen, sub nomine pu-

([1]) Supra, Sect. XLVI, nn. 1, 2, Vol. I, p. 289. — ([2]) XVII, 2. — ([3]) XVIII, 6. — ([4]) IX, 41.

sillorum, intelligi etiam potest turba fidelium, recto ac simplici corde doctrinae Christi inhaerentium.

III. — *Quo pacto dicitur, necesse esse ut veniant scandala?*

Resp. Id certe non dicitur, attenta necessitate a priori et absoluta, sed a posteriori et conditionata, inspecta scilicet hominum malitia, natura ad concupiscentiam prona, attentis etiam innumeris diaboli, carnis et mundi tentationibus, necnon considerato liberi arbitrii abusu.

IV. — *Quid et quotuplex est scandalum?*

Resp. Σκάνδαλον, graece, latine *offensio, ruina* vel *impingentia* dicitur. Quemadmodum, posito in via obice, qui in eum offenderit, impingit et collabitur; ita, in processu vitae spiritualis, contingit hominem, ex dicto aut facto alterius, ad peccati ruinam induci; talisque obex scandalum vocatur. Porro, dupliciter potest dictum et factum hominis alteri cedere in peccandi occasionem: uno modo, per se; alio modo, per accidens. Per se, quando quis exemplo aut admonitione alium inducit ad peccatum, aut tale opus facit, quod ex sua natura eum potest ad peccatum inducere, vel quia malum est, vel quia speciem mali habet: et tale dictum aut factum dicitur scandalum activum. Per accidens autem, quando ex dicto vel facto alicuius, aliquis scandalizatur, praeter intentionem agentis et conditionem operis, ut cum homo, ex opere in se bono, ob suam malitiam, occasionem sumit peccandi: et hoc est scandalum passivum sine activo ([1]).

V. — *Utrum perfectorum sit scandalizare aut scandalizari?*

Resp. Viri perfecti ab alios scandalizando sedulo se abstinent, loquendo utique de scandalo activo; quia cum fortiter sint Deo uniti, tantum malum non operantur, ex quo quis debeat merito scandalizari, licet venialiter peccent, quod humanae indulgendum est fragilitati. Similiter, ex inordinatis aliorum verbis aut factis minime scandalizantur, sed potius illos compatiuntur et ipsimet cautiores redduntur, iuxta illud ([2]): *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum* ([3]).

VI. — *Quomodo potest ignis damnatos in aeternum torquere?*

Resp. Hoc facit ignis, in quantum assumitur tanquam instrumentum divinae ultionis: unde sic potest mirabiles producere effectus, quos de se producere non posset. (Ignis) *ille divinus,* ait Lactantius ([4]), *per seipsum semper vivit, ac viget sine ullis alimentis* ([5]).

([1]) Cf. Dion. Cartus., in h. l. S. Matth. — ([2]) Ps. CXVIII, 165. — ([3]) Cf. S. Thom., 2 2ae, Quaest. XLIII, art. 5, 6. — ([4]) L. VII de Vita beata, c. 21. — ([5]) Cf. Sap., XIX, 19. Cf. etiam tr. DE NOVISSIMIS, Quaest. IV, art. 3, nn. 3, seq., p. 180.

SECTIO CXLVIII.

(Mt. XVIII, 10-14).

Argumentum. — *Monet Dominus pusillorum Angelos in caelis semper videre faciem Patris, venisse vero Filium hominis ad salvandum quod perierat: tum recitat parabolam de ove perdita, ob quam quaerendam, relinquit pastor nonaginta novem in montibus.*

Ratio Sectionis. — Sermonem Christi de scandalo et poena illi peccato debita, uberius ceteris retulit S. Marcus, ut vidimus Sectione praecedenti *: qui tamen monitum de pusillis non contemnendis, et parabolam de ove perdita praetermittit: quae duo in continuatione historiae S. Matthaei leguntur Ex hoc maxime relucet huius sancti Evangelistae praecipua intentio, quae fuisse videtur ut ostenderet venisse Christum Dominum ad peccatores salvandos.

(*a*) VIDETE *ne contemnatis unum ex his pusillis* [1]: *dico enim vobis, quia angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est* [2]. *Venit enim Filius hominis salvare quod perierat* [3]. *Quid vobis vide-*

(*a*) Mt. XVIII, 10-14.

[1] Pro *unum ex his pusillis*, graece est ἑνὸς τῶν μικρῶν τούτων: quo nomine intelliguntur, non modo parvuli, sed etiam discipuli, quantumvis simplices, imperfecti ac modici illi videantur: quos quidem Dominus magnopere diligit, et sedulo invigilat ne despectui habeantur, aut scandalizentur, triplici adducta ratione.

[2] Haec est prima ratio cur pusilli non sint spernendi aut scandalizandi: quia, videlicet, tantae est homo dignitatis, ut custodes habeat spiritus angelicos, qui clara Dei visione iugiter gaudent. Ex quo rite infert S. Hilarius ([1]): *Ergo periculose ille contemnitur, cuius desideria ac postulationes ad aeternum et invisibilem Deum ambitioso Angelorum famulatu ac ministerio pervehuntur.*

[3] Secunda haec est ratio: videlicet, tantae aestimationis sunt ante Deum isti pusilli, ut pro eis salvandis Christus Dominus dignum duxerit morti se expo-

* Nn. 1, seq., pp. 323, seq.

([1]) Comment. in S. Matth., cap. 18.

tur [4] ? *Si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis: nonne relinquit nonaginta novem in montibus, et vadit quaerere eam quae erravit* [5] ? *Et si contigerit ut inveniat eam, amen dico vobis, quia gaudet super eam magis quam super nonaginta novem quae non erraverunt* [6]. *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in caelis est, ut pereat unus de pusillis istis* [7].

nere : quocirca non sunt illi parvipendendi, nec eorum salus negligenda est. Ad rem S. Paulus (1) : *Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est ?*

[4] Τί ὑμῖν δοκεῖ; tempestiva hac interrogatione, attentiores vult Dominus discipulos suos reddi, ut si id quod ipse in pastore ovium propositurus est, illi approbaverint, idipsum vicissim facere non detrectent.

[5] Non aliud hic significatur, nisi quod Deus abundantibus gratiae donis malos benignus prosequitur, ut resipiscant ; ita quod aliquando sollicitiorem se de eorum salute videatur exhibere, quam de salute bonorum : unde certe illi, qui revera pusilli sunt in via salutis, minime sunt despiciendi. — *In montibus,* ἐπὶ τὰ ὄρη, quasi *per montes vagantes.* — In aliquibus graecis codicibus, colligantur immediate haec verba cum sequenti participio, πορευθείς, ut sensus sit : *Per montes vadens pastor, quaerit ovem quae erravit,* quo vivide exhibetur sedula cura pastoris et longum iter ab eo susceptum.

[6] Provenit huiusmodi speciale gaudium, primo, propter praecedentem de ove perdita tristitiam : maius enim gaudium experimur de re perdita recuperata, ob praecedentem de amissione tristitiam ; secundo, propter specialem laborem in ove illa recuperanda impensum. Ceterum, parabolam de centum ovibus resumit ac uberius exponit Christus Dominus apud S. Lucam (2).

[7] En tertium argumentum, quo convincimur pusillos non debere despectui haberi : sincera scilicet Dei voluntas de omnium salute. Agitur autem hic de voluntate antecedente, quae etiam voluntas secundum quid dicitur : nam, loquendo de voluntate consequente, quae rem cum omnibus suis circumstantiis complectitur, permittit Deus aliquos, ob eorum demerita, aeternaliter damnari.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum unusquisque homo habeat custodem Angelum ?*

Resp. Affirmative : catholica quippe est sententia, quam ita S. Hieronymus exprimit (3) : *Magna dignitas animarum, ut una-*

(1) I Cor., VIII, 11. — (2) XV, 4, seq. Cf. Infra, Sect. CXCVII. — (3) In h. l. S. Matth

quaeque habeat, ab ortu nativitatis, in custodiam sui, Angelum delegatum: cuius veritatis adsunt, tum in veteri, tum in novo Testamento indicia ([1]); attamen, ex praesenti loco Domini Nostri: *Angeli eorum in caelis,* etc., non potest certitudinaliter inferri unicuique hominum suum esse Angelum custodem, cum verbis illis satisfiat dicendo unum Angelum pro multis hominibus custodiendis sufficere. — Populis autem et provinciis suos constitui Angelos tutelares, pariter ex Scriptura eruitur ([2]).

II. — *Utrum ex verbis:* ANGELI EORUM IN CAELIS SEMPER VIDENT, *etc., inferre liceat pusillorum Angelos ex altioribus esse, prae Angelis aliorum hominum?*

Resp. Negative: omnes enim Angeli custodes ex ministrantibus sunt, non ex assistentibus ([3]); praeterea, illi, non secus ac isti, semper beati sunt in visione divinae essentiae: unde, id quod dicuntur semper videre divinam essentiam, phrasis hebraica est, cum servi, qui regi familiarissimi sunt, appellentur videntes faciem regis ([4]), et per hoc innui videatur efficacia protectionis Angelorum, qui non egent a cura pusillorum discedere, ut ad auxilium Dei convertantur, cum illam semper intueantur.

III. — *Utrum custodia quam Angeli beati in homines exercent, eos impediat a contemplatione divinae essentiae?*

Resp. Negative: quod enim angeli beati curam hominum suscipiunt, non solum est ex ordine divinae dispositionis, sed etiam secundum rationem divinae essentiae ab eis facialiter visae: quocirca, eorum circa homines occupatio eos minime distrahit a contemplatione et fruitione Dei. Enimvero, Angelus, per solam intellectualem operationem, regulat suas actiones exteriores, quae proinde in nullo eius contemplationem impediunt aut imminuunt: quia duarum actionum, quarum una est regula et ratio alterius, una non impedit, sed iuvat alteram ([5]).

IV. — *Utrum versiculus* ([6]): VENIT ENIM FILIUS HOMINIS, *etc., tanquam authenticus sit habendus?*

Resp. Dubitandi momentum desumitur, tum ex eo quod in pluribus graecis codicibus versus ille desideratur, tum ex eo quod non specialis ibi assignatur ratio, cur de pusillis cura sit habenda: unde versiculum illum censent nonnulli, ex S. Luca ([7]), hic esse

([1]) Cf. Gen., XVI, 7; XXIV, 7; XLVIII, 16; Tob., III, 25; Iudith, XIII, 20; Ps. XC, 11; Dan., III, 49; Act., XII, 15, etc. — ([2]) Cf. Exod., XXIII,20; Dan., X, 13; XII, 1. Cf. tr. n. DE ANGELIS, Vol. II, Quaest. CXIII, art. 4, n. 2, p. 173. — ([3]) Ibid., art. 3, n. 2, p. 167. — ([4]) Cf. 1 Reg., X, 8. — ([5]) Tr. DE ANGELIS, Vol. II, Quaest. CXII, art. 1, n. 8, p. 136. — ([6]) Matth., XVIII, 11. — ([7]) XIX, 10.

interpolatum. — At dicendum, versum hunc esse revera authenticum: primo enim, in longe pluribus codicibus graecis legitur; praeterea, bene hic quadrat sententia Christi: nimirum, cum Redemptor venerit ad salvandum id quod perierat, parvuli vero, ob aetatis infirmitatem, speciali ope et institutione indigeant, hinc eosdem, in opere redemptivo, maxime respicere debuit, et proinde tanquam grave scelus habendum esse voluit si quis eos contempserit.

V. — *Utrum, ex parabola de centum ovibus, inferre liceat maiorem esse numerum iustorum quam reproborum?*

Resp. Negative: etsi enim Patres, interdum, in nonaginta novem ovibus, significari intelligant iustos, et in una ovicula, peccatorem, tamen non licet inde deducere maiorem iustorum prae peccatoribus numerum, cum non huc tendat scopus parabolae, nec in parabolis oporteat singula quaeque applicare. Ceterum, Patrum haud pauci, per nonaginta novem intelligunt angelos, per unam ovem genus humanum: quae quidem interpretatio alteri non repugnat, licet maneat parabolae scopus, scilicet exprimere, utique modo humano, qualis res praecellens sit conversio peccatoris ad Deum. Electorum vero numerus res est nobis omnino impervia.

VI. — *Utrum peccator poenitens sit melior iusto perseverante in bono?*

Resp. Negative, absolute loquendo: immo, comparando statum statui, meliores sunt innocentes quam poenitentes. At, de peccatore poenitente speciale interdum habet Christus gaudium, quia in eo frequenter abundat fervor gratiae, magis quam in eo qui nunquam a gratia deciderit.

SECTIO CXLIX.

(Mt. XVIII, 15-20)

Argumentum. — *Tradit Dominus praeceptum de correctione fraterna; itemque extensionem explicat potestatis clavium Apostolis concedendae; denique declarat magnam efficaciam orationis a pluribus concorditer fusae.*

Ratio Sectionis. — Acto de scandalo vitando, pergit Dominus Apostolos instruens de mutua aedificatione in caritate, cuius verba ab uno S. Matthaeo referuntur, et quidem, sic ut intimo nexu cum praecedentibus coniungantur: cum enim Apostolos docuisset Dominus quam pretiosa sit anima, et quam Deo cara peccatoris conversio, iam modum tradit hominem in scelus prolapsum a via mala, tum privata admonitione, tum auctoritate divinitus tradita, revocandi: ubi, etiam Dominus sermonem interserit de orationis communis apud Deum efficacia.

(*a*) *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum* [1]. *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium*

(*a*) Mt. XVIII, 15-20.

[1] Non solum debemus evitare quominus pusillis scandalo simus, verum etiam nobis conandum est, ut errantium fratrum saluti consulamus, etiamsi illi contra nos in aliquo offenderint: id quippe sibi volunt verba: *si peccaverit in te frater tuus*. Ubi argumentum est a fortiori: si iubet nos Dominus satagere ut delinquens resipiscat quando ille contra nos directe offenderit, multo magis id fieri vult, quando illius offensa nos non tangit, sed tamen a nobis plane cognoscitur. Quod quidem ad fraternam correctionem pertinens, certis regitur normis, quas sapienter exponit S. Thomas ([1]), atque diversis gradibus exercetur. — Primo igitur offensorem clam monere debes, nullo teste, ut nemo alius huius crimen cognoscat; quod si te audiens ille acquieverit, ab ulteriori calamitate eum servasti. — Advertendum tamen, illud *in te,* in plerisque codicibus graecis deesse. — Notandum quo-

([1]) 2 2ae, Quaest. XXXIII.

stet omne verbum [2]. *Quod si non audierit eos, dic ecclesiae* [3]. *Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* [4]. *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo* [5]. *Iterum dico vobis,*

que, id quod dicitur: *Lucratus eris fratrem tuum,* sensum habere, fratris salutem tuum reputabis lucrum, gaudens de eius emendatione, ob amorem benevolentiae quo motus est ad eius conversionem procurandam. — Denique recolendum, praeceptum correctionis vel in veteri Lege latum fuisse, ubi dicitur ([1]): *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum.*

[2] Si offensor te clam monentem spreverit, debes eum coram sapientibus aliquot viris, quos tanquam socios adhibeas, monere; ut iunctis illorum monitis et precibus, delinquentis animus facilius moveatur, et delicti sui gravitatem sincere et humiliter agnoscat. — Pro, *stet omne verbum,* graece est, σταθῇ πᾶν ῥῆμα, quod verti potest, *confirmetur tota res.*

[3] Ecclesia coetus est fidelium sub legitimis pastoribus adunatorum; deferre autem aliquid ad Ecclesiam, idem est ac deferre praefectis Ecclesiae, sicut defertur ad imperium id quod ad ipsum imperii caput, id est, ad imperatorem defertur, hac videlicet ratione, qua in homine caput dicitur videre, audire et loqui pro toto corpore. Ex hoc clare deducitur, Ecclesiam oportere esse notam, manifestam, visibilem atque accessibilem: secus crimen fratris ad eam deferri non posset.

[4] *Sicut ethnicus et publicanus,* ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης, id est, *sicut qui est ethnicus et qui est publicanus.* Quantum ad externam conversationem, illum eo modo habe, quo Iudaei habere solebant ethnicos et publicanos; id est, extra tuam communionem illum facito; et hoc quidem, duabus ex causis: primo, ne talis suo contagio alios inficiat; secundo, ut ille consueto hominum consortio destitutus, pudefactus resipiscat ([2]). — Obiicienti, Ecclesiam nondum institutam fuisse, quando Iesus haec proferebat, facile respondetur, hanc, sicut multas alias Iesu sanctiones, ad illa tempora pertinere, quae resurrectionem consecutura erant.

[5] Haec addit Christus, illorum perversitati occurrens, qui hanc separationem a communione Ecclesiae parvi aut nihili facerent: unde solemniter declarat, sententiam pastorum Ecclesiae in caelo confirmatum iri, et peccatores, iam Ecclesiae decreto a fidelium corpore seiunctos, a Deo

([1]) Levit., XIX, 17. — ([2]) 1 Cor., V, 5; 2 Cor., II, 6

quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in caelis est [6]. *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* [7].

ipso separandos fore. Exhinc didicit Ecclesia catholica eam disciplinae severitatem, qua haereticos et rebelles a sinu suo proiicere consuevit, ut eosdem ad resipiscentiam revocaret. Ex hoc etiam in promptu est ut inferatur Ecclesiae pastoribus potestatem competere remittendi atque retinendi peccata.

[6] Hucusque locutus est Dominus de servanda vel reparanda concordia: nunc autem fructum caelestis huius concordiae demonstrat. Nimirum, si mutuam coluerimus concordiam, nihil petemus quod non impetrabimus: vim enim Deo inferre videtur animorum consensio.

[7] Si corporaliter spiritualiterque fideles in Christi nomine ad orandum sint congregati, ibi Dominus in eorum medio erit per Spiritus Sancti directionem, ac piam gubernationem, necnon precum gratiosam exauditionem. Hinc credendum est generales Synodos atque Concilia oecumenica a Spiritu Sancto regi, atque Christum clementer adsistere in medio congregationis fidelium cum pastoribus, dummodo tamen id fiat recta et supernaturali intentione, non privati boni promovendi causa, sed unice in gloriam Christi, quod significatur verbis: *in nomine meo:* graece, εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, *in meum nomen,* quasi in finem et terminum ad quem tendere debet illa fidelium adunatio: secus erit congregatio Satanae, ut non semel evenisse historia testatur.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum in correctione fraterna, debeat ex necessitate praecepti, admonitio secreta praecedere denuntiationem?*

Resp. Secreta admonitio debet praecedere publicam delinquentis denuntiationem, ubi peccata occulta sunt, et non sunt contra comune bonum; ubi vero publica peccata sunt, vel occulta contra bonum commune commissa, non est semper necesse ut praecedat secreta admonitio; sed interdum, hac omissa, procedendum est ad denuntiationem: quando enim imminet periculum multitudinis, non habent ibi locum haec verba Domini, quia, ut dicitur, salus populi suprema lex.

II. — *Utrum subditi praelatos suos corripere debeant?*

Resp. Affirmative, loquendo de vitiis manifestis et correptione dignis, servatis tamen debitis circumstantiis temporis, loci et modi. Unde Colossenses Apostolus adhortatur, ut episcopum suum, scilicet Archippum, filium Philemonis, cui Paulus brevem ac specialem epistolam scripsit, admoneant, dicens (1): *Dicite Archippo: Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas.* Moyses quoque, licet angelico perfrueretur colloquio ac magisterio, viri tamen gentilis Iethro increpationem et informationem recipere non dedignatus est (2). Imo quo praelatus pluribus occupatur atque distrahitur, eo diligentiori indiget admonitione, nisi forte sit perfectissimus, quod tamen nullus de se sentire praesumat. Decet igitur praelatum mansuetam subditorum suorum correptionem humiliter atque pacifice suscipere.

III. — *Quomodo cum verbis Domini componitur id quod habet S. Augustinus in Regula* (3): PRIUS PRAEPOSITO DEBET OSTENDI, *etc.*

Resp. Non intendit dicere S. Augustinus, antequam testes invocentur, ad praelatum, qua praelatus est, recursum debere fieri; sed, quia ob suum perfectiorem gradum, magis ille potest prodesse, quam alius quicumque, ideo suadet S. Doctor ut prius ad eum recursus fiat. Non est igitur sensus, antequam secreta fiat monitio, rem praeposito, tanquam homini in loco iudicis residenti, formaliter denuntiandam esse (4).

IV. — *Qua mente debet correptus correptionem recipere?*

Resp. Debet correptus correptionem patienter et cum gratiarum actione recipere, iuxta illud (5): *Corripiet me iustus in misericordia et increpabit me;* et rursus (6): *Quam bonum est correptum ostendere poenitentiam!* Hinc Seneca: *Moneberis libenter, et reprehenderis patienter. Si merito obiurgavit te aliquis, scito quia profuit; si immerito, scito quia prodesse voluit. Non acerba, sed blanda timeas verba.*

V. *Utrum per haec verba:* DIE ECCLESIAE, *intelligendum sit denunciationes necessario faciendas esse toti multitudini fidelium?*

Resp. Negative: cum enim aliam societatis formam Apostoli non cognoscerent, nisi eam qua summa rerum potestas penes seniores magistratusque sacros residet, hinc verba haec sponte intellexerunt de iudicio instituendo forma illa consueta in synagoga, qua

(1) Coloss., IV, 17. — (2) Exod., XVIII, 14-26. — (3) Cap. III. — (4) 2 2ae, Quaest. XXXIII, art. 8, ad 4m. — (5) Ps. CXL, 5. — (6) Eccli., XX, 4.

huiusmodi causae praesulibus dirimendae deferebantur. Cum hoc tamen stat, in primitiva Ecclesia, peccatores denunciatos fuisse toti ecclesiae alicuius loci, id est, christianis cum suo episcopo congregatis; postea vero, cum remissa iam foret disciplina, denunciationes factae sunt tantummodo ad praesides ecclesiae, ad quos etiam pertinuit peccatores iudicare et excommunicare, annuente fidelium multitudine.

VI. — *Utrum potestas ligandi atque solvendi Apostolis promissa, aequalis fuerit potestati Petri?*

Resp. Negative, cum promissio potestatis omnibus Apostolis facta non evacuet aut limitet potestatem uni Petro iam promissam. Nimirum, si pluribus dictum fuisset: *Vos eritis principes Ecclesiae,* non censeretur unusquisque eorum totius Ecclesiae princeps eo modo futurus, quo ille, cui soli, et quidem coram ceteris, dictum fuisset: *Tu eris princeps Ecclesiae.* Ille igitur, cui soli dictum est: *Tibi dabo claves regni caelorum; et quaecumque,* etc., intelligi debet, in gubernatione regni caelorum, caeteris praepositus.

VII. — *Utrum excommunicatio iudaica eadem fuerit ac excommunicatio christiana?*

Resp. Negative: licet enim excommunicatio ecclesiastica quodammodo successerit excommunicationi iudaicae, illamque continuaverit, longe tamen alterius est virtutis: sicut, de cetero, omnia quae Christus instituit, licet quodammodo praeextiterint in Synagoga, novam tamen ac perfectiorem naturam induerunt, ut videre est in sacramentis et sacrificiis, necnon in ritibus caerimonialibus, atque, quod ad rem nostram propius facit, in praeceptis iudicialibus. Igitur, in Lege nova, poenae essentialiter spirituales sunt; in Lege veteri autem, poenae potius materiales erant: scilicet, poena mortis pro gravioribus criminibus; poena damni pro furto, sicut cum fur condemnabatur ad quintuplum vel quadruplum; poena vinculorum, ignominiae, talionis, etc. ([1]).

([1]) Vide S. Thom., 1 2ae, Quaest. cv. art. 2, ad 10m.

SECTIO CL.

(Mt. XVIII, 21-35; L. XVII, 3-4).

Argumentum. — *Proponit hic Dominus doctrinam de iniuria offensori nostro dimittenda: quam doctrinam confirmat, inducta parabola de rege rationem ineunte cum servo suo, cui dominus debitum decem millium talentorum remiserat, qui tamen alteri denarios centum sibi debitos remittere renuit.*

Ratio Sectionis. — Praeceptum Christo carissimum, de condonandis iniuriis, uterque Evangelista S. Matthaeus et S. Lucas, concorditer proponunt: ille quidem immediate post praemissa in Sectione praecedenti, hic vero, capite illo decimo septimo, ubi plura simul Domini praecepta congeruntur, et quidem statim post admonitionem de scandali gravitate *. Parabolam tamen de rege cum servis rationem ineunte solus refert S. Matthaeus; ambigi autem non potest, quin eadem historia, tum ob ordinem penes hunc Evangelistam servatum, tum ob materiae affinitatem, cum iis quae immediate praecedunt ** hoc loco debeat recenseri.

(*a*) ATTENDITE *vobis: si peccaverit in te frater tuus, increpa illum, et si poenitentiam egerit, dimitte illi* [1]. *Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Poenitet me, dimitte illi* [2]. (*b*) Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: *Domine, quoties peccabit in*

(*a*) L. XVII, 3-4. — (*b*) Mt. XVIII, 21-35.

[1] Primo, resumit hic Dominus praeceptum de correctione fraterna, de qua, ex professo, in praecedenti Sectione actum est: ubi statim advertendum est, illud *in te,* etsi in pluribus graecis codicibus deest, hic certe intelligi debere, ut liquido apparet ex sequentibus verbis, *dimitte illi.* Igitur, si frater tuus sponte, vel te suaviter monente aut amicis adhortantibus, resipuerit, pristinam illam amicitiam reddito, praeteritorum oblitus, ac amici fratrisque loco illum ut antea, habeto. At per hoc non excluditur, quin etiam non poeniteuti et veniam non poscenti ignoscere debeamus, scilicet quantum ad culpae et odii remissionem.

[2] Si septies in die, id est persaepe, in te peccaverit frater tuus,

* Sect. CXLVII, p. 323, seq. — ** Sect. praec., p. 332, seq.

me frater meus, et dimittam ei? usque septies [3]*?* Dicit illi Iesus: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies* [4]*. Ideo assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis* [5]*. Et cum coepisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta* [6]*. Cum autem non haberet unde redderet, iussit*

ubi illum poenituerit, tu ex corde illi dimitte. Quod autem septenario numero universitas hic designetur, clare apparet ex sequenti Petri interrogatione et Christi responsione. — Pro eo quod legitur: *Septies in die conversus fuerit ad te,* in graeco est: ἑπτάκις ἐπιστρέψῃ πρὸς σέ, *septies revertatur ad te.* Exaggerat Dominus culpae frequentiam, quo melius intelligamus, debere nos semper paratos esse ad ignoscendum, cum tamen vix credi possit ut quis septies in die nos offendat.

[3] Septenarium numerum, quem Dominus iam assignaverat ([1]), statuit vicissim Petrus, ratus rem ingentem se proponere, si usque septies fratri debitum dimiserit. Videtur Apostolus, quaestionem hanc proponendo, respectum habuisse ad septenarium numerum, qualis in Scriptura saepius recensetur et vim quamdam symbolicam obtinet.

[4] Graece legitur, ἑβδομηκοντάκις ἑπτά: quod verti potest, vel per additionem, scilicet, septuaginta septem vicibus ([2]), vel facta multiplicatione, id est, quater centies et nonagies. Porro, haec altera interpretatio melior est, et ad metaphoram pertinet, qua delicti et veniae universitas significantur; *omnia enim peccata dixit, quando septuagies dixit,* ait S. Augustinus ([3]); et S. Hieronymus ([4]): *Ut toties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ille peccare possit.*

[5] Regnum caelorum hic significat statum Ecclesiae militantis quae et pugnae et contradictioni obvia est, et in qua nondum est perfecta pax et concordia animorum. Vult igitur caelestis Praeceptor, proposita opportuna parabola de rege rationem cum servis suis ponere volente, magis magisque ea commendare, quae de iniuriarum venia docuerat: hinc rite exorditur per vocem *ideo.* — *Homo rex* ponitur pro *homo regius,* ἄνθρωπος βασιλεύς.

[6] Debitum hoc ingentissimum est, correspondens debito circiter sexaginta millium millium (sexaginta millionum) libellarum pecuniae gallicae: si, ut videtur, de talentis atticis agitur; hebraea enim talenta duplo maioris pretii erant. Ideo autem tanta ponitur summa, ut intelligamus quam ingens sit debitorum nostrorum

([1]) Luc., XVII. 4. — ([2]) Cf. Gen., IV, 24, secundum Septuaginta. — ([3]) Quaest. 83 de Verbis Evang., n. 7. — ([4]) Hoc loco.

eum dominus eius venumdari, et uxorem eius, et filios, et omnia quae habebat, et reddi [7]. *Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi* [8]. *Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei* [9]. *Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios* [10], *et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes* [11]. *Et procidens conservus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi* [12]. *Ille autem noluit: sed abiit, et*

pondus erga Deum. Promiserat Aman, quo facilius regem Assuerum ad gentem Hebraeorum exterminandam induceret, aerarium regium summa decem millium talentorum se locupletaturum (1).

[7] Cuncta quae habebat servus iussit dominus sibi tradi, in satisfactionem debiti. Debitor, qui solvendo par non esset, creditoris servus fiebat: eadem quoque sors uxoris erat et filiorum (2); servi vero non secus ac bruta animalia vendebantur.

[8] Μακροθύμησον ἐπ' ἐμοί, quod est, *patiente animo esto erga me.* Non aliud igitur postulat, nisi dilationem in solvendo debito, quod ultro agnoscit, spondens se omnia facturum ut solvat.

[9] Multo plus concedit dominus, quam petierat servus: nam et illum liberum abire permittit, et totum ei debitum condonat: τὸ δάνειον ἀφῆκεν αὐτῷ, quod sibivult, pecuniam cum usuris. — En quanta est Dei in nos misericordia, quando veniam nobis humiliter petentibus omnia simul peccata, nullo excepto, remittit.

[10] Sicut nullus est, qui non sit Dei debitor, ita nullus est, in quem homo aliquando non peccaverit. *Omnis homo,* ait S. Augustinus (3), *et debitor est Dei, et debitorem habet fratrem suum.* Minima autem haec summa est, quam hic conservo debebat, quinquaginta nempe circiter libellis aequivalens, ideoque nulla ex parte cum ingenti illa summa comparanda, quam dominus priori servo condonaverat. Ex hoc clare patescit quam immensum discrimen intercedat inter id quod nos Deo debemus, et id quod nobis debet frater noster.

[11] Illum apprehendens inter collum et tunicam ac violenter trahens, fauces illius pene elidebat.

[12] Eisdem omnino verbis hic utitur, quibus prior servus dominum suum exoraverat: ex quo videretur servus hic ad misericordiam flecti debuisse. — At-

(1) Esther, III, 9. — (2) Cf. Levit. XXV39, 47; 4 Reg., IV, 1. — (3) Serm. LXXXIII de Verbis Dom., c. 2.

misit eum in carcerem, donec redderet debitum [13]. *Videntes autem conservi eius quae fiebant, contristati sunt valde: et venerunt, et narraverunt domino suo omnia quae facta fuerant* [14]. *Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum* [15]? *Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum* [16]. *Sic et Pater meus caelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris* [17].

tamen, in graeco, vox *omnia* ut plurimum desideratur.

[13] En quam crudeliter hic agit. cum exemplum domini sui sequi debuisset, conservum, e contra, violenter corripit, et correptum, ut videtur, ad iudicem trahit, in carcerem coniiciendum.

[14] Tanta perspecta inhumanitate in eo quem regis clementia summo beneficio ditaverat, conservi iram simul et commiserationem concipiunt, atque in tam crudelem hominem excandescunt, rem totam domino diligenter exponentes. — Ex hoc loco deducimus, laudandos esse, nec tamquam delatores habendos, qui fratrum peccata, quae vident aliter non posse corrigi, ac vergere in detrimentum publicae disciplinae, ex zelo iustitiae, punienda vel corrigenda, ad superiorem referunt.

[15] Plus fecerat dominus, quam a servo rogatus fuerat: hic enim, ut diximus, rogaverat de dilatione, ille autem totum debitum remiserat: unde merito servus hic acriter reprehenditur de ingratitudine et crudelitate, eo minus venia dignis, quo maiori ipse beneficio gratis fuerat donatus. — In graeco fit vis in nomine debitum: πᾶσαν τὴν ὀφειλὴν ἐκείνην, quasi dicat: *totum illum ingens debitum.* — Non dixit dominus: *Nonne oportuit te donare debitum;* sed: *Nonne oportuit te misereri:* si enim nolebat illum in tanta liberalitate imitari, debebat saltem erga eum uti misericordia, dilationem solutionis concedendo.

[16] Non solum carceri mancipat dominus hunc hominem, sed illum etiam torquendum iubet: nam, *iudicium sine misericordia, illi qui non fecit misericordiam* ([1]). — In graeco nomine *tortoribus,* βασανισταῖς, respectus habetur ad *locum tormentorum,* βασάνου, ad quem dives epulo damnatus legitur ([2]).

[17] Clara parabolae applicatio: ponit Deus, tanquam conditionem veniae a se nobis concedendae, iniuriarum remissionem,

([1]) Iac., II, 13. — ([2]) Luc., XVI. 28.

non qualemcumque, sed quae ex corde procedat. *Si hoc quod in nos delinquitur,* ait S. Gregorius Magnus (1), *ex corde non dimittimus, et illud rursus a nobis exigitur, quod nobis iam per poenitentiam dimissum fuisse gaudebamus.* — Advertendum omnino est ad verba: *De cordibus vestris,* ἀπὸ τῶν καρδιῶν ὑμῶν, quibus omnis fictae pacis simulatio evertitur.

QUAESTIONES.

I. — *Quomodo concipi potest servum tam ingenti debito gravatum fuisse?*

Resp. Per servum illum, praegrandi debito gravatum, rite intelligi potest superior minister, qui dum curam haberet domum ac bona domini sui regendi atque administrandi, in hoc munere illius fiducia abusus, bona sibi commissa dissipavit: quod quidem difficile non videbitur admissu, si ad ingentes divitias antiquorum orientalium principum respectus habeatur; at, maxime attendendum hic est ad Christi intentionem, qui nos docere volebat quanto erga Deum, per peccatum, debito teneamur, et quam parvum sit, si ad hoc comparetur, proximi nostri erga nos debitum.

II. — *De quanam obligatione hic sermo est, cum dicitur:* NON OPORTUIT ET TE MISERERI, *etc.?*

Resp. Si agatur de debito rei aut pecuniae solvendo, sermo hic nequit esse de obligatione legali, seu strictae iustitiae, cum non tenear ego debitori meo remittere, ex eo quod aliquis creditor debitum mihi remiserit; sed sermo est de quadam obligatione morali, scilicet, ex honestate atque decentia resultante: videtur quippe id in iniuriam communis domini vergere, si quis conservum suum ita severe tractet, post tale ac tantum acceptum beneficium. — Quod si agatur, ut est finis parabolae, de debito iniuriarum, dicendum est hic strictum contineri praeceptum de illarum remissione, ut patet ex ultimis verbis: *Sic et Pater meus caelestis faciet vobis,* etc.

III. — *Utrum, ex verbis:* QUOADUSQUE REDDERET UNIVERSUM DEBITUM, *inferre liceat damnatorum tormenta, in inferno, finem aliquando fore habitura?*

Resp. Negative: infinitum enim est damnatorum debitum, nec illi habent unde solvere queant: unde, pro eis, universum debitum

(1) L. IX Dialog., cap ult.

reddere, est poenas aeternas dare. Ceterum, conditionem illam, in casu praesenti, verificari non posse, ex hoc eruitur, quod antea dictum sit, homini illi deesse unde redderet ([1]); quapropter ad ornatum parabolae posita dicenda est.

IV. — *Utrum etiam in veteri Lege praeciperetur dimissio iniuriarum?*

Resp. Affirmative: sic enim expresse legitur ([2]): *Non quaeras utionem; nec memor eris iniuriae civium tuorum. — O saluberrimum documentum,* exclamat Dionysius Cartusianus ([3]), *dogma non solum mosaicum, sed evangelicum quoque!... Vae illis qui tam faciliter irascuntur, et difficulter ignoscunt, imo memoriae suae inscribunt, si eis in aliquo forefiat* ([4])*!*

V. — *Utrum omnia, in hac parabola posita, sint extendenda?*

Resp. Negative: sed attendendum est ad finem parabolae, qui est, ut declaretur, primo, quanto maior sit nostra in Deum offensa, quam quaecumque proximi nostri in nos iniuria possit esse; secundo, quam facile nobis humiliter petentibus Deus debita, etiam ingentissima, condonet; tertio, debere nos eamdem proportionaliter misericordiae mensuram erga nostrum offensorem adhibere; quarto, si id non fecerimus, divinam nos incurrere indignationem. Cetera ergo ad emblema, seu ornamentum parabolae pertinent, nec extendi debent: puta, venditio uxoris et filiorum; accusatio conservorum apud dominum; reviviscentia debiti iam remissi, etc.

VI. — *Utrum peccata iam dimissa, per subsequentem ingratitudinem, revertantur?*

Resp. Id quidem videretur inferendum ex ultimis huius parabolae verbis; at, cum dona Dei sint sine poenitentia ([5]), et misericors illius opus per hominis peccatum irritari non possit, hinc dicendum, peccata praeterita iam remissa, per quodcumque subsequens peccatum, non reverti eadem, nec quantum ad maculam, nec quantum ad reatum poenae aeternae eisdem debitae. Attamen, huiusmodi peccata quodammodo redire dicuntur per subsequens peccatum, et signanter per ingratitudinem, quatenus, ratione huius novi peccati, redit macula animam privans gratia, et hominem faciens poenis aeternis obnoxium; praeterea, ob remissionem factam de praecedentibus peccatis, augetur gravitas posteriorum peccatorum, quae

([1]) Vers. 25. — ([2]) Levit., XIX, 18. — ([3]) In h. l. Levit. — ([4]) *Forefacere,* seu *forisfacere,* verbum est infimae latinitatis, cuius sensus est *offendere,* quasi *facere foris.* — ([5]) Rom., XI, 29.

proinde Deus severius punit quam priora peccata, in quantum contemnitur Dei beneficium, quo illa peccata remiserat. Quocirca, per ingratitudinem indultae pietatis, redire dicitur praecedens debitum, non absolute, sed in quantum quantitas peccatorum praecedentium proportionaliter invenitur in ingratitudine subsequente et propter maius periculum reincidendi in eadem mala, sicut periculosius est eamdem corporis partem, quae semel laesa est, vulnerari (1).

VII. — *Utrum etiam non poenitenti, nec petenti, offensam dimittere debeamus?*

Resp. Affirmative; si enim iubemur orare pro persequentibus et calumniantibus nos, iubemur quoque eisdem, quantum in nobis est, dimittere, prout Christus et martyr eius Stephanus exemplo suo nos instruunt, cum pro interfectoribus Patrem oraverint: *Dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt* (2). Igitur, semper dimittenda est iniuria, quantum ad culpam, ut scilicet qui offenderit diligatur; ad perfectionem autem caritatis pertinet, ut quis poenam etiam vel satisfactionem offensori relaxet, nisi id in detrimentum rei publicae vergeret, aut in damnum ipsius offensoris, dum ex tali venia, impudentior redderetur ad perpetranda iniqua. — Contra id quod diximus, debere nos offensori, etiam non poenitenti, dimittere iniuriam, posset obiici, Deum nobis, nonnisi contritis, ignoscere, non posse autem perfectius quid a nobis expeti, quam quod ipse Deus praestiterit. At respondetur, Deum revera non minus erga offensorem praestare, quam nos ipsi utcumque praestemus: cum homini peccanti gratiam sufficientem in promptu teneat, qua et convertatur et vivat, cui si homo respondeat, ex eius inimico fiet amicus, et hoc quidem totum est ex divina gratia.

(1) Tract. de Poenit., Quaest. LXXXVII, art. 1-3, pp. 198, seq. — (2) Luc., XXIII, 34; cf. Act., VII, 59.

SECTIO CLI.

(Mt. XIX, 1; Mc. X, 1; L. IX, 51-56; I. VII, 2).

Argumentum. — *Iacobum et Ioannem, ignem e caelo in Samaritanos elicere volentes, severe Iesus reprehendit.*

Ratio Sectionis. — Completa instructione ad Apostolos in domo ad quam Capharnaum diverterat, Iesus inde proficiscitur, Hierusalem versus. Utrum vero idem omnino sit iter, de quo quatuor Evangelistae, in hac Sectione ordinatim citati, loquuntur, non omnes conveniunt interpretes, unde praesentem concordiam, utique tanquam probabilem, rem autem omnino necessariam proponimus. Ab Scenopegia, vel festo Tabernaculorum, quod hic recensetur, ad Pascha, in quo Iesus occidendus erat, spatium sex vel septem mensium commode potest assignari. Porro, unus S. Lucas narrat filiorum Zebedaei temerariam imprecationem et subsequentem Iesu reprehensionem.

(*a*) T factum est, cum consummasset Iesus sermones istos, (*b*) inde exurgens [1], (*c*) dum complerentur dies assumptionis eius [2], et ipse faciem suam firmavit, ut iret in Ierusalem [3]. (*d*) Erat autem in proximo dies festus

(*a*) Mt. XIX, 1. — (*b*) Mc. X, 1. — (*c*) L. IX, 51. — (*d*) I. VII, 2.

[1] *Exurgens,* ἀναστάς, non sensum habet, Iesum a sessione surrexisse, sed ex loco ubi erat, scilicet, ex Galilaea ([1]), et signanter ex Capharnaum ([2]), profectum fuisse.

[2] Per *assumptionem,* ἀνάλημψιν, hic significatur tempus quo Iesus, per passionem et mortem, a mundo tolli debebat, ut ad caelum, unde descenderat, reverteretur. Decebat Salvatoris mortem vocabulo designari eius dignitati atque maiestati congruente, cum mors eius aliud revera non foret futura, nisi transitus de hoc mundo ad Patrem ([3]).

[3] Firmiter et constanter statuit Iesus hierosolymitanum iter aggredi, cum tamen sciret mysterium passionis suae ibidem fore complendum, seque tanquam agnum immaculatum et mansuetum Patri pro nobis offerendum. Ex verbis quibus hic utitur Evangelista, deducendum videtur hoc

([1]) Marc., IX, 29. - ([2]) Ibid., 32. — ([3]) Io., XIII, 1.

Iudaeorum, Scenopegia [4]. (*a*) Et misit nuntios ante conspectum suum [5] ; et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi [6]. Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem [7]. Cum vidissent autem discipuli eius Iacobus et Ioannes, dixerunt : *Domine, vis*

(*a*) L. IX, 52-56.

esse ultimum iter Iesu in Iudaeam, ubi vitam positurus erat : unde in Galilaeam non erat amplius reversurus, saltem ad longiorem commorationem.

[4] Festum Scenopegiae seu Tabernaculorum, graece σκηνοπηγία, celebrabatur a Iudaeis in Hierusalem, die decima quinta mensis Tizri, qui mensis partim cum Septembri, partim cum Octobri coincidit. Octo autem dies perdurabat festum illud ([1]), quod institutum fuerat in memoriam commorationis Hebraeorum in tabernaculis, seu papilionibus, per annos quadraginta, post egressum de Aegypto. — Hoc festum unum erat e tribus solemnioribus, per quae omnes viri Hierusalem convenire iubebantur ([2]).

[5] Cum Iesus iter faciens, multitudine, ut plurimum, stiparetur, nec annonam secum ferret, hinc nuntios praemittere solebat, qui proximum suum adventum incolis illius loci notum facerent, ut domicilium praesto ipsi esset, et populus moneretur ad instructiones eius audiendas. — Censent plerique, Iacobum et Ioannem hac occasione a Iesu missos fuisse, ut colligere est ab eorum indignatione ob habitam a Samaritanis repulsam.

[6] Graece, εἰς κώμην Σαμαρειτῶν, id est, *in vicum Samaritanorum :* ex quo rite infertur eos non in primariam, aut veterem urbem Samariam ingressos fuisse, sed in minorem aliquam civitatem seu pagum. Dici potest Iesus iam in civitatem illam ingressus fuisse, cum nuntium accepit ab iis quos praemiserat, se ibidem non iri receptum.

[7] Aegre ferebant Samaritani Iudaeos, Hierosolymam ad solemnitates se conferentes, in terra sua commorari, eosque hospitio excipere nolebant, ob praesumptam suam opinionem, in monte Garizim, potius quam Hierosolymis, Deum debere adorari ([3]). Quamvis igitur alio quovis tempore, humanitatis officiorum non immemores, Iesum eiusque comites utique exceperant, nunc quia illum videbant, contra Samaritanae gentis traditionem,

([1]) Levit., XXIII, 34 ; cf. Deut., XVII, 13; cf. etiam Exod, XXXIII, 16, ubi festum illud vocatur *collectionis*, scilicet frugum. — ([2]) Cf. supra, Sect. XV, quaest. I, Vol. II p. 106. — ([3]) Supra, Sect. XXXV, n. 17. Vol. I, p. 234.

dicimus ut ignis descendat de caelo. et consumat illos [8] ? Et conversus increpavit illos, dicens: *Nescitis cuius spiritus estis* [9]. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare* [10]. Et abierunt in aliud castellum [11].

Hierosolymam, adorationis causa, se conferentem, hospitium illi denegant.

[8] Iacobus et Ioannes ad id petendum ipsa sui fervidiori indole moti fuisse dicendi sunt, ob quam a Domino cognominati fuerant Boanerges, id est, filii tonitrui ([1]); quocirca iustum et aequum existimarunt a Dominum licentiam petere fulgura excitandi, ignemque de caelo super inimicos eliciendi, quemadmodum Moyses ([2]), Samuel ([3]) et Elias propheta ([4]) olim praestitisse leguntur. Ceterum, in pluribus codicibus graecis, post verba, *et consumet illos,* additur: ὡς καὶ Ἠλίας ἐποίησε, *quemadmodum et Elias fecit.*

[9] Nomen *spiritus,* hic, pro animi habitudine, more et affectu usurpatur. Vult igitur dicere Christus: Non plane cognoscitis quo spiritu ducimini, nec nimius huiusmodi vester fervor ac excessiva severitas mihi probatur, cum spiritum suavitatis, clementiae ac misericordiae prae me feram. — *Ut ostenderet,* ait S. Ambrosius ([5]), *quia non habet ultionis studium perfecta virtus, nec ulla sit iracundia, ubi plenitudo est caritatis, nec excludenda infirmitas, sed iuvanda. Procul a religiosis indignatio, procul a magnanimis cupiditas ultionis.*

[10] Hoc iam alias edixerat Christus ([6]): *Non misit Deus Filium suum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Talis erat intima Cordis Iesu dispositio, ut per benignitatem, mansuetudinem et clementiam peccatores Deo lucrifaceret; huncque volebat esse suorum discipulorum morem, ut scilicet per patientiam, humilitatem et caritatem, non autem armorum vi, animas hominum converterent. — Advertendum, pericopen, *dicens,* usque ad *salvare,* in multis codicibus graecis desiderari; attamen, ubi legitur, additur particula γάρ, *enim,* scilicet: *Filius enim hominis non venit,* etc., his nempe verbis causa etiam tangitur, cur id fieri non debuerit quod Boanerges optabant.

[11] In illam igitur civitatem non ingressus est Dominus, sed nec, ut inferendum videtur, in aliam Samariae urbem se contulit, sed potius ad aliquod castellum diversae gentis, seu gentis non samaritanae, divertit, ut eruitur ex verbis: εἰς ἑτέραν κώμην, quatenus nempe vox, ἕτερος, non

([1]) Marc., III, 17. Sect. LXX. Vol. I, p. 414. — ([2]) Exod., IX, 23. — ([3]) 1 Reg. XII, 17. — ([4]) 3 Reg., XVIII, 22; 4 Reg., I, 9. — ([5]) In Luc., l. VII, n. 28. — ([6]) Io., III, 17.

sempliciter *alium*, ut vox, ἄλλος, sed omnino *diversum* significat. Quonam autem diverterit Iesus, non plane constat ; sed, ut ex sequenti Sectione deducitur, commoratus est in aliquo vico in finibus Galilaeae, forsitan in Nazareth, ubi erant eius propinqui (1).

QUAESTIONES.

I. — *Cur misit Iesus nuntios ad illam civitatem, cum probe sciret fore ut ab illius incolis minime reciperetur ?*

Resp. Volebat Iesus ut discipuli sui sustinendae repulsae assuefierent, atque se contemni paterentur ob apostolicum ministerium ; aliunde, nil intentatum relinquere volebat bonus pastor, ut Samaritanos illos lucrifaceret, unde inexcusabiles fierent : sic plurimis Iudaeorum ipsemet praedicavit, quos tamen ex sua praedicatione sciebat futuros peiores.

II. — *Utrum peccaverint Iacobus et Ioannes, ignem de caelo super illos homines evocantes ?*

Resp. S. Ambrosius ab omni culpae reatu hos Apostolos ultro absolvit, scribens (2) : *Nec discipuli peccant qui legem sequuntur : sciebant enim et Phinees reputatum ad iustitiam, quia sacrilegos interemerat ; et ad preces Eliae ignem descendisse de caelo, ut prophetae vindicaretur iniuria.* At, contra, Venerabili Bedae videtur Apostolos, adhuc rudes, ista dixisse quodam appetitu vindictae motos ; quod tanquam probabilius ea Christi reprehensione colligitur : et revera, praesumptionis fuisse videtur quod, licet adhuc valde imperfecti, potestatem hanc, ad imitationem insignium illorum virorum usurpare voluerint. Forsitan eos quoque movebat zelus quidam imperfectus, ex sua ad Christum consanguinitate derivatus.

III. — *Cur non sit reprehensione dignus S. Petrus, cum Ananiae et Sapphirae, ob eorum fraudem et mendacium, mortem verbo intulit* (3) *?*

Resp. Petrus id de se non fecit ; sed, ut ex contextu apparet, spiritu prophetico actus, mortem avaris illis praedixit et denuntiavit, ob iniuriam ab eis Spiritui Sancto irrogatam.

IV. — *Utrum verba :* NESCITIS CUIUS SPIRITUS ESTIS. FILIUS HOMINIS NON VENIT ANIMAS PERDERE, SED SALVARE (4), *quae apud multos testes desunt, revera sint authentica ?*

Resp. Affirmative, cum non videatur cur verba haec in tot

(1) Infra, p. 351. - (2) In Luc., l. VII, n. 27. — (3) Act., V, 5, 10. — (4) Luc., IX, 55, 56.

codicibus, eisque variis, introducta fuissent, cum aliunde a praecedentibus verbis: *Et conversus increpavit illos* (1), postulentur, et omnino doctrinae Domini cohaereant (2): quod eo vel magis dicitur, quia in codicibus, ubi haec verba inveniuntur, concorditer referuntur, dum in interpolatis textibus, magna solet diversitas inveniri (3). — Potest autem et omissionis causa duplex assignari: prior, aberratio amanuensium, ob similitudinem priorum litterarum huius pericope, scilicet καιειπ, cum prioribus litteris pericopes subsequentis, καιεπ (4); altera, quod immediate ante verba: *Et conversus increpavit illos,* in quibusdam codicibus, ut diximus, legitur: *Sicut Elias fecit;* hinc potuit amanuensis verba illa omittere, ne putaret lector, voluisse Dominum etiam Eliam in hac reprehensione comprehendi.

(1) Luc., IX, 55. — (2) Cf. Matth., XVIII, 11. Supra, Sect. CXLVIII, Quaest. IV, p. 330. — (3) Cf. 1 Io., V, 7. — (4) Scilicet, pro *dicens*, legitur καὶ εἶπεν; pro *et abierunt*, καὶ ἐπορεύθησαν.

SECTIO CLII.

(Mt. XIX, 1 ; I. VII, 3-10).

Argumentum. — *Instantibus Christi consanguineis ut ipse ad diem festum ascenderet, quatenus sic mundo se manifestare posset, primo quidem Iesus recusat; postea autem revera ascendit, non tamen manifeste, sed quasi in occulto.*

Ratio Sectionis. — Quomodo Galilaeae urbes et vicos perambulaverit Iesus, miracula faciendo et plebem discipulosque docendo, a synopticis Evangelistis sat narratum erat, ut S. Ioannes ab eadem historia recitanda sibi abstinendum duceret. Quocirca, post sermonem de promissione Eucharistiae, cum breviter innuisset Iesum in Galilaeam ambulasse *, praetermisso huiusmodi ministerio galilaico, statim transit ad narrandum eius iter in Hierusalem, necnon praedicationem et ministerium in Iudaea. Proximum enim erat, ut dictum est **, festum Scenopegiae seu Tabernaculorum, et nonnulli Christi secundum carnem propinqui, veriti ne Iesus amplius Hierosolymam petere vellet, illum adeunt in illa civitate, ubi versabatur post acceptam a Samaritanis repulsam. Nonnulla verba ex S. Matthaei Evangelio hic inseruntur, quae ad eumdem Christi egressum a Galilaea referuntur.

(*a*) DIXERUNT autem ad eum fratres eius : *Transi hinc, et vade in Iudaeam, ut et discipuli tui videant opera tua quae facis* [1]. *Nemo quippe in occulto quid facit, et quaerit ipse in palam esse* [2]: *si haec facis, manifesta teipsum*

(*a*) I. VII, 3-10.

[1] Fratres Domini vocantur eius affines vel consobrini, ut iam dictum est ([1]) ; discipuli vero hic recensiti, illi sunt qui, in Iudaea existentes, Christum corporaliter non sequebantur, etsi ei fide adhaerebant : in pluribus autem locis existebant ; ex iis vero nonnulli occulte, alii vero publice illius doctrinam profitebantur. Fratres Christi vero, non secus ac turbae, cum testes fuissent miraculorum a Iesu in Galilaea patratorum, magna tenebantur exspectatione regni messianici, quod tamen temporale futurum esse existimabant ([2]).

[2] Verba haec sunt hominum adhuc carnalium et humanas laudes amantium : sic vero univer-

* VII, 1. Sect. CXXVI, p. 211. — ** Sect. praec., n. 4, p. 345.
([1]) Cf. infra, quaest. 1, p. 350. — ([2]) Io., VI, 15. Sect. CXVII, n. 6, p. 171.

mundo [3]. Neque enim fratres eius credebant in eum [4]. Dicit ergo eis Iesus: *Tempus meum nondum advenit* [5]; *tempus autem vestrum semper est paratum* [6]. *Non potest mundus odisse vos; me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo quod opera eius mala sunt* [7]. *Vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est* [8]. Haec cum dixisset, ipse

saliter prolata vera non sunt, cum Elias et Eliseus pueros defunctos in cubiculo suscitaverint et Christus ipse archisynagogi filiam privatim ad vitam revocaverit, insuper et multos a se curatos prohibuerit ne se publicarent.

[3] *Manifesta teipsum mundo,* per miracula, quae sunt signa divinae omnipotentiae. Sic, diabolus, sub falsa pietatis specie, homini christiano saepe suggerit, ut praeclara opera coram omnibus perficiat, ut laudem inde capiat.

[4] Fratres, seu cognati Christi, inter quos connumerari possunt aliqui ex eius discipulis, utique credebant potestatem ei esse miracula patrandi, secus non tam fidenter ei dixissent: *Manifesta teipsum mundo;* credebant quoque illum a Deo missum fuisse, et teneri etiam potest eis, vel saltem nonnullis ex ipsis, perspectam, saltem confuse, fuisse divinam eius originem: at imperfecta erat fides illa, cum de temporali gloria nimis essent solliciti, et Dei sapientiam, carnali suo sensu, praecedere praesumerent.

[5] Nondum advenit tempus a Patre definitum ut patiar, post quod tantummodo venire potest tempus glorificationis meae: hanc vos glorificationem, etsi materiali modo intellectam, utique accelerare vultis, quatenus ad vos usque hominum laus et favor perveniant. Significat igitur Christus, exspectandum sibi esse tempus a Patre statutum, tum pro sua passione, tum pro sua glorificatione.

[6] Cum vos mundano affectu teneamini, ideo semper in promptu habetis favorem hominum, quem quaeritis, persequi: quandoquidem non potest mundus vos sic dispositos odio habere. — Notanda est vis oppositionis quae est in graeco, inter tempus Christi, quod divinitus ei erat praestitutum, et tempus quod fratres Iesu sibi arbitrarie praestituebant: ὁ καιρὸς ὁ ἐμός,... ὁ καιρὸς ὁ ὑμετέρος.

[7] Veritas odium parit: ideoque persecuti sunt Christum Iudaei, eo quod eorum cordis pravitatem increpavit. Vae sacris praedicatoribus, si quando spiritum mundi saecuti, malis eius operibus blandiantur!

[8] Duplex reddi potest horum verborum sensus, scilicet: vel, nondum ascendo, nempe vobiscum, ad exordium festivitatis,

mansit in Galilaea [9]. Ut autem ascenderunt fratres eius, tunc et ipse (*a*) migravit a Galilaea, et (*b*) ascendit ad diem festum [10] non manifeste, sed quasi in occulto [11].

(*a*) Mt. XIX, 1. — (*b*) I. VII, 10.

ascensurus postea, ut legimus versibus 10, 14; unde in multis codicibus graecis, loco *autem,* legitur οὔπω, *nondum,* id est, *ego nondum ascendo,* etc.; vel, ut melior sensus habet, non ascendo manifeste, sive cum festivo commeatu, prout vos vultis, ut scilicet, meipsum manifestem mundo; unde dicitur Christus ascendisse, *non manifeste, sed quasi in occulto* (1): in quibus omnibus Iesus non suam, sed Patris voluntatem secutus perhibetur. Post dimidium annum, utique ascendet Christus cum pompa, turba multa cum ramis palmarum obviam ei praecedente eumque regem Israel salutante (2).

[9] Dum alii iter in urbem arriperent, mansit Iesus in Galilaea, probabiliter non solus, sed cum paucis tantummodo discipulis, sic ut eius ascensus percipi non posset.

[10] Post paucos dies ascendit Christus, cum scilicet in templum venit, die nempe festivitatis medio: fratres eius autem iam inde a primo die interfuerant festivitati.

[11] Per hoc dat nobis Christus exemplum ut interdum lateamus, atque bona quae agimus occulte perficiamus, ne alii contra nos ad maiorem iracundiam et ad nocendum nobis provocentur. Voluit enim nobis per omnia similimus apparere benignissimus Iesus; et licet esset potentissimus mundi Dominus, nostram tamen induere dignatus est infirmitatem, ut nos doceret quomodo in variis vitae circumstantiis nos ipsi gerere debeamus.

QUAESTIONES.

I. — *Quinam fuerunt fratres Christi hic recensiti?*

Resp. Ad Helvidii haeresim pertinet, quod dicatur Beatae Virgini alios quam Christum fuisse filios (3). — Hoc errore seposito, aliqui tamen olim censuerunt illos fuisse filios Ioseph ex alia uxore ortos: quam sententiam secuti sunt nonnulli ex vetustis scriptoribus ecclesiasticis, ut Origenes, Clemens Alexandrinus, Eusebius, S. Gregorius Nyssenus, S. Epiphanius, S. Hilarius et S. Ambrosius, et quidem, ad tutandam, ut putabant, perpetuam virginitatem Matris

(1) Vers. 10. — (2) Sect. CCXXVIII. - (3) Cf. S. Hieronym., l. adv. Helvid., n. 19.

Dei. — Quae tamen sententia omnino respuenda est, tanquam falsa et a fide catholica aliena, cum merito teneatur Ioseph virgo permansisse, ut purissimae uxoris congruus esset custos et condignus minister (1). Dicendum ergo illos fuisse consobrinos Christi, ex quibus aliqui ad apostolatum vocati sunt (2).

II. — *Utrum fratres seu consobrini Christi in eum credere renuerint?*

Resp. Dici potest istos Domini fratres, primo quidem, in eius miracula credidisse et in potestatem thaumaturgam ei desuper factam, ut ex eorum verbis resultat; secundo, credidisse perhibentur etiam in eius messianicam dignitatem, in cuius gratiam probe intelligebant huiusmodi miracula ab eo patrari; tertio, eorum nonnulli credere etiam potuerunt, etsi confuse et subobscure, in eius divinitatem, quam Iesus palam sibi vindicabat; attamen fides haec, in Christi messianitatem et divinitatem, in eis adhuc valde imperfecta erat et nonnihil erroris habebat permixtum: unde ad hanc fidei imperfectionem formaliter referenda sunt verba: *Neque enim fratres eius credebant in eum.* Ceterum retineri potest, hos Domini fratres, quos Ioannes dicit tunc non credidisse in eum, postea ad fidem eius perfectam pertigisse, cum in Actibus Apostolorum dicatur (3), Hierosolymis undecim Apostolos in oratione perseverasse cum mulieribus, et Maria matre Iesu, *et fratribus eius.*

III. — *Quid intendit Christus per tempus suum?*

Resp. Primo quidem intendit tempus patiendi, quo nomine passionem suam interdum appellat (4), quam etiam pluries vocat horam (5): unde, mox transit Dominus ad disserendum de mundi erga se odio, et tempus suum opponit tempori suorum consanguineorum, qui nonnisi de gloria mundana erant solliciti. Attamen, cum, ex divina dispositione, passionem mox consequi deberet glorificatio, hinc per tempus suum, Dominus secundario intendit suam gloriosam resurrectionem et ascensionem.

IV. — *Quo pacto mundus Christum odio habuit?*

Resp. Quia illius vitia reprehendit, hominum carnalium superbiam, invidiam, avaritiam et infidelitatem perstringendo, ut ex pluribus locis videre est (6): unde procaces Iudaei non veriti sunt vocare Iesum voracem et potatorem vini, publicanorum et pecca-

(1) Cf. tr. n. DE S. IOSEPH., P. II, art. 7. n. 2. seq., p. 246. - (2) Cf. Sect. XXIX, quaest. I, Vol. I, p. 201; et CIV, n. 17, p. 110. — (3) I, 14. (4) Matth., XXVI, 18. — (5) Matth., XXVI, 45; Marc., XIV. 35, 41; Io., XII, 27; XIII, 1. — (6) Cf. Matth., V, 20; XI, 16; Marc., III, 29, etc.

torum amicum, atque, quod peius est, Beelzebub instrumentum (1): quinimmo mortem ei machinati sunt.

V. — *Utrum ad mutationem voluntatis in Christo adscribendum sit, quod ad diem festum ascenderit, cum antea testatus esset, se non ascensurum fore?*

Resp. Hoc quidem impertinenter et impie tradidit Porphyrius (2); at perperam, cum Iesus, indoli quaestionis fratrum suorum se accommodans, negaverit se eo modo ascensurum, quo ipsi volebant, scilicet, ad manifestandum seipsum mundo.

(1) Matth., XI, 19; XII, 24; Marc., III, 22. — (2) S. Hieronym., adv. Pelag., l. II, c. 17.

SECTIO CLIII.

(L. XVII, 11-19).

Argumentum. — *Eunti Iesu in Hierusalem decem occurrunt leprosi, qui ab illo ad sacerdotes mittuntur, et dum pergunt mundantur. Quorum unus, qui erat Samaritanus, ad Iesum revertitur, atque ab eo magnopere laudatur.*

Ratio Sectionis. — A solo S. Luca curatio decem leprosorum narratur, et quidem ita ut nullo vinculo colligetur haec historia cum eo quod antea aut postea refert hic Evangelista : unde, non dubitant graves auctores factum illud ponere in itinere quod suscepit Iesus ad urbem Hierusalem, ut Tabernaculorum festo interesset, licet aliis magis placeat illud referri ad Domini nostri iter in civitatem Ephrem seu Ephraim, de quo inferius agit Evangelista S. Ioannes *.

(*a*) T factum est, dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaeam [1]. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi [2], qui steterunt a longe [3]; et levaverunt vocem, di-

(*a*) L. XVII, 11-19.

[1] Cum dictum sit supra (1), Iesum in civitate Samaritanorum minime receptum fuisse, eumque in Galilaea mansisse (2), hinc mirandum non est si, loquens de eius itinere in Hierusalem, Evangelista primo nominet Samariam, licet regio haec media sit inter Galilaeam et Iudaeam. — Possunt etiam verba illa, *per mediam,* ex vi graecae linguae, διὰ μέσον, sensum habere, Iesum iter fecisse inter Samariam et Galilaeam, scilicet, per confinia utriusque regionis, ita ut Samariam ad dexteram, Galilaeam vero ad sinistram haberet. Transibat Iesus per huiusmodi regiones, tanquam bonus pastor, populum legem Dei docens, atque aegrotos ad sanitatem restituens.

[2] Non casualiter leprosi isti Christo occurrerunt; sed cum ex multorum relatu, sanativam eius potentiam cognoscerent, illius adventum sedulo observabant. — Pro, *in quoddam castellum,* graece est, εἴς τινα κώμην, quod est, *in quemdam vicum.* Fert traditio, locum ubi leprosi sanati sunt, fuisse vicum Aïn Gannim, in finibus Samariae, in Ginaea, ad meridiem planitiei Esdrelon. — Ex his decem viris, novem erant Iudaei, unus vero Samaritanus: communis autem miseria vetus odium in eis exstinxerat.

[3] Sensus est, cum Iesus ingre-

* Io., XI, 54. Sect. CCXXIV.

(1) Sect. CLI, p. 345. — (2) Sect. CLII, p. 351.

centes : *Iesu praeceptor, miserere nostri* [4]. Quos ut vidit, dixit : *Ite, ostendite vos sacerdotibus* [5]. Et factum est : dum irent, mundati sunt [6]. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum [7] ; et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens ; et hic erat Samaritanus [8]. Respondens autem Iesus, dixit : *Nonne decem mundati sunt ? et novem ubi sunt* [9] ? *Non est*

deretur vicum ; nam, secundum legem, leprosis prohibebatur in urbibus aut plagis conversari seu commorari ([1]). A longe stabant, etiam ob reverentiam Christi ; forsan quoque timebant ne eos ille fastidiret. Imperfecte igitur cognoscebant ardentem caritatem Cordis Iesu erga miseros, pauperes atque derelictos.

[4] In graeco legitur : Ἰησοῦ ἐπιστάτα ἐλέησον ἡμᾶς, quod est, *rector, praeceptor, magister* vel *inspector,* compatere et succurre nobis infirmis, nos ab hac poenali miseria liberando, nobisque misericordiae tuae sinum aperiendo. Pro cunctis rogantes, quasi conspiratione facta, Christum magis ad misericordiam commovent. Talibus verbis Ecclesia saepius in sua liturgia benignum Salvatorem compellat.

[5] Hoc modo hominum admirationem plausumque devitat Dominus, dum iubet leprosos illos, etsi nondum mundatos, ad sacerdotes accedere, cum tamen probe sciret, se solum eosdem sanare posse.

[6] Per hoc ostenditur, quantum sit fidei obedientiaeque meritum ; simulque manifestatur, non sacerdotum aut sacrificii legalis virtute, sed sola divina potestate, singularem hanc leprosis illis gratiam obvenisse.

[7] Sensu acceptae gratiae motus, vir iste revertitur, cum probe sciret, nullum referenda gratia maius esse officium. Cupit autem ut omnes cognoscant beneficium quod receperat : hinc *cum voce magna,* μετὰ φωνῆς μεγάλης, magnificat Deum.

[8] Plura notatu digna occurrunt in Samaritani huius agendi ratione. Primo, licet Samaritanus esset, tamen iussus a Christo sacerdotibus se ostendere, minime dubitans et ipse profectus est. Propterea, mox ac se incolumem sensit, aequius reputavit ad Iesum reverti, quam longius iter instituere, seque sacerdotibus exhibere : Christum habens omni sacerdote longe superiorem. Ceterum, omnibus per se patebat sanitatis restitutio, nec ulteriori egebat ille legali testimonio, quod tunc tantum erat adhibendum, ubi res dubia mansisset. Ad Christum igitur rediens, illum eo ipso agnovit omni legis praescripto superiorem.

[9] Liquido his verbis significat

([1]) Levit., XIII, 46 ; Num., V, 2.

inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena [10]. Et ait illi: *Surge, vade: quia fides tua te salvum fecit* [11].

Dominus, vitio his vertendum, quod non ad se, sicut Samaritanus ille, gratias acturi, redierint; forsitan nimio quoque desiderio movebantur ut a sacerdotibus incolumes declararentur. Hac interrogatione, pandit se Dominus omnia, etiam absentia, cognoscere. — *Respondens,* hoc est, suam sententiam pandens.

[10] Per emphasim notat Dominus Samaritanum hunc fuisse a Iudaeis extraneum: ὁ ἀλλογενὴς οὗτος. Sic et Naaman Syrus, a lepra per Eliseum curatus, ad eum rediit, gratias acturus. Significat igitur Christus, gentiles Deo per gratiam propinquiores extitisse, quam superbos Iudaeos: novem enim, qui Iudaei erant, hebraicum populum designant.

[11] Samaritanum hunc non in urbem Hierusalem, sed, ut videtur, in domum suam remittit Dominus, dum fatetur eum fide sua salvum effectum fuisse. Alii quoque novem fidem habuerant, quae illos a lepra corporis liberaverat; hic autem excellentiori et vivaciori fide meruit ulterius conservationen sanitatis saltem spiritualis, ceteris a Christi sequela, opera sacerdotum, ut censeri potest, declinantibus.

QUAESTIONES.

I. — *Quomodo differt sanatio horum leprosorum a sanatione leprosi post Sermonem in Monte* (1)?

Resp. Leprosum, quem post Sermonem in Monte sanavit Dominus, primo contactu manuum suarum mundavit: tum illi iussit ut sic mundatus sacerdotibus se sisteret, et donum a Lege praescriptum offerret. Nunc autem Christus leprosos illos directe ad sacerdotes mittit, quin eis manus imponat, aut eos ad se accedere sinat.

II. — *Quare hos decem leprosos non per corporalem contactum, sed per hoc quod ad sacerdotes pergerent, Christus mundari voluit?*

Resp. Plures huius rei possunt rationes assignari. *Primo,* ut ostenderet se alio modo, quam per proprium contactum, posse hominem sanare. *Secundo,* ut, dum illos ad sacerdotes primum mandavit, futurorum haereticorum, quos inter praecipuus fuit Mani-

(1) Cf. supra, Sect. LVII. Vol. I, p. 344.

chaeus, destrueret insaniam, dicentium legem mosaicam non fuisse a Deo, sed a diabolo. *Tertio,* ut dum commendabat legis observantiam, nobis humilitatis et obedientiae exempla praeberet. Praeceptum enim erat (1) ut a lepra mundati sacerdotibus se praesentarent, ut hi iudicarent an vere mundati essent, et ut sanati pro sua curatione sacrificium in lege determinatum offerrent: porro legalia usque ad Christi passionem ac evangelicae legis divulgationem vim obligandi habebant. *Quarta*, propter mysticam rationem, nempe ob potestatis clavium commendationem: sacerdotum enim novae Legis est mundos seu poenitentes admittere, immundos et impoenitentes excludere (2).

III. — *An decem leprosi revera ad sacerdotes accesserint?*

Resp. De Samaritano certe dicendum videtur, illum ad sacerdotes usque non accessisse, dicente sacro textu: *Et factum est, dum irent mundati sunt: unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est,* etc. Hic igitur censere potuit praecepto Christi se amplius non teneri, fine iam obtento, eo vel magis quia, utpote Samaritanus, lege non tenebatur sacerdotibus hebraeis se ostendendi, nec ratio est cur introduci debeat aliquis sacerdos samaritanus, cui leprosus ille sanatus casu obviam factus fuisset. De ceteris vero novem leprosis dicendum videtur, eos quidem ad sacerdotes hebraeos accessisse, a quibus invidentibus, ad hoc forsan inducti sunt, ut receptam sanitatem non virtuti Christi, sed legis merito adscriberent: quod si quidem evenerit, dupliciter illi ingrati facti sunt.

IV. — *Utrum Samaritanus ille agnoverit Christum ut Deum?*

Resp. Affirmative, ut inferri potest ex eo quod, primo quidem legitur regressus, magnificans Deum; tum, parallela phrasi dicitur ad pedes Iesu cecidisse, gratias ei agens, quasi in ipsa persona Christi illummet Deum agnosceret qui eum curaverat et quem ob tantum beneficium magnificaverat.

V. — *Utrum teneatur homo ad gratiarum actionem omni sibi benefacienti?*

Resp. Affirmative: quemadmodum enim omnis effectus ad suam causam naturaliter convertitur, hinc requirit naturalis ordo, ut qui suscepit beneficium, per gratiarum recompensationem, ad benefactorem suum convertatur: et quidem, benefactori, ut sic, debet unusquisque honorem et reverentiam, in quantum ille est principium boni collati; quod si benefactor in indigentiam sit lapsus,

(1) Levit., XIV, 2. — (2) Cf. Dion. Cartus., hoc loco.

ille qui beneficium accepit, debet ei subventionem vel sustentationem (1).

VI. — *Utrum in ingratitudine sint gradus aliqui observandi?* *Resp.* Ingratitudo diversos habet gradus, secundum ordinem eorum, quae ad gratitudinem requiruntur. Porro, in gratitudine primum est, ut homo acceptum beneficium recognoscat; secundum, quod benefactorem laudet eique gratias agat; tertium, quod retribuat, pro loco et tempore, secundum suam facultatem. Quia autem, quod est ultimum in generatione, est primum in resolutione, hinc primus ingratitudinis gradus est, ut homo beneficium non retribuat; secundus, ut dissimulet, quasi non demonstrans se beneficium accepisse; tertius, et gravissimus est, quod non recognoscat, sive per oblivionem, sive quocumque alio modo. Demum, quia in negatione intelligitur opposita affirmatio, hinc ad primum ingratitudinis gradum pertinet, quod quis retribuat mala pro bonis; ad secundum, quod beneficium vituperet; ad tertium, quod beneficium quasi maleficium reputet (2).

(1) S. Thom., 2 2ae, Quaest. CVI, art. 3. — (2) Ibid., Quaest. CVII, art. 2.

SECTIO CLIV.

(I. VII, 11-29).

Argumentum. — *In die festo, Iudaei Iesum quaerunt, qui medio die festivitatis ascendit in templum et, mirantibus Iudaeis, illos palam edocet divinam suae doctrinae esse originem.*

Ratio Sectionis. — Ab uno Evangelista S. Ioanne continuatur narratio eorum, quae egit et dixit Christus circa festum Tabernaculorum. Quod autem heic narratur duos distinctos dies respicit: scilicet ipsum festum diem, et feriam mediam infra octavam festi. — Ad intelligentiam autem huius Sectionis, recolendum est, inde a secundo Paschate vitae publicae Domini nostri, concepisse Iudaeos iniquum propositum illum interficiendi, occasione deprompta ex sanatione paralytici ad probaticam piscinam: ei criminantes quod infirmum sabbato curasset, quasi legem Moysi solveret *: quae perversa intentio in eis in dies augebatur, ex audita fama illius miraculorum: unde, cum tempus eius mortis nondum advenisset, Iesus in Iudaea ambulare renuerat **. Nunc autem, palam docente Iesu, antiqua calumnia resumpta est: ad quam refellendam pertinet praecipua pars huius discursus, scilicet a verbis ***: *Nonne Moyses,* usque ad verba ****: *Iustum iudicium iudicate.*

(*a*) IUDAEI ergo quaerebant eum in die festo, et dicebant: *Ubi est ille* [1] ? Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: *Quia bonus est.* Alii autem dicebant: *Non, sed seducit turbas* [2]. Nemo tamen

(*a*) I. VII, 11-29.

[1] Christi sanctissimum nomen Iudaei ut plurimum minime exprimunt, et quidem ex contemptu, licet aliqui eorum illum reverentia prosequerentur: quidquid tamen sit, ex hoc apparet omnibus notissimum fuisse Iesum. Per Iudaeos, hic intelligendi sunt primores ac nobiles gentis.

[2] En murmuris ratio: nempe, Christum aliqui tanquam vera docentem et iuste viventem, alii autem tanquam seductorem habebant. Multi nimirum Salvatorem eiusque doctrinam non secundum rationem fide illuminatam iudicabant, sed secundum perversas inclinationes sensuum suorum, quibus sancta Domini

* Io., v, 16, 18. Supra, Sect. LXXXIII, n. II, p. 10. — ** Cf. Sect. CXXVI, n. I. p. 211. — *** Vers. 19. — **** Vers. 24.

palam loquebatur de illo, propter metum Iudaeorum [3]. Iam autem die festo mediante, ascendit Iesus in templum, et docebat [4]. Et mirabantur Iudaei, dicentes: *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit* [5]? Respondit eis Iesus, et dixit: *Mea doctrina non est mea, sed eius quis misit me* [6]. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina,*

vita repugnabat. Dici potest, eos qui bene de Christo sentiebant ex Galilaea fuisse, qui testes fuerant operum Iesu et pharisaeorum obtrectationibus seducti non fuerant; ei vero calumniantes fuisse ex urbana plebe, quos primores suis sermonibus deceperant. — Pro, *in turba*, graece est, ἐν τοῖς ὄχλοις, *in turbis*.

[3] Qui bene de Christo sentiebant, eos ex Iudaeis metuebant, qui male erga eum erant affecti; qui vero Christo invidebant, palam se prodere nolebant, cum etiam inter Hebraeos multi essent, vel potentissimi viri, qui bene de Iesu sentiebant. Primi nimium timidi erant et formidolosi, quam ut suam de Christo admirationem in aperto significarent; secundi verebantur ne tanquam testes advocarentur de accusationibus, quas probe sciebant se minime probare posse. Saepe enim fit, ut vel boni homines servili metu, in actionibus suis, adigantur.

[4] Dies festus hic sumitur pro tota festivitate Tabernaculorum, unde quarta die perhibetur Iesus in templum ascendisse. Ascendit autem palam, et publice praedicavit, qui ante delituerat: ut ostenderet se Iudaeos non timere, nec eos quidquam contra ipsum posse, nisi quantum ipsemet permisisset. — *In templum*, εἰς τὸ ἱερόν, id est, non quidem in aedem sacram, τὸν ναόν, sed in aliquam porticum ad templum pertinentem.

[5] De sacris litteris hic agitur, quas Dominus apud populum explicabat; unde litteras, γράμματα, scire, hic significat intelligere Sacram Scripturam, aut saltem in ea probe esse eruditum. De gratia Christi in docendo, et de populi admiratione, Synoptici concorditer referunt ([1]). Ex ipsa autem Iudaeorum admiratione, habemus Christi doctrinam sacris litteris omnino concordem fuisse.

[6] Solvit hic Christus Iudaeorum quaestionem: *Quomodo hic litteras scit?* Sensus est: Mea doctrina, id est praedicatio evangelica, quae utique mea est tanquam loquentis et docentis, mea non est, quasi eam a meipso habuerim: Christus enim, tum secundum naturam divinam, tum secundum naturam assumptam, accepit a Patre quidquid habet et est.

([1]) Matth., VII, 28; Marc., I, 22; Luc., IV, 22, 32.

utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar [7]. *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit: qui autem quaerit gloriam eius qui misit eum, hic verax est, et iniustitia in illo non est* [8]. *Nonne Moyses dedit vobis legem? et nemo ex vobis facit legem* [9]? *Quid me quaeritis interficere* [10]? Respondit turba, et dixit: *Daemonium habes; quis te quaerit interficere* [11]? Respondit Iesus, et dixit eis: *Unum opus feci, et omnes miramini* [12]. *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem (non quia ex Moyse est, sed ex patribus); et in sab-*

[7] Solvit hic Christus tacitum dubium: unde cognoscemus doctrinam tuam esse a Deo? — Responsio est, si quis bonam habuerit voluntatem et studio ductus fuerit obsequendi Deo, ipso experimento discet, doctrinam meam a Deo revera procedere. Hinc infertur, eos qui Christi doctrinae contradicunt, id facere ob pravas suas passiones, et quia deest eis bona et recta voluntas; unde dictum est ([1]): *Pax hominibus bonae voluntatis.*

[8] Haec est altera tessera, ad dignoscendam divinam alicuius doctrinae originem, si scilicet a desiderio Dei gloriam procurandi procedat: hoc quippe proprium est caritatis Dei, bonum scilicet divinum, contempto bono privato, quaerere; amor vero sui quaerit bonum proprium, contempto bono divino.

[9] Incipit Iesus refellere antiquam Iudaeorum calumniam, illum accusantium quod legem Moysi non observaret ([2]): eos autem argumento ad hominem confutat. Nemo ex vobis facit legem, cum tamen legem facere deberetis, utpote latam ministerialiter a viro sancto, et quidem ut tali a vobis habito. Multi quidem legem materialiter adimplebant; at id non ex recta intentione praestabant, ideoque nullum inde meritum percipiebant.

[10] Ostendit Christus his verbis se pravas cogitationes et machinationes probe cognoscere, quas Iudaei ante sesquiannum de se conceperant.

[11] Dupliciter in sua responsione peccaverunt Iudaei: primo, Christum turpiter blasphemando, quasi a daemonio ad loquendum et agendum instigaretur; secundo, negando se Christi mortem moliri, cum tamen principio huius capitis ([3]) dictum sit, eos quaesivisse Iesum interficere.

[12] Opus cui hic alludit Christus, est curatio paralytici ad probaticam piscinam die sabbato ([4]), de qua re mirabantur Iudaei, admiratione tamen ex malitia procedente.

([1]) Luc., II, 14. — ([2]) Io., V, 18. — ([3]) Io., VII, 1. Sect. CXXVI, n. 2, p. 212. — ([4]) Io., V, 8, 9. Cf. supra, Sect. LXXXII, nn. 14, 15, p. 4.

bato circumciditis hominem [13]. *Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi; mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato* [14]? *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate* [15]. Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis: *Nonne hic est, quem quaerunt interficere? Et ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt. Numquid vere cognoverunt principes, quia hic est Christus* [16]? *Sed hunc scimus unde sit; Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit* [17]. Clamabat ergo Iesus in templo

[13] Primum circumcisionis praeceptum datum fuit Abrahae ([1]); sed ad legem mosaicam pertinere coepit ritus ille, postquam eum Deus per Moysen popolo Israelitico tradidit ([2]). Cum autem nulla foret in lege restrictio, si octava dies a nativitate parvuli erat sabbatum, circumcisio eo die fiebat, quin propterea sabbati violatio reputaretur.

[14] Dicit Christus Dominus se totum hominem sanum fecisse, quo utique intelligi potest homo, et secundum corpus et secundum animam sanatus, cum iniquis potius obsit sospitas carnis, quam prosit, unde communiter dicitur Christus sanasse in anima quos curavit in corpore. Argumentum ergo est a minori ad maius: si licet spiritualiter sanare hominem die sabbato per circumcisionis vulnerationem, nonne licebit illum etiam die sabbato totum sanum facere, absque tali ritu?

[15] Non secundum solam apparentiam iudicate, id enim sibi volunt verba κατ' ὄψιν, *secundum faciem,* sed secundum rationem informatam prudentia, et procedentem iuxta veritatem et ordinem iuris. Revocat igitur Dominus Iudaeos ad veram legis intelligentiam, secundum rectum rationis dictamen.

[16] Ad Christi potentiam pertinebat quod libere palam loqueretur; cives vero isti hierosolymitani, qui melius quam alii noverant pharisaeorum in eum machinationes, hanc nescientes potentiam, illorum modo silentium ignorantiae, utique dubitanter, adscribebant, cum potius illud referre debuissent ad Christi sapientissimam ordinationem, qui eatenus persecutionem sustinuit, quatenus id voluit, vel permisit. — *Principes,* οἱ ἄρχοντες, id est, membra Synedrii.

[17] Hoc quidem verum est, quantum ad Christi generationem aeternam et divinam originem, quam enarrare nemo potest ([3]); sed nec a nobis comprehendi valet singularis illius humana generatio, qua de Virgine conceptus est, et item de clauso Virginis utero egressus. — At

([1]) Gen., XVII, 10. — ([2]) Levit., XII, 3. — ([3]) Is., LIII, 8; Mich., V, 2.

docens, et dicens : *Et me scitis, et unde sim scitis ; et a me ipso non veni* [18] ; *sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis* [19]. *Ego scio eum ; quia ab ipso sum, et ipse me misit* [20].

falsum est quod hic dicunt, scilicet neminem scire unde Christus sit, si quidem agatur de progenie ac loco generationis Christi, ut statim declarat Iesus eos corrigens, et quidem cum clamore ex vehementi affectu procedente. Plura enim de Iesu cognoscebant, ut Matrem eius, fratres, commorationem, etc. ; quibus tamen plura falsa miscebant, putantes illum ex patre Ioseph natum, in Galilaea, ut patet ex sequentibus verbis (1), quae tamen corrigere potuissent, si attentius rem considerassent.

[18] Explicat Christus simul divinam suam a Patre originem, atque in mundo missionem, seu novum essendi modum, quem per Incarnationem acquisivit. Sic autem de se testimonium reddens, vocem in altum sustulit, ἔκραξεν, sic magnum animi affectum pandens.

[19] Non omnes Iudaei habuerunt explicitam fidem de Trinitate et consequenter de Patre ut est distinctus a Filio ; omnes tamen Deum explicite cognoverunt secundum esse absolutum, licet non omnes illum fide caritate formata sic cognoverint.

[20] Ratione missionis suae, Christus, secundum humanitatem, accepit a Deo plenitudinem scientiae beatae et inditae, qua omnia gratiae mysteria, ordinata ad finem Incarnationis, perfecte cognosceret.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum Christus scholas frequentaverit ?*

Resp. Negative, ut etiam inferri potest ex persuasione Iudaeorum, eum nullo unquam praeceptore usum fuisse reputantium : *Quomodo hic litteras scit cum non didicerit ?* Et sane Christus, a primo suae Incarnationis momento, secundum intellectum humanum, statim omnium rerum scientia fuit perfecte divinitus repletus. Pater quidem eum a tota aeternitate ut Deum docuit, quia totam ei suam scientiam, una cum divinitate, communicavit ; ut hominem vero, alium doctorem Christus non habuit, nisi Spiritum Sanctum.

II. — *Cum Iudaei Christi doctrinam admirarentur, quare eius dicta non admittebant ?*

Resp. Ob invidiam, qua erga illum tenebantur et quae illorum

(1) Vers. 42.

mentes obcaecabat, et eorum corda ab eo aliena tenebat, maxime cum Christus eorum vitia liberius reprehenderet.

III. — *Quomodo occludit sibi homo viam ad fidem?*

Resp. Dupliciter: primo, ex pravis moribus, quatenus gratificationem propriae voluntatis praefert legi et ordinationibus Dei; secundo, ex desiderio propriae gloriae, quatenus proprii ingenii adinventiones legi aut doctrinae divinae substituit: quapropter, saepius testabatur Christus se descendisse de caelo ut faceret voluntatem Patris sui ([1]), seque ex seipso non locutum fuisse, sed ex Deo ([2]).

IV. — *Quomodo dicitur Christus clamasse, cum de eo prophetatum sit:* NON CLAMABIT? ([3]).

Resp. Hoc Isaiae dictum pertinet ad immoderatam seu passionatam vociferationem, de qua dicit Apostolus ([4]): *Omnis clamor et amaritudo et indignatio tollatur a vobis.* Sed de ordinato Christi clamore legitur in Psalmo ([5]): *Deus meus, clamabo per diem,* etc.

([1]) Io., VI, 36. — ([2]) Ibid., XIV, 10. — ([3]) Is., XLII, 2. — ([4]) Eph., IV. 31. — ([5]) XXI, 3.

SECTIO CLV.

(I. VII, 30-36).

Argumentum. — *Quaerunt principes Iesum apprehendere, multis de turba in eum credentibus : alii vero ulterius inter se de Iesu disceptant.*

Ratio Sectionis. — Pergit Ioannes narrans Iudaeorum de Iesu occulta molimina : ubi habemus, ex huius Evangelistae oraculo, confirmatum id quod supra innuimus *, sat scilicet breve temporis intervallum, sex vel septem tantummodo menses, intercessisse inter festum Scenopegiae et Pascha quo Dominus erat occidendus : id quippe significant verba **: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum.*

(*a*) QUAEREBANT ergo eum apprehendere [1], et nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius [2]. De turba autem multi crediderunt in eum [3], et dicebant : *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quae hic facit* [4] ? Audierunt Pharisaei turbam murmuran-

(*a*) I. VII, 30-36.

[1] Ira ac invidia moti, quaerebant Iudaei apprehendere Iesum : ira quidem movebantur, quia eos Iesus libere corripuerat ; invidia autem, quia magna et alta ipse de se protulerat.

[2] Hinc quidem timor populi, qui Iesum tanquam beneficum habebat, principes retinuit ne manus in eum iniicerent ; illinc vero divina potentia eorum refrenavit malitiam, non sinens ut in actum exteriorem pro tunc prodiret, nondum scilicet completo tempore, quo pati et mori decreverat benignissimus Salvator.

[3] Ex triplici hominum genere turba illa coalescebat : primo, ex Iudaeorum proceribus ; secundo, ex popularibus hierosolymitanis ; tertio, ex advenis ad festum confluentibus. Porro, ad hos postremos videntur potissime Evangelistae verba referri.

[4] Cum illi qui hoc dicebant essent credentes in Christum, hinc eorum verba hypothetice reddi possunt : dato quod Messias adhuc sit venturus, certe ex-

* Sect. CLI, Rat. Sect., p. 344. — ** Vers. 33.

tem de illo haec [5]; et miserunt principes et Pharisaei ministros, ut apprehenderent eum [6]. Dixit ergo eis Iesus: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum; et vado ad eum qui me misit* [7]. *Quaeretis me, et non invenietis; et ubi ego sum, vos non potestis venire* [8]. Dixerunt ergo Iudaei ad semetipsos: *Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes* [9]? *Quis est hic sermo quem dixit: Quae-*

spectandum non est, illum plura miracula fore patraturum.

[5] *Murmurantem*, γογγύζοντος, hoc est suppressa voce dicentem: nam timore pharisaeorum non audebant palam confiteri magnificentiam Iesu.

[6] Collocuti sunt pharisaei cum principibus sacerdotum, et inito pacto, ministros miserunt, Iesum capturos. Eos hucusque coercuerat seditionis metus in populo, si Iesum cepissent; at cum illum iam audirent palam praedicari Messiam, et quidem vocem hanc innumeris miraculis ab ipso editis ultro confirmari intelligerent, omnia patientiae repagula frangere incipiunt.

[7] Ad ministros ad se capiendum missos, sequentia verba Iesus primo quidem dirigit, deinde ad circumfusam multitudinem, in qua et primores quidam aderant: ponit autem Dominus praesens, *sum, vado,* ad designandam rem certo futuram; vocat autem modicum tempus sex circiter menses qui adhuc intererant ad festum Paschatis. — Toto hoc discursu, significat Christus nihil posse inimicos suos absque sua voluntate de se moliri. Dicit ergo: nondum a vobis apprehendar, quia adhuc nolo; expleto autem tempore a Patre pro mea passione praefixo, et non antea, ad eum revertar. Incassum ergo nunc mortem molimini, insidias tenditis, atque me a vestro coetu eiicere conamini: ne momento quidem tempus a Patre praefixum abbreviabitis.

[8] Expressius nunc explicat Dominus quod dixerat, scilicet: etsi pluries me sitis quaesituri ad necem, corporaliter tamen non invenietis seu apprehendetis, usque ad tempus praefinitum: quo expleto, dabitur vobis a Patre meo licentia explendi in me vestrum furorem.

[9] Christi verba non intendentes Iudaei, coniecturaliter et quasi per contemptum ac derisum, sermonem introducunt de gentibus, quos illi despectui habebant: scilicet, cum apud nos, ut videtur, manere nolit, forsitan perget ad impuras ac idololatras gentes et tunc quidnam erit de titulo veri prophetae Domini quem ille sibi attribuit? Revera, nunquam auditum est in Israel aliquem prophetam, si Ionam excipias, ad gentiles missum fuisse.

retis me, et non invenietis; et ubi sum ego, vos non potestis venire [10] ?

[10] En status animae quae Deum sincere non quaerit: fluctibus iactatur, nec unquam, deficiente humilitate atque bona animi dispositione, divini verbi sensum assequitur; et licet Christi verba apparenter excipiat, eisdem tamen non salubriter pungitur, nec ea, nisi sollicito et inquieto, non recto, animo, ruminatur.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum potuisset Christus plura miracula facere quam quae fecit?*

Resp. Affirmative, absolute loquendo, cum divina virtus, quae in ipso operabatur, nullis certis effectibus esset imitata. At, si consideretur ordo miraculorum Christi ad effectum qui erat divinam eius missionem comprobare, sufficientissima fuerunt signa ab illo patrata, quin necesse foret alia ab ipso fieri. Enimvero, quando aliquod particulare opus proprium est alicuius agentis, tunc per illud particulare opus probatur tota virtus agentis; sicut cum ratiocinari sit proprium hominis, ostenditur aliquis esse homo ex hoc ipso quod ratiocinatur circa quodcumque particulare propositum. Similiter, cum facere miracula propria virtute sit solius Dei, ex quocumque miraculo quod propria virtute fecerit Christus, sufficienter ostenditur esse verus Deus ([1]).

II. — *Utrum a sanhedrin profectum fuerit mandatum capiendi Iesum?*

Resp. Affirmative, ut deduci potest ex hoc quod duo praecipui ordines sanhedrin, principes scilicet sacerdotum, ἀρχιερεῖς, et pharisaei nominantur: ministris igitur, tanquam lictoribus ab his deputatis, eorumdem auctoritate munitis, atque vestium forma distinctis, turba obedire debebat.

III. — *Quisnam est sensus verborum:* QUAERETIS ME, ET NON INVENIETIS?

Resp. Verba haec intelligunt plures de obduratione cordis Iudaeorum, hoc sensu: Veniet tempus, quando me, quem nunc apprehendere conamini, tanquam vestrum salvatorem, quaeretis: at, quoniam sincera vobis deerit poenitentia, ideo usque ad peccatorum

([1]) 3, Quaest. XLIII, art. 4, ad 3[m].

veniam non assurgetis, sed indurabimini in peccato vestro, ideoque mecum in caelum venire non poteritis. — Alium his verbis sensum affigunt alii: Veniet tempus, puta in excidio hierosolymitano, cum intelligetis iusto vos Dei iudicio, ob odium in me olim conceptum, severe puniendos, et ad me recurretis, sed frustra, cum tempus tunc futurum sit divinae vindictae. — At non videtur subiecta materia hunc sensum sustinere: nimirum, agebatur tunc de Christo a synedrii ministris apprehendendo: quod quidem testatur Christus fieri non potuisse, cum tempus, utique modicum, a Patre praefinitum nondum esset completum; unde sensus proprius videtur esse: qualecumque molimen a vobis interponatur, incassum laborabitis, quoniam ubi sum ego, id est, ad me usque apprehendendum, pertingere non poteritis. In quo quidem duplex dabat Iesus divinae suae missionis signum: primum, quod secreta synedrii consilia et ministrorum conceptas intentiones apprime cognoscebat; secundum, quod omnis humana vis contra eum directa, usque ad tempus ab eo cognitum, infrangi deberet. — Quocirca non videtur hic esse sermo de obduratione cordis, de qua re inferius ex professo sermo instituetur ([1]).

IV. — *Quid intelligitur per dispersionem gentium?*

Resp. Per *dispersionem,* διασποράν, intelligi possunt praesertim Iudaei in Graecorum regionibus dispersi, iuxta textum graecum: μὴ εἰς τὴν διασποράν τῶν Ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι καὶ διδάσκειν τοὺς Ἕλληνας. Nimirum, humanum genus Hebraei in tres classes dividebant: in Iudaeos, Graecos et Barbaros; inter Graecos et Barbaros autem multi Hebraei habitabant, et quidem trans Euphratem inter Barbaros, cis Euphratem vero, id est in Graecia, Syria, Aegypto, et Asia Minori, inter Graecos, ubi revera plurimi erant. Dubium ergo erat, num Dominus se eorum odio foret subducturus, et operam ad Hebraeos hellenistas collaturus.

([1]) Sect. CLX.

SECTIO CLVI.

(I. VII, 37-44).

Argumentum. — *Sitientes Iesus ad se invitat, promittens se daturum Spiritum Sanctum: turba autem de ipso varie loquitur: aliis illum prophetam vel etiam Christum confitentibus, aliis autem ipsi ob suam originem detrahentibus.*

Ratio Sectionis. — Cum hucusque narraverit Ioannes ea quae Scenopegiae festo mediante * et, ut videtur **, sequentibus diebus egerit Iesus, hic et sequenti Sectione, ea refert quae ultimo festivitatis die, octavo scilicet, Hierosolymis evenere. Nimirum, licet in Deuteronomio de septem tantummodo diebus mentio fiat his verbis ***: *Solemnitatem quoque Tabernaculorum celebrabis per septem dies;* additus tamen legitur in Levitico octavus dies ****, unde festum per octiduum durabat.

(*a*) In novissimo autem die magno festivitatis [1] stabat Iesus et clamabat, dicens: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat* [2]. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura* [3], *flumina de ventre eius fluent aquae vivae* [4]. Hoc autem dixit

(*a*) I. VII, 37-44.

[1] Primus et ultimus dies solemnitatis festi Scenopegiae, seu Tabernaculorum, celebriores erant, quod bene significatur in graeco: ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς: eo autem die magna hominum multitudo Hierusalem convenire solebat.

[2] *Stabat* Iesus, ut corporis situ pondus sermoni adiiceret; *clamabat,* ut ad omnes vox sua perveniret, quatenus testari volebat, se fontem esse, ex quo spiritualia bona, fluenta scilicet doctrinae et aqua sapientiae procedunt.

[3] Citat hic Dominus librum Proverbiorum ([1]), non quantum ad verba, sed quantum ad sensum.

[4] Spectare hic videtur Dominus ad morem in Tabernaculorum festo vigentem, deferendi scilicet ad templum vasa duo, alterum aquis fontis Siloes, alterum vino plenum, et pedes altaris holocaustorum his aqua et vino commixtis rigandi, levitis cantica canentibus et populo prae

* Io., VII, 14. — ** Cf. Ibid., 31. — *** Deut., XVI, 13. — **** XXIII, 36.
([1]) V, 15. Cf. Is., XLIV, 3; LVIII, 11; Ezech., XXXVI, 25.

de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum [5]: nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus [6]. Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones eius, dicebant: *Hic est vere propheta.* Alii dicebant: *Hic est Christus* [7]. Quidam autem dicebant: *Numquid a Galilaea venit Christus? Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus* [8]? Dissensio itaque facta est in turba propter

gaudio gestiente. — *De ventre eius,* ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ, id est, *de intimis,* de ipsa anima et de ipso corde. — *Aquae vivae,* ὕδατος ζῶντος, *aquae viventis,* non mortuae, quae non marcescit, sed semper operatur.

[5] Flumina aquae vivae hic significant dona Spiritus Sancti atque fluenta caelestis doctrinae, quae de corde eorum qui in Christum credunt, manabunt usque ad alios, vel de habitu et interiori actu transibunt ad opera interiora.

[6] Datus quidem fuit Spiritus Sanctus a principio mundi universis electis, quia nullus sine eius gratia salvus factus est; nihilominus, tantummodo post Christi glorificationem, evidentius et exuberantius dandus erat Apostolis, qui propterea dicuntur primitias Spiritus recepisse ([1]). — Notandum, in graeco deesse participium, *datus,* δεδομένον: quae tamen additio rectam exhibet interpretationem textus: nimirum, nondum erat, ante Christi glorificationem, datus Spiritus, qualiter eum postea accepturi erant.

[7] Cum hic aliqui ponantur distinxisse inter prophetam et Christum, dici potest priores, per prophetam, qui ab eis cum articulo designatur, ὁ προφήτης, intellexisse eximium illum prophetam, qui tanquam Messiae praecursor exspectabatur; alios vero, dicentes Iesum esse Christum, propius ad veritatem accessisse, credentes illum fuisse verum Messiam, in Lege promissum. Porro, ex omnibus hisce discussionibus, clare eruitur quam acriter tunc temporis quaestio de Messia fuerit agitata.

[8] Praesumebant isti increduli, ex Scripturarum testimonio ([2]), probare Iesum non esse Christum: pro quo praedictum inducebant testimonium, nescientes Iesum revera natum fuisse in civitate Bethlehem. Facile autem explicatur eorum ignorantia, ex hoc quod a teneris annis Iesus enutritus erat in Nazareth ([3]), ubi domicilium quoque habebant parentes illius ([4]). Non fuit autem

([1]) Rom., VIII, 23. — ([2]) Mich., V, 2. — ([3]) Matth., II, 23; Luc., II, 51; IV, 16. ([4]) Luc., I, 26; II, 4.

eum [9]. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum; sed nemo misit super eum manus [10].

necesse S. Ioannem hunc turbarum errorem corrigere, cum res lectoribus suis, ex aliis Evangelistis, satis nota esse posset.

[9] Sic factum est, et sic semper erit usque ad finem mundi: Christus scilicet futurus est in signum cui contradicetur ([1]).

[10] Qui sic Iesum apprehendere volebant, non erant ex ministris principum, qui mox nominandi sunt ([2]). Nemo autem misit super Iesum manus, quia nolebat ipse apprehendi; sed sapientia et potentia sua eorum pravitatem et feritatem eludebat, quemadmodum expresse annuntiaverat ([3]).

QUAESTIONES.

I. — *Quare Spiritus Sancti gratia sub symbolo aquae designatur?*

Resp. Ob effectus huius elementi proprios: nimirum, sicut aqua fertilem reddit terram quam inundat, sordes abluit, hominem refrigerat, sese ubique insinuat et impetu suo obstacula perrumpit; ita, qui donis Spiritus Sancti repletus est, non solum ipse animo pinguescit, a sordibus vitiorum abluitur et ipsemet interius refrigeratur, sed etiam multa bona in proximos derivat et invidias inimicorum potenter devincit: unde Sapientia de se loquitur ([4]): *Ego sapientia effudi flumina; ego quasi trames aquae immensae de fluvio* ([5]).

II. — *Cur Spiritus Sanctus plene et in signo visibili datus non est, ante Christi resurrectionem?*

Resp. Ob plures rationes: *primo*, quia non decuit membra tanta gratia decorari, antequam caput totaliter iam glorificaretur; *secundo*, quia ad hoc datus est Spiritus Sanctus tam copiose in signo visibili, ut Apostoli, omni Scripturarum notitia omnique linguarum usu repleti, Evangelium Christi ubique et constanter praedicarent; hoc autem praestandum non erat, nisi post resurrectionem: nam antea dictum est Apostolis a Christo ([6]): *In viam gentium ne abieritis; tertio*, Christus noluit suam maiestatem tam evidenter ostendere ante passionem sicut postea, ne ipsa sua passio impediretur.

([1]) Luc., II, 34. — ([2]) Vers. 45, Sect. seq., n. I, p. 373. — ([3]) Sect. praec., n. 8, p. 366 – ([4]) Eccli., XXIV, 40. — ([5]) Cf. Sect. XXXV, quaest. V. Vol. I, p. 237. — ([6]) Matth., X, 5.

III. — *Utrum Christus revera fuerit propheta?*

Resp. Affirmative, licet habuerit plenam et perfectam notitiam rerum quas annuntiabat, cum ab initio fuerit plenus veritatis (1). Propheta enim, quasi *procul fans* vel *procul videns,* cognoscit et loquitur ea quae sunt procul a sensibus hominum cum quibus ipse vivit: porro Christus ante suam passionem, statum nostrum attingebat, cum esset non solum comprehensor, sed etiam viator: ideoque cum cognosceret et annuntiaret ea quae procul erant ab aliorum viatorum notitia, unde vere dictus est propheta (2).

(1) Io., I, 14. — (2) Cf. tr. DE INCARNATIONE, Vol. I, 3, Quaest. VII, art. 8, n. 4, seq., p. 330. Cf. Sect. XXXV, n. 16. Vol. I, p. 234.

SECTIO CLVII.

(I. VII, 45-53)

Argumentum. — *Ministri qui ad Iesum apprehendendum missi fuerant, audita eius praedicatione, illum collaudant, qua de causa a pharisaeis et pontificibus reprehenduntur : sed et Nicodemus, illum defendens, male ab eisdem tractatur.*

Ratio Sectionis. — Ex praesenti loco S. Ioannis, clare apparet quantae iam fuerint malignantium Iudaeorum in Iesum insidiae: quod quidem in reliqua evangelica narratione prae oculis semper teneri debet: cum inde magis elucescat benignissimi Salvatoris in inimicos suos incomparabilis patientia et mansuetudo.

(*a*) VENERUNT ergo ministri ad pontifices et Pharisaeos, et dixerunt eis illi : *Quare non adduxistis illum* [1] ? Responderunt ministri : *Numquam sic loquutus est homo, sicut hic homo* [2]. Responderunt ergo eis Pharisaei: *Numquid et vos seducti estis* [3] ? *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisaeis ? Sed turba haec, quae non*

(*a*) I. VI, 45-53.

[1] Ministri isti missi fuerant a pontificibus et pharisaeis, ut manus in Iesum iniicerent eumque ad illos captum et vinctum adducerent ([1]). Hi ergo videntes se sua spe defraudatos, ministros illos obiurgare coeperunt. Procaci sua percontatione, pontifices et pharisaei atram bilem et impatientem acrimoniam qua agebantur ultro manifestant.

[2] Tanta erat sapientia atque facundia oris Christi, ut nemo ei similis haberetur : unde et pharisaeorum ministri suavitate eius eloquentiae capti fuerant. Dicendum autem, hoc ex speciali Dei dispositione factitum, ut scilicet tam insigne testimonium a rudibus hominibus redderetur primoribus gentis, qui per hoc illuminari et ad Christum converti potuissent, nisi cor perversum gessissent.

[3] Nova hac interrogatione, iram suam, arrogantiam et malevolum animum principes et

([1]) Supra, v. 32. Sect. CLV, n. 6.

novit legem, maledicti sunt [4]. Dixit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis [5]: *Numquid lex nostra iudicat hominem* [6], *nisi prius audierit ab ipso, et cognoverit quid faciat* [7]? Responderunt et dixerunt ei: *Numquid et tu Galilaeus es* [8]? *Scrutare Scripturas, et*

pharisaei iterum manifestant: iudicantes ministros esse seductos, seu a via veritatis abductos, eo quod Iesum venerarentur.

[4] Turpe hic mentiuntur invidi pharisaei, quos in tantum excaecat invidia, ut sive per vera, sive per falsa, non cessent homines avertere a Christo, quem odio prosequuntur. Et primo quidem falso insinuant nullum ex principibus aut pharisaeis credidisse in eum, cum nonnulli revera ex primoribus perhibeantur in Iesum credidisse, scilicet Nicodemus et Nathanael legis doctor, et, ut infra legitur, multi ex principibus ([1]); secundo, turba illa maledicta non fuit, sed potius praeelecta, quia, quanto quis minus de seipso praesumit, tanto copiosius meretur illuminari a Christo. Hinc simplices saepe devotiores sunt quam docti, quia humiliores et consequenter devotione ac sapientia magis referti; unde dicitur: *Cum simplicibus sermocinatio eius* ([2]).

[5] Id est, de numero virorum componentium sanhedrin. De hoc iam locutus fuerat Ioannes ([3]): *Homo ex Pharisaeis,... princeps Iudaeorum*. Hic igitur, licet esset discipulus Iesu, occultus quidem, coetibus tamen pharisaeorum aderat, hac mente ut Iesu prodesset. — Pro eo quod hic legitur *nocte,* in graeco est πρότερον, *antea.*

[6] Id est, numquid lex nostra docet hominem esse iudicandum sive per approbationem, sive per condemnationem, nisi audiatur et causa eius discutiatur?

[7] In lege siquidem cautum fuit, ut causa iudicandi investigaretur, audiretur et discuteretur, quatenus accusati opera rite cognosci possent. Hoc igitur Nicodemus inculcat, ne videlicet sacerdotes incaute Iesum damnent, vel aliquem ab eo avertant; confidebat vir ille iustus, Iudaeos, si hoc fecissent, ad Christum convertendos, sicut ipse ad eum conversus fuerat.

[8] Ad rem non respondent pharisaei, et ut id quod iustum erat declinent, ad extranea deflectunt. — *Galilaeus es,* ἐκ τῆς Γαλιλαίας: id est, non quasi a Galilaeo seductus, aut in Galilaeum credens, sed oriundus ex Galilaea, ex patriae amore Iesum galilaeum tuens: quod quidem per contemptum illi dicebant: adeo enim male erant erga Christum dispositi, ut quicumque eius patrocinium susciperet, ab eis dire exprobraretur.

([1]) Io., XII, 42. Cf. Sect. CCXXXVII. — ([2]) Prov., III, 32. — ([3]) III, 1.

vide quia a Galilaea propheta non surgit [9]. Et reversi sunt unusquisque in domum suam [10].

[9] Mira pharisaeorum caecitas, qui sic loquuntur, ac si Deus eligat gentem propter locum, et non potius locum propter gentem. Nec praetermittendum, Deum frequenter in vilioribus locis efficere opera magis praeclara: unde Bethlehem civitatulam Iudaeae, non Romam caput mundi, aut Hierusalem Iudaeae metropolim, pro loco nativitatis Filii sui elegit, ne exaltatio ac divulgatio fidei christianae adscriberetur potentiae civium, vel eminentiae loci, aut alicui causae naturali; sed ut in omnibus agnoscatur opus divinitatis, cuius virtute et operatione scimus invaluisse fidem catholicam christianamque legem ([1]). — Notandum, in graeco deesse vocem *Scripturas*. — Cur Iesus potius appellatus sit Nazarenus quam Bethleemiticus, dictum est supra ([2]).

[10] Hoc saltem Nicodemus sermone suo consecutus est, ut coetus ille pro tunc dissolveretur, et iniqua sententia differetur.

QUAESTIONES.

I. — *Quo pacto commendabiles se ministri reddiderunt, dum testimonium Christo tulerunt?*

Resp. In hoc quod non quaesierint tergiversando sese excusare de eo quod in Christum nondum manus iniecissent, qualemcumque causam confingendo, puta, quod prae turba, quae eum ut prophetam habebat, praepediti fuerint; unde laudem merentur, quod veritatem intrepide confessi sint, vim et eloquentiam sermonis Christi exaltando, licet probe nossent id dominis suis quam maxime displicere. In hoc etiam laudandi sunt, quod non ob Christi miracula, sed ob eius doctrinam, illum extulerint: ex quo ostenditur eorum corda erga Christum bene affecta fuisse.

II. — *Utrum ministri, a pharisaeis ad Christum missi, fuerint ad eius fidem conversi?*

Resp. Teneri utique potest, plures ex illis ministris, qui antea increduli Christo extiterant, audita postea efficacissima illius praedicatione, immutatos ita fuisse a malo suo proposito, ut coeperint bene de eo sentire et ad eius fidem se convertere.

([1]) Dion. Cartus., in h. l. — ([2]) Sect. XIV, quaest. III et IV. Vol. I, pp. 98, 99.

III. — *Utrum nimis timidum se gesserit Nicodemus in hac circumstantia ?*

Resp. Negative: cum enim probe sciret suorum collegarum animos adeo in Iesum esse infensos, ut ex aperta eius defensione maiorem illi accepturi essent ansam eum odio prosequendi, ad hoc vitandum, et simul ut initium quoddam resipiscentiae in eorum animos insinuaret, saltem id unum ab eis, utpote Legis aemulatoribus, prudenter postulavit, quod ceterum lex fieri iubebat, ut scilicet in propria causa Iesus audiretur (1). Quocirca, non est nimiae timiditatis arguendus Nicodemus; sed id praestitit quod prudentia ei suadebatur.

IV. — *Utrum verum sit quod asserebant pharisaei, scilicet a Galilaea non surrexisse prophetam ?*

Resp. Negative, ut patet de Iona, filio Amathi, qui erat propheta a Galilaea oriundus (2); sed et Tobiam, qui prophetico spiritu fulsit, de Galilaea fuisse constat (3); Nahum quoque prophetae testatur S. Hieronymus patriam fuisse viculum in Galilaea (4). Censent etiam ex veteribus plures, e Galilaea fuisse et Eliseum prophetam et Deboram prophetissam.

(1) Cf. Exod., XXIII, 1; Levit., XIX. 15; Deut , I, 16, etc. — (2) 4 Reg., XIV, 25. — (3) Tob., I, 1. — (4) Prolog. in Nahum.

SECTIO CLVIII.

(I. VIII, 1-11).

Argumentum. — *Scribae et pharisaei adducunt ad Iesum mulierem in adulterio deprehensam, qua occasione illum tentantes interrogant : misericors autem Dominus mulierem hanc ultro absolvit.*

Ratio Sectionis. — Sequens de adultera muliere narratio in plurimis S. Ioannis codicibus desideratur, unde non semper ubique pro canonica Scriptura habita est. At codicibus illis, latinis et orientalibus, alii codices latini et orientales opponi possunt, in quibus historia haec revera continetur, quam etiam critici plerique eruditissimi, etiam ex heterodoxis, tanquam genuinam amplecti non dubitant. Et si Patrum plures silentio illam praetereunt, non desunt tamen alii et quidem non minoris auctoritatis, qui historiam hanc referunt et commentantur. Controversiam vero aufert Concilium Tridentinum *, dum solemniter pronunciat libros Sacrae Scripturae integros, cum omnibus suis partibus, prout in Vulgatae editione continentur, esse canonicos, ideoque locus hic cum ceteris in canone continetur.

(*a*) IESUS autem perrexit in montem Oliveti [1]; et diluculo iterum venit in templum; et omnis populus venit ad eum; et sedens docebat eos [2]. Adducunt autem

(*a*) I. VIII, 1-11.

[1] Dum pharisaei et ceteri in domos suas se reciperent ([1]), perrexit Dominus ad montem Oliveti, ibi noctem transacturus, ut videtur, orationis fundendae causa: apud S. Lucam enim legitur quod Iesus, exiens noctibus, morabatur in monte qui dicitur Oliveti ([2]). Dici etiam potest, Dominum intrasse domum Marthae, in Bethania; qui pagus iuxta praefati montis cacumen situs erat ([3]). Fortasse etiam Iesus pernoctare voluit in monte Oliveti, ut pharisaeorum insidias declinaret. — Mons iste, ad orientem urbis hierosolymitanae situs, duo circiter cubitorum millia ab eadem distans ([4]), ita vocabatur ob frequentes in eo succrescentes olivas.

[2] In his quae Patris sui erant,

* Sess. IV, de Canon. Script.

([1]) Sect. praec., n. 10. — ([2]) Luc., XXI, 37. — ([3]) Cf. Matth., XXI, 17; Marc., XI, 11. — ([4]) Act., I, 12.

Scribae et Pharisaei mulierem in adulterio deprehensam; et statuerunt eam in medio [3], et dixerunt ei: *Magister* [4], *haec mulier modo deprehensa est in adulterio* [5]. *In lege autem Moyses mandavit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis* [6]? Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum [7]. Iesus autem, inclinans se deorsum, digito

oportebat Iesum esse; ideoque in templum summo mane accessit, quo totus populus concurrit, fama eius sanctitatis, eloquentiae atque doctrinae allectus. — *In templum*, εἰς τὸ ἱερόν, id est, non in aedem sacram, quae ὁ ναός vocabatur, sed in aliquod atrium, vel in aliquam porticum ad templum pertinentem ([1]).

[3] Quanam mente id fecerint pharisaei, clarius infra explicat S. Evangelista: scilicet, ut Iesum tentare possent eumque accusarent: at perversa haec intentio clare quoque apparet ex processu eorum sermonis. Nimirum, cum non possent Iesum occidere, saltem quaerebant illum capere in sermone.

[4] Blande ac reverenter loquuntur, ut Iesum incautum reddant, magistrumque nominant, cuius tamen discipuli ipsi esse renuebant.

[5] Notanda sunt verba graeci textus, quibus ex industria peccatum mulieris isti aggravare conantur: αὕτη ἡ γυνὴ, *haec eadem mulier*, quae scilicet stat ante te, κατείληπται ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένη, quod verti potest, *deprehensa est in ipso facinore, cum moecharetur*.

[6] Poenam a Lege contra adulteros praescriptam commemorant, qualis in Deuteronomio continetur ([2]): *Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur*, etc. Igitur, attenti erant, ut viderent utrum Iesus suffragaretur, an obsisteret huic legis praescripto: et utrinque occasionem sibi repromittebant ipsi calumniandi.

[7] Insidiae, quas Iesu tendebant, ad hoc reducebantur quod, cum scirent illum ad misericordiam propensum, in necessitate eum posuerunt vel Legem mosaicam contemnendi, si quidem illi mulieri ignovisset; vel eum de nimia severitate arguendi, si sententiam tulisset de illa lapidanda. Rursus, cum tunc temporis Iudaeis dempta fuisset capitalium iudiciorum facultas, Iesum obnoxium faciebant Romanorum legibus, si mulierem illam capitis damnandam edixisset, cum adulterium penes Romanos poena mortis non plecteretur: sin minus, populum, Legis studiosissimum, contra illum facile excitassent.

([1]) Cf. Sect. x, quaest. III, Vol. I, p. XXVIII, n. 3, p. 199. — ([2]) Deut., XXII, 23.

scribebat in terra [8]. Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se [9], et dixit eis: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat* [10]. Et iterum se inclinans, scribebat in terra [11]. Audientes autem unus post unum exibant, incipientes a senioribus [12]; et remansit solus Iesus, et mulier in medio stans [13]. Erigens autem se Iesus, dixit

[8] Id est, in pavimento, cui forsan aliquid pulveris superiacebat: aut ductu digiti quasi litteras efformabat, ut fit in aere. — Quid scripserit Dominus, sacer Textus non dicit; ex multis hac de re opinionibus, magis arridet Ven. Bedae et S. Thomae sententia, Dominum idipsum scripsisse, quod postea edixit: *Qui sine peccato est vestrum,* etc.

[9] Iesus hucusque remanserat sedens, nec respondere volebat; illi vero, huius silentii impatientes, pergunt Christum petulanter interrogare, qui tandem erigit se, ut tanquam auctoritativus iudex sententiam sapientia plenam eliciat.

[10] In hac Domini responsione, sic temperata est iustitia per misericordiam, quod nullatenus potuit iudicans reprehendi. Quod enim dixit: *Qui sine peccato est,* etc., ad iustitiam pertinuit; quod vero per talem sententiam, miseram illam mulierem de manibus eorum eripuit, misericordiae fuit. O quam facillime Sapientia Dei, Christus Dominus, laqueos sibi expansos dissolvit ([1])!

[11] Dum nemo praesentium auderet se profiteri a peccato immunem, veritus ne a Christo, quem sciebant secreta cordium cognoscere, palam detegeretur, Iesus iterum in terra scribit: an vero idem quod prius, incertum est. Forsitan pharisaeorum peccata scribere coepit, ut isti, propria crimina considerantes, seipsos corrigerent, atque ad mitiora devenirent consilia. *Scribebat in terra,* ait S. Hieronymus ([2]), *eorum videlicet qui accusabant, et omnium peccata mortalium.*

[12] Cum iam fuissent experti imas suas cogitationes a Christo denudatas fuisse, verebantur pharisaei ne sua probra nunc coram omnibus ille aperiret, et ipsimet, magis quam misera illa mulier, rei convincerentur. Quocirca voce Salvatoris, veluti telo, percussa, confusa et convicta fuerunt eorum corda, atque verecundia perfusa. Primi qui exierunt fuerunt seniores, forsitan quia gravioribus onusti peccatis, sicut olim senes, castae Susannae accusatores ([3]). — Notandum, in graeco legi, ἀκούσαντες καὶ ὑπὸ τῆς συνεδήσεως ἐλεγχόμενοι, *audientes et a propria conscientia redarguti.*

[13] Non absolute solus mansit Iesus cum muliere, cum nec discipuli, nec populus videantur

([1]) Dion. Cartus., in h. l. — ([2]) L. II contra Pelag., c. 6. — ([3]) Dan., XIII, 52, seq.

ei: *Mulier, ubi sunt qui te accusabant? nemo te condemnavit* [14]? Quae dixit: *Nemo, Domine.* Dixit autem Iesus: *Nec ego te condemnabo. Vade, et iam amplius noli peccare* [15].

egressi; unde dicitur: *Mulier in medio stans.*

[14] Haec quaerit clementissimus Dominus, non quasi ignorans quid evenisset, sed ut occasionem haberet mulieri benefaciendi eique manifestandi se ei peccata indulsisse. — In graeco legitur: ἀνακύψας δὲ ὁ Ἰησοῦς, καὶ μηδένα θεασάμενος πλὴν τῆς γυναικός, *erigens autem se Iesus, et neminem videns, praeter mulierem,* etc.

[15] Mirabilis omnino benignitas Salvatoris, qui cum nolit mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, mulierem, ut homo, non condemnat, ut Deus autem, absolvit ab omni reatu culpae et poenae, infusa prius in eius anima sincera ac perfecta peccatorum poenitentia.

QUAESTIONES.

I. — *Quomodo factum est, ut codices veteres tam multi historiam mulieris adulterae praetermiserint?*

Resp. Ex multis quae, ad hanc explicandam omissionem, circumferuntur sententiis, sequentes tanquam probabiles possunt proponi. Prior a S. Augustino traditur, dum id factum esse ait, *ut nonnulli modicae fidei vel potius inimici verae fidei, credo, metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adulterae indulgentia Dominus fecit, auferrent de codicibus suis: quasi permissionem peccandi tribuerit, qui dixit:* IAM DEINCEPS NOLI PECCARE ([1]). — Alteram huius omissionis rationem tradit Millius ([2]), scilicet narratam fuisse, ab auctore Evangelii cuiusdem apocryphi, huiusmodi historiam, ex eorum fide qui eam ab Apostolis audierant, ac ut in hisce rebus plerumque usuvenit, multis ornatam fictitiis circumstantiis: eamdem pariter historiam a S. Ioanne, prout ipse viderat, in suo Evangelio accuratissime relatam. Cum autem sciolus quidam Ioannis narrationem ab Evangelio illo apocrypho desumptam putaverit, atque in authenticum Ioannis Evangelium fraudulenter insertam duxerit, eam primus velut dubiam veru notavit; alius demum audacior illam expunxit. Ita sensim in codicibus coepit desiderari, ac uti apocrypha haberi, proindeque minus religiose,

([1]) L. II de Coniug. adult., c. 7. — ([2]) Apud Calmet, init. cap. VIII Ev. S. Ioan.

quam reliquae Evangelii partes tractata est et descripta: inde ortae de hac historia variae lectiones (1).

II. — *Cur non adduxerunt pharisaei etiam virum adulterum, cum eamdem poenam ille meruerit?*

Resp. Cum soleant iudices feminis peccantibus, ob sexus debilitatem et fragilitatem magis compati atque facilius indulgere quam viris, censuerunt pharisaei se intentum promptius consecuturos, si mulierem peccatricem ad Iesum adducerent; optabant siquidem secreto ut delinquenti parceret, ut sic occasionem haberent eum de legis transgressione accusandi, cum lex iuberet huiusmodi lapidari.

III. — *Quo fine Iesus digito scripsit in terra?*

Resp. Dici potest Iesum id fecisse, vel ut significaret ad se non pertinere huiusmodi causas dirimere, pro quibus aderant constituti iudices; vel pharisaeos, sua petulanti perfidia, in illam comminationem a Ieremia proclamatam incidisse (2): *Recedentes a te in terra scribentur, quoniam derelinquerunt venam aquarum viventium Dominum.*

IV. — *Utrum qui in peccato mortali est, privatus sit potestate iudicandi alios?*

Resp. Id quidem, ex hoc textu: *Qui sine peccato est vestrum*, etc., inferre conati sunt Wicleffus et Ioannes Huss; at Christi verba hoc tantum sibi volunt, talem indignum esse, qui illam potestatem exerceat, et prius seipsum per veram poenitentiam corrigere debere, quam sententiam in alios pronuntiet. *Non modo accusator,* inquit Tullius (3), *sed ne obiurgator quidem ferendus est is, qui quod in alio reprehendit, in eo ipse reprehenditur.*

(1) Cum longior sit huius dubii tractatio, quam ferat huius nostri operis indoles, sat nobis erit studiosum investigatorem ad fontium novi Testamenti tractatores, ut Cornely, Introd., III, 2a ed. p. 233, seq., referre. — (2) XVII, 13. — (3) In Verr. Orat. v.

SECTIO CLIX.

(I. VIII, 12-20).

Argumentum. — *Sermonem prosequitur Iesus, docens se esse lucem mundi, ac posse de se testimonium perhibere, testimonium vero perhibere de ipso Patrem a quo missus est.*

Ratio Sectionis. — Iesus, ut vidimus, a monte Oliveto diluculo in templum se contulerat, ubi populum docuerat: interim vero mulierem adulteram ad illum adduxerant: quam cum sapientissime simul et benignissime absolvisset, suam resumpsit instructionem, et quidem in illa templi parte, quae gazophylacium audiebat.

(*a*) ITERUM ergo locutus est eis Iesus, dicens: *Ego sum lux mundi* [1]. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae* [2]. Dixerunt ergo ei Pharisaei: *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est*

(*a*) I. VIII, 12-20.

[1] Christus seipsum lucem persaepe appellavit: nunc autem expresse se nominat, non Galilaeae solum aut Iudaeae, sed mundi lucem, quemadmodum Ioannes, initio Evangelii, scripsit ([1]): *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Illuminavit autem mundum Iesus, ut Deus quidem, quo modo est lux increata et infinita, omnem creatam mentem intus collustrans lumine naturae, gratiae vel gloriae; ut homo autem, illuminavit Iesus mundum, docendo, conversando, miracula faciendo. — Haud immerito censent nonnulli, desumpsisse Christum occasionem de luce spirituali disserendi, ex usu vigente, prima nocte festi Scenopegiae, in uno ex templi atriis candelabra aurea, unde magna excitabatur lux, accendendi; quemadmodum de aqua disseruerat, prompta occasione ex ritu libaminum ([2]).

[2] Qui Christum sequitur, hoc inde obtinet, ut in luce ambulet, et consequatur lumen vitae. At sequi Christum potest quis, vel tantummodo dictis eius credendo,

([1]) Io., I, 9. — ([2]) Io., VII, 37. Supra, Sect. CLVI, n. 4, p. 369.

verum [3]. Respondit Iesus, et dixit eis: *Etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia scio unde veni, et quo vado; vos autem nescitis unde venio, aut quo vado* [4]. *Vos secundum carnem iudicatis; ego non iudico quemquam* [5]. *Et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia*

vel propriam vitam vitae Christi conformando, in quo perfecta eius sequela consistit. Lumen vitae autem est in praesenti per fidem, spem et dilectionem; in futuro vero per claram visionem, comprehensionem et fruitionem. Qui autem renuunt sequi Christum, in tenebris ambulant, scilicet in tenebris ignorantiae et peccati: unde dicitur ([1]): *Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruunt.* — Notandum, in graeco, pro *ambulat,* poni περιπατήσῃ, *ambulabit.* — Pro *lumen vitae,* est τὸ φῶς τῆς ζωῆς, *lumen illud,* scilicet singulare, *vitae illius,* seu praecellentis.

[3] Pharisaei isti alii sunt a pharisaeis qui adulteram mulierem adduxerant: hi enim iam egressi erant. Cum ergo illi intenti semper essent non propriae utilitati ex verbis Christi hauriendae, sed potius eidem calumniandi et aemulandi, hinc causati sunt inidoneum esse illius de se testimonium. Tale revera erat praeconium quod de se protulerat Christus, ut nullus prophetarum vel patriarcharum simile quid unquam proferre ausus fuerit. Obiiciunt ergo neminem esse bonum iudicem in causa propria, nec morale esse laudare seipsum.

[4] Hanc primam reddit Iesus rationem, cur testimonium suum verum sit atque accipiendum: scilicet quia scit se a Deo procedere et ad Deum reverti, licet Iudaei, ob sui caecitatem, fulgidam hanc veritatem non agnoverint. Processit Christus a Deo, secundum divinam et secundum humanam naturam, etsi diverso modo, scilicet, secundum divinam naturam, attenta identitate essentiae; secundum humanam naturam, attenta plenitudine gratiae et veritatis: porro, secundum divinam naturam ad Deum non revertitur, cum semper fuerit Deus, sed solum secundum humanam naturam, per perfectam glorificationem, quae resurrectionem secuta est. Dicit ergo Christus: Potestne ille verax non esse, qui a Deo sic processit et ad Deum sic revertitur? Iudaei autem Christi missionem, utique culpa propria, ignorabant, quia signis a Christo patratis credere renuerant; ideoque Christi testimonium de se non accipiebant.

[5] Secunda ratio, cur Christi testimonium tanquam verum sit habendum, haec est, quia ille non iudicat sicut homines, id est, secundum carnem, quo modo Iudaei Christum iudicabant, secun-

([1]) Prov., IV, 18, 19.

solus non sum, sed ego, et qui misit me Pater [6]. *Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater* [7]. Dicebant ergo ei: *Ubi est Pater tuus* [8]? Respondit Iesus: *Neque me scitis, neque Patrem meum; si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis* [9]. Haec verba locutus est Iesus in ga-

dum paupertatem parentum eius, illum propterea despectui habentes; sed iudicat ipse secundum rectam rationem et principia supernaturalia, sub Spiritus Sancti directione. Quod dicit hic Christus: *Ego non iudico quemquam*, intelligi etiam potest, iudicio condemnationis et remunerationis, quod pertinet ad secundum eius adventum: in primo enim suo adventu, Christus iudicium exercet discretionis et increpationis ordinatae ad emendationem, non ad praemium aut poenam.

[6] Tertiam ponit Christus rationem, scilicet quia testimonium suum roboratur testimonio Patris, quale factum est in eius baptismo ac transfiguratione, quale etiam reddit in omnibus operibus miraculosis, quae de die in diem patrat.

[7] Sumptum est hoc ex eo quod Moyses ait ([1]): *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.* Si igitur idoneam probationem facit, in ordinario iudicio, duorum hominum consentanea depositio, quomodo in dubium verti potest de eadem re testimonium duarum personarum divinarum, Patris, scilicet et Filii?

[8] Ex contemptu et irrisione interrogant Iesum Iudaei ubinam sit Pater eius: cum Patrem quidem eius terrestrem mortuum fuisse scirent, Patrem vero caelestem minime agnoscerent.

[9] Malitiosae et infideli quaestioni non respondet Dominus directe, praesertim cum deteriores illi facti fuissent ex aperta responsione; sed fundamentum tradit mysterii Sanctissimae Trinitatis, scilicet essentiae unitatem cum relationum distinctione in divinis personis. Primo igitur Iudaeos reprehendit, quod nec se, nec Patrem, probe cognoscerent: non se, prout est, in aeternitate, Patris, in tempore, Virginis Filius; non Patrem, prout est unum in essentia cum Filio; et quoniam correlativa sunt simul cognitione, utique qui novit Patrem, prout est persona quae de sua substantia genuit Filium, consequenter cognoscit Filium prout est persona ex Patris substantia genita. — Quod hic dicit, *forsitan,* non dubitative ponitur, sed increpative, more Scripturae. *Ille qui omnia scit, quando dicit* FORSITAN, *non dubitat, sed increpat,* ait S. Augustinus ([2]).

([1]) Deut., XIX, 15. — ([2]) Tract. XXXVII in Io.

zophylacio [10], docens in templo; et nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius [11].

[10] Gazophylacium, ex voce persica, *gaza*, thesaurus, et graeca, φυλάκειον *custodia*, non significat ipsam arcam aut arcas, in quibus reponebantur oblationes, sed sumitur pro illa templi parte, quae extra atrium sacerdotum sita, praedictas arcas continebat. Hic interdum Iesus sedebat docens populum ([1]).

[11] Ex hoc deducitur, inter eos qui Iesum audierant, fuisse qui illum capere voluissent. At, quemadmodum Christus oblatus est sicut et quando voluit; ita ante definitum passionis tempus captus non est, quia noluit.

QUAESTIONES.

I. — *Quo pacto appellat se Christus lucem mundi, cum Apostolis suis ipse dixerit* ([2]): VOS ESTIS LUX MUNDI?

Resp. Christus, ut Deus, est lumen universale et principale; ut homo autem, est lumen quidem instrumentale, sed eo modo quo eius humanitas fuit instrumentum proprium et coniunctum divinitatis. Apostoli vero fuerunt luminaria particularia et ministerialia, in quantum unusquisque eorum aliquando generis humani partem illustravit.

II. — *Qua ratione Christus seipsum commendavit, cum laus in ore proprio vilescere censeatur?*

Resp. Non solum Christus, sed et multi Sancti utriusque Testamenti, testimonium de se perhibuerunt et se ipsos laudaverunt, non quidem propter laudem humanam et vanam gloriam, sed ad Dei honorem et proximi instructionem. Quod testimonium efficax fuit, cum ex adiunctis constare potuerit verum esse quod asserebant, videlicet ex sanctitate conversationis ex miraculis, ex effectu impletionis, aliisque diversis indiciis certis, ita ut dici possit, non ipsos dumtaxat, sed Deum eis perhibuisse testimonium. Similiter Christi de se ipso testimonium efficacissimum fuit, quia ex eminenti eius sapientia, ex magnis ac infinitis eius prodigiis, atque ex vitae sanctitate apparere potuit illum esse virum sanctum et iustum, omni fide dignissimum. — Quod autem dicitur, laudem in ore proprio vilescere, intelligendum est secundum communem cursum, et de

([1]) Cf. Marc., XII, 41; Luc. XXI, 1. Infra, Sect. CCLIII, quaest. I. Cf. etiam supra, Sect. X, quaest. III. Vol. I, p. 74. — ([2]) Matth., V, 14. Cf. Sect. XXI, quaest. VI. Vol. I, p. 152.

his quibus aliunde testimonium sive praeconium non perhibetur; itemque, de laude quam quis ad se ipsum, non ad Dei honorem et proximi utilitatem referat: talis quippe laus ex vanitate, non ex caritate procedit (1). — Addendum etiam, rationem ob quam vetamur ne nos ipsi commendemus, esse quia nostra de nobis cognitio saepe incerta et fallax est, propter inordinatum mentis affectum; Christus autem, virtus et sapientia Patris (2), perfecte seipsum cognovit et iuste amavit in omnibus (3).

III. — *Quomodo haec Christi sententia:* Et si ego perhibeo testimonium de me ipso, *etc., convenit cum eo quod antea dixerat* (4): Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum?

Resp. Cum Christus sit ipsa veritas, omnino nequit testimonium eius, etiam de seipso prolatum, verissimum non esse; et sic locus praesens absolute concedendus est. Triplici autem sensu accipi potest posterior locus: vel, testimonium Christi, seiunctum a testimonio Patris, verum non est, et sane, cum Christi, ut Deus est, una sit natura et operatio cum Patre; vel, dato, non concesso, quod testimonium Christi falsum esse posset, impraesentiarum tamen falsum esse nequit, cum Patris testimonio fulciatur; vel testimonium mei solius caret robore penes vos.

IV. — *Quomodo intelligendum est id quod dicitur:* In ore duorum vel trium testium, *etc., cum non semper veridicum sit tale testimonium?*

Resp. Quod revera tale testimonium non semper verum sit, apparet ex iis quae contra Naboth (5), contra Susannam (6), et maxime contra Christum ipsum (7), testes perversi testificati sunt. At illorum verborum sensus est, tale testimonium, in formali iudicio, pro vero recipi solere, quando aliunde veritas manifestari non possit.

V. — *Quomodo, ex hoc principio*: Duorum hominum testimonium verum est, *collegit Christus testimonium suum esse recipiendum, cum ipsemet testaretur in causa propria?*

Resp. Christus proprium testimonium intelligit, ut a se prolatum, prout est verus Filius Dei; ita quod Deus Pater et Deus Filius velut distinctae personae testimonium perhibeant de Christi, secundum humanam naturam assumptam, eximia sanctitate. Vel dici potest, Christi, ut hominis, in causa propria, testimonium validum fuisse, utpote qui a Deo ipso testimonium accepisset, voce delapsa a nube (8): *Hic est Filius meus dilectus.*

(1) Cf. Prov., xxvii, 2; 2 Cor., x, 18. — (2) 1 Cor., i, 24. — (3) Dion. Cartus., in h. l. — (4) Io., v, 31. — (5) 3 Reg., xxi, 13. — (6) Dan., xiii, 36, seq. — (7) Matth., xxiv, 60. — (8) Ibid., xvii, 5.

SECTIO CLX.

(I. VIII, 21-30).

Argumentum. — *Iesus iterum Iudaeos edocet de sua divinitate, eisque inculcat quam necessaria sit fides in se : multi vero credunt in eum.*

Ratio Sectionis. — Visum est nonnullis, Christum praecedentem sermonem sine interruptione fuisse prosecutum : at, probabilius, dicendum est, ea quae sequuntur alia occasione ab ipso fuisse prolata : quod satis aperte innuunt duo adverbia, simul initio posita : *Ergo iterum*. — Attamen, haec in templo, id est, in aliquo templi atrio, vel in aliqua porticu, prolata fuisse, ex versiculo 59 resultat, ubi praecise dicitur Iesus exivisse de templo.

(*a*) DIXIT ergo iterum eis Iesus : *Ego vado, et quaeretis me, et in peccato vestro moriemini* [1]. *Quo ego vado, vos non potestis venire* [2]. Dicebant ergo Iudaei : *Numquid interficiet semetipsum ? quia dixit : Quo ego vado, vos non potestis venire* [3]. Et dicebat eis : *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo* [4]. *Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis*

(*a*) I. VIII, 21-30.

[1] Haec verba Domini nostri non absolutam prophetiam continent, sed prophetiam comminatoriam. Sibivult ergo Christus : Ego vado, scilicet ad passionem, mortem et resurrectionem, et quidem omnino libere ; vos vero me quaeritis interficere ; imo, me iam in caelum conscenso, persequemini Ecclesiam meam ; et, nisi vos tanti mali poenituerit, in peccato vestro moriemini et in aeternum damnabimini ; vel etiam, ob peccatum vestrum, ruina vos temporalis obruet, quod quidem in eversione Hierusalem evenisse notum est.

[2] Peccata vestra separant inter Deum et vos, et prohibent quin ad me accedatis, et mecum ad Patrem meum perveniatis, possidendum in regnum gloriae illius.

[3] Ob livoris passionem et cordis invidiam, Iudaei verba Christi in peius interpretantur. At simul stultam se prodit eorum suspicio : nam interficientem se poterant utique sequi, sibi ipsis similem mortem inferendo. In omni casu, et ipsi mori debebant omnes.

[4] Vos estis de massa originali peccato infecta ; ego per Spiritum Sanctum formatus sum, quantum ad humanam naturam, ex purissimis Virginis sanguinibus. Vos estis de societate huius saeculi, ego de superna societate, cuius caput ipse sum.

vestris: si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro [5]. Dicebant ergo ei: *Tu quis es* [6]? Dixit eis Iesus: *Principium, qui et loquor vobis* [7]. *Multa habeo de vobis loqui, et iudicare. Sed qui me misit verax est: et ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo* [8]. Et non cognoverunt quia Patrem eius dicebat Deum [9]. Dixit ergo eis Iesus: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis*

[5] Si non credideritis me eum esse quem dico, in peccatis finaliter perseverabitis atque in aeternum peribitis, cum non sit salus, nisi per me ([1]); unde et dictum est de Christo ([2]): *Positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel.* In graeco, hic, secunda vice, sicut prima, legitur, *in peccatis vestris,* ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν.

[6] Quanta est in hac interrogatione malignitas et insolentia! Cum iam Dominus tam apertum de seipso testimonium protulisset, isti non solum illud non accipiunt, sed contemptibiliter interrogant: *Tu quis es?*

[7] Notandum est, in graeco legi: τὴν ἀρχὴν ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν, quod, iuxta indolem graeci idiomatis, probabiliter reddi potest, id quod secundum initium, vel ab initio dixi; initio autem dixerat Dominus, se esse lucem mundi, Filium Dei, qui de supernis est: quasi dicat: Num quaerendum vobis erat quis sim ego, quasi vobis nondum dixerim, vosque nondum me noveritis? Attamen, plures aliae horum verborum interpretationes passim efferuntur. — Porro, cum haec verba, a Patribus latinis et a Doctoribus scholasticis, accipi consueverint iuxta Vulgatae lectionem, licet utique haec graeco minime respondeat, hinc interpretandum hoc est, hoc sensu quod cum Patre et Spiritu Sancto, omnium rerum principium, seu auctor et conditor sit Iesus Christus, *per* (quem) *omnia facta sunt, et sine* (quo) *factum est nihil* ([3]).

[8] Cum Iesus iam manifestasset Iudaeis quisnam ipse esset, ostendit nunc se probe scire quinam illi sint, et quam reprehensione digni existant, cum ipse non loquatur, nisi ea quae audiverit a Patre, a quo missus est. Missum hic se dicit Christus a Patre, cum Verbum, carne assumpta, novo modo in mundum venerit; audivit etiam a Patre, cum ex interna Patris inspiratione, cordis aure perceperit atque didicerit quidquid scit et loquitur.

[9] En quam caecos se produnt Iudaei. Caecitas autem eorum ex eo procedebat, quod quia carnales et animales erant, ideo mi-

([1]) Cf. Act., IV, 12. — ([2]) Luc., II, 34. — ([3]) Io., I, 3, Sect. XXI, n. 7. Vol. I p. 146.

quia ego sum, et a me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, haec loquor [10]. *Et qui me misit mecum est, et non reliquit me solum* [11]: *quia ego, quae placita sunt ei, facio semper* [12]. Haec illo loquente, multi crediderunt in eum [13].

nime percipiebant ea quae Dei sunt (1). — In graeco non est, *Patrem eius dicebat Deum,* sed *Patrem eis dicebat,* ὅτι τὸν Πατέρα αὐτοῖς ἔλεγεν: quod significat, non intellexerunt, quod de Patre suo illis loquebatur, cum prae malitia sua essent obcaecati.

[10] Praedicit nunc Christus plures, post suam in Cruce exaltationem, ad se convertendos, quod actu completum refert S. Lucas (2): *Omnis turba eorum qui aderant,..... percutientes pectora sua, revertebantur.* Mortem suam in Cruce Christus pluries *exaltationem* vocavit (3).

[11] Filius, quidquid est aut operatur, habet a Patre, qui est fontale principium in Trinitate et inseparabiliter existit in Filio, secundum utramque eius naturam, licet diverso modo. Est quippe in Filio, secundum quod Filius est Deus, per essentiae identitatem; in quantum autem Filius est homo, Pater est in eo per specialem inhabitationem, per inseparabilem gratiae unionem ac beatificam fruitionem.

[12] Obsequentissimus fuit Christus divinae voluntati, cum in nullo discordaret voluntas eius humana a voluntate divina. — Notandum est adverbium *semper,* quod indicat perfectionem Christo propriam: nullus enim purus homo, praeter Beatissimam Virginem, de se potest profiteri se semper facere quae Deo placita sunt. Et propter hoc Christus nunquam derelinquitur a Patre.

[13] Multi ex Iudaeis, haec profunda ac divina audientes, iam crediderunt in Christum, fidem eis infundente Spiritu Sancto, ipsis vero huic gratiae ultro consentientibus. — Notandum est quod credere in Christum proprie indicat motum quemdam ad eum tanquam in finem ultimum in quem tendimus (4).

QUAESTIONES.

I. — *Utrum Deus aliquem hominem obcaecet aut induret? Resp.* Deus directe neminem indurat; sed interdum homo ponit obstaculum gratiae; Deus autem suo iudicio gratiam non apponit, unde hoc modo dicitur hominem obcaecare aut obdurare.

(1) 1 Cor., II, 14. — (2) XXIII, 48. — (3) Cf. Io., III, 14; XII, 32, 33. — (4) 2 2ae, Quaest. II, art. 2. Cf. Sect. XXX, quaest. II, n. 7. Vol. I, p. 206.

Distinguuntur autem haec duo secundum effectus gratiae, quae et perficit intellectum dono sapientiae, et affectum emollit igne caritatis. Et quia ad cognitionem intellectus maxime deserviunt duo sensus, scilicet visus et auditus, quorum unus deservit inventioni, scilicet visus, alius disciplinae, scilicet auditus ; ideo quantum ad visum, ponitur excaecatio, et quantum ad auditum, aurium aggravatio : quantum ad affectum vero, ponitur cordis obduratio (1).

II. — *Quaenam erat Iudaeis opinio de suicidio ?*

Iudaei suicidam non solum tanquam hominem ignarum et pusilli animi, sed etiam ordini naturae rebellem, iuris maiestatis divinae laesivum habebant, dignum quem orcus tenebricosior, ᾅδης σκοτιώτερος, susciperet (2). Maximam ergo Iesu contumeliam inferebant, dum suspicarentur illum se interficere velle.

III. — *Quo pacto esse principium theologice dicitur de Patre et de Filio ?*

Resp. Diverso modo. Etenim hoc nomen, *principium,* nihil aliud significat, quam id a quo aliquid procedit : omne enim a quo aliquid procedit quocumque modo, dicimus esse principium, sicut dicimus punctum esse principium lineae, et fundamentum principium domus. Cum ergo Pater sit, a quo procedunt Filius et Spiritus Sanctus, et pariter Filius sit a quo procedit Spiritus Sanctus, hinc hoc modo dicuntur personaliter principium in divinis Pater et Filius. Sumendo autem principium essentialiter seu absolute, sic Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt unum principium totius creaturae, quia in tribus personis est una natura, quae est operationis origo, et una potentia, quae elicit actum ad extra (3).

IV. — *Quaenam est significatio particulae,* SED, *in hoc quod dixit Christus :* SED QUI MISIT ME, VERAX EST ?

Resp. Cum non sit antithesis inter verba haec et praecedentia, *multa habeo de vobis loqui et iudicare,* hinc particulae huic attribuunt nonnulli vim simpliciter copulativam. Quod si, ut verius videtur, ei retineri velit vis adversativa, poterit locus ille probabilius sic intelligi : multo quidem plura vobis loqui possem, sed ex Patris mei revelatione scio quae manifestare debeam, et haec tantum palam eloquor.

(1) I 2ae, Quaest. LXXIX, art. 3. Cf. infra, Sect. CCLXXXVII, n. 4. — (2) Iosephus, de Bello Iud., l. III, c. 8. — (3) Cf. tr. DE SSMA TRINITATE, Quaest. XXXIII, art. 1, n. 2 p. 196.

SECTIO CLXI.

(I. VIII, 31-38).

Argumentum. — *Docet Iesus hominem veritate liberum effici; eum vero qui facit peccatum, servum esse peccati.*

Ratio Sectionis. — Dubitandum non est quin hic etiam contentus sermo in templo fuerit prolatus *: utrum vero eadem die ac sermo praecedens, incertum est. Congrue autem praesens sermo in tres partes dividitur: scilicet, primo, ostendit Dominus in quonam vera libertas consistat **; tum declarat qua ratione possit quis se Abrahae filium dicere ***; denique, palam se profitetur, tum aeterni Patris, tum Abrahae, etsi diversa ratione, filium ****.

(*a*) DICEBAT ergo Iesus ad eos qui crediderunt ei Iudaeos [1]: *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis; et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* [2]. Responderunt ei [3]: *Semen Abrahae sumus, et nemini*

(*a*) I. VIII, 31-38.

[1] Multi ergo erant ex Iudaeis qui verbis Domini assentiebantur, quibus id tantum a divino Magistro erat praestandum, ut in fide et mandatorum divinorum observantia firmarentur. Observandus hic est praesens dicendi modus: *qui crediderunt ei:* scilicet, credere Christo est proprie inhaerere eius dictis, tanquam primae veritati innixis, quibus nequit subesse falsum ([1]).

[2] Sciebat Iesus, illos quidem credidisse, at simul praevidebat eos non esse perseveraturos; propterea conditionate loquitur: *Si vos,* ἐὰν ὑμεῖς. Perseverando in fidei fervore, ostendit se homo verum Christi discipulum; crescit inde in veritate, atque ex veritate veram adipiscitur libertatem. Expectabant Iudaei Messiam qui eos ab externorum iugo liberaret; at Iesus meliorem longe eis libertatem pollicetur: libertatem nempe filiorum Dei.

[3] Qui obiectionem hanc proposuerunt, facto ipso clare ostenderunt, fidem se non satis constantem et humilem habuisse. Ar-

* Vide Sect. praec., Rat. Sect., p. 387 — ** Sect. praesens. — *** Sect. seq. — **** Sect. CLXIII.

([1]) Cf. supra, Sect. XXX, quaest. II. Vol. I, p. 206.

servivimus unquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis? Respondit eis Iesus: *Amen, amen dico vobis: quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati* [4]. *Servus autem non manet in domo in aeternum; filius autem manet in aeternum* [5]. *Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis* [6]. *Scio quia filii Abrahae estis; sed quaeritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis* [7]. *Ego quod vidi apud Patrem*

roganter enim libertatem, quam Deus illis concesserat, exaggerant, nec recordantur moniti Ioannis Baptistae ([1]): *Ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham.* Falso quippe negabant se servos unquam fuisse: nam servierant in Aegypto, in Babylone et in propria terra diversis gentibus, et nunc quoque actu serviebant Romanis.

[4] Falsa libertas est libertas peccandi, per quam quis a legis divinae vinculo et a iugo sanctae obedientiae se subtrahit, pravis se passionis motibus subiiciens, et sic a diabolo, velut a tyranno, peccator ligatur ac regitur. — Notandum hic est, Dominum nostrum, ex ipsa geminatione vocis *amen,* aperte significare quam ardenter velit verba sua alte in omnium animis imprimi; unde etiam dicit *omnis,* πᾶς, ut intelligatur neminem, cuiusvis sit dignitatis, prorsus excipi.

[5] Hoc in humanis ita est: sensus tamen a Christo intentus est, peccati servus, etsi nunc ad Ecclesiam pertineat, tamen, nisi resipiscat, ab electorum societate fore ultimo eiiciendum. — Filius, cum sit heres bonorum paternorum, ius habet perpetuum in domo manendi, parem cum patre honorem recipiens.

[6] Cum locutus esset Iesus de filio familias, transit nunc, logica inductione, ad loquendum de se, prout est Filius Dei naturalis, typus filii adoptivi, per quem veram accipimus filiorum libertatem. Nimirum, confirmat Christus quae dixerat, scilicet veram se mundo libertatem attulisse. Haec libertas in praedestinatis nunc inchoatur, per recessum a corruptione peccati, et in futuro complebitur, ablatis tunc cunctis miseriis. Enimvero *gratia et veritas per Iesum Christum facta est* ([2]): quinimmo, ipse est veritas ([3]).

[7] Abrahae filii estis, sed carnales tantum: me tanquam vobis obnoxium interficere vultis, quia praedicationem meam humiliter et reverenter non suscipitis. — *Sermo meus non capit in vobis,* graece legitur: ὁ λόγος ὁ ἐμὸς οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν, quod verti potest: Sermo ille meus non habet locum apud vos, aut non capit

([1]) Matth., III, 9. — ([2]) Io., I, 17. — ([3]) Ibid., XIV, 6.

meum, loquor; et vos quae vidistis apud patrem vestrum, facitis [8].

incrementa in animis vestris; unde similes estis iis apud quos semen verbi cecidit super petrosa.

[8] En ratio oppositionis inter me et vos, quae quidem repetenda est a parente: scilicet, veritas, quam vobis annuntio, est a Patre meo caelesti; vos autem inclinat et movet diabolus, etsi utique sub specie boni. — Notandum, in graeco, loco *vidistis*, legi ἠκούσατε, *audistis*.

QUAESTIONES.

I. — *Quo pacto inducti sunt Iudaei, ut dicerent se unquam nemini servivisse?*

Resp. Ex eo quod dixerat Deus ([1]): *Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus:* quae tamen verba, pro eis quidem praeceptum implicantia, eos ab alienorum dominatione securos non faciebat, quam saepius prophetae, in poenam eorum delictorum, eisdem comminati sunt. Praeterea, cum viderent sibi a Romanis quaedam iura, intuitu religionis, concessa fuisse, speciem hanc libertatis exaggerabant, ut se iactarent nullius extranei principis dominationi subiectos.

II. — *Qua ratione dicitur, omnem qui facit peccatum servum esse peccati?*

Resp. Habet hoc ordo divinae iustitiae, ut cuius suggestioni aliquis consentit in culpa, eius potestati subdatur in poena, iuxta illud S. Petri ([2]): *A quo quis superatus est, huius et servus est;* unde et videmus omnes daemones supremo inter praevaricatores angelos subditos esse ([3]); et similiter quicumque alicui reae passioni deservit, ab ea turpiter regitur, ob quam etiam poenas luere debet.

III. — *Quomodo a Christo veram libertatem homo consecutus est?*

Resp. Per peccatum, homo dominio diaboli subiicitur, per cuius tentationem fuit a Deo separatus, et cuius nequissima voluntate a consecutione salutis impeditus est. Cum igitur Christus Dominus, per suam passionem, nobis remissionem peccatorum promeruerit nosque Deo reconciliaverit, a quo plenitudo libertatis

([1]) Deut., XVII, 15. — ([2]) 2 Ep., II, 19. — ([3]) Cf. S. Thom., I, Quaest. LXIII, art. 8.

nobis provenit, hinc daemonis vincula excussit et nos perfecte liberos effecit (1).

IV. — *Quotuplicis generis libertatem per Christum assequimur ?*

Resp. Cum triplex sit servitutis genus, videlicet, intellectus, qui est per errorem ; carnis, qui est per reas passiones : diaboli et mundi, qui est per extrinsecam suggestionem : hinc a prima servitute liberavit nos Christus per manifestationem purissimae doctrinae suae ; a secunda, per collationem gratiae ; a tertia, per sacramenta, quibus nos armavit : quae quidem omnia contenta quodammodo habemus in Sanctissimo Nomine Iesu, quod est nobis lux, cibus et medicina : lucet enim, praedicatum ; pascit sui recordatione ; ungit invocatum (2).

(1) 3, Quaest. XLIX, art. 2. — (2) S. Bernard., Serm. XV sup. Cantica.

SECTIO CLXII.

(I. VIII, 39-47).

Argumentum. — *Obiicientibus Iudaeis, se esse filios Abrahae, ideoque liberos, contra respondet Christus, illos Abrahae filios non esse, sed diaboli, cum non Abrahae, sed diaboli opera facerent.*

Ratio Sectionis. — Gravissima sunt quae hoc loco proponit Dominus noster: scilicet exclusa Hebraeorum iactantia de eorum relate ad Abraham filiatione, suam asserit processionem a Patre, qui est fons totius veritatis; Hebraeos autem evincit esse filios non Abrahae, sed diaboli, qui mendax est et mendacium loquitur.

(*a*) RESPONDERUNT et dixerunt ei: *Pater noster Abraham est* [1]. Dicit eis Iesus: *Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite* [2]. *Nunc autem quaeritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo: hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris vestri* [3]. Dixerunt ergo ei: *Nos ex fornicatione non sumus nati; unum Patrem habemus Deum* [4]. Dixit ergo eis Iesus: *Si*

(*a*) I. VIII, 39-47.

[1] Clare se prodit, in hac assertione, Iudaeorum iactantia, qua se super ceteros homines extollebant, ac indebitum sibi honorem, scilicet filiationis ab Abraham, superbe arrogabant.

[2] En certum signum quo quis tanquam verus Abrahae filius agnoscatur, si videlicet eius fidem ac devotionem fuerit imitatus: de quibus luculenter agit S. Paulus ([1]). Cum igitur debeant veri filii virtutes patrum suorum in se ipsis referre, eorumque velut characteres exprimere, hinc illi conari debuissent fidem et obedientiam Abrahae imitari.

[3] Merito superbi Iudaei a Christo Domino severe redarguuntur, quasi non vere Abrahae filii sint, cum ille fuerit mansuetus, humilis, patiens, non haesitans in fide, usque ad filii occisionem; illi, e contra, innocentem interficere volentes, palam ostendunt se alterius filios esse, non certe Abrahae, qui Dei mandatis omnino paruit ([2]).

[4] Cum iam intelligerent Iudaei,

([1]) Hebr., XI, 8-19. — ([2]) Gen., XII, 4; XV, 6; XVIII, 19.

Deus Pater vester esset, diligeretis utique me: ego enim ex Deo processi, et veni: neque enim a me ipso veni, sed ille me misit [5]. *Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum* [6]. *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere* [7]. *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater eius* [8]. *Ego autem si veritatem dico, non creditis*

Iesum de alio patre, quam carnali, locutum fuisse, de patre scilicet qui talis propter operis qualitatem asseritur, ostendere nunc volunt, se esse Dei filios, quem agnoscunt et colunt, non diaboli, cui idololatrae deserviunt. Fornicatio, cui hic alludunt, est fornicatio non corporum sed animorum, in idolorum cultu consistens; ideo suam fidem in unum Deum, in argumentum propriae iustificationis, superbe protendunt.

[5] Christus Iudaeorum praesumptioni suam opponit divinam originem, qua, Patri consubstantialis, ab eo tamen in persona distinctus processit, et in mundum ab eo missus venit. Si ergo Iudaei Filium non diligunt, nec Patrem possunt diligere: quos enim trahit Pater, hi ad Iesum veniunt ([1]).

[6] Qui aliquem odio magno prosequitur, quidquid ille agit vel loquitur, aversatur; ideoque, ait Dominus, propter rancorem, quem concepistis adversum me, nequitis verba mea aequanimiter audire. *Unde audire non poterant,* quaerit S. Augustinus ([2]), *nisi quia corrigi credendo nolebant?*

[7] Per malitiae imitationem, filii diaboli estis, cum ille sit *pater super omnes filios superbiae* ([3]). Sic sunt omnes mali: explere contendunt iniqua illa desideria, quae diabolus ipsis inspirat.

[8] Describit hic Dominus noster lapsum diaboli, causam illius lapsus et effectum. Creatus est diabolus in Dei gratia, sed statim cum in seipso, ob suam perfectionem, efferretur, lapsus est irremediabiliter, instigans alios angelos ad peccandum; denique, cum creatus est homo, illum non cessavit per mendacium a veritate abducere. Sic diabolus primam mulierem ad peccandum seduxit; Cain incitavit ut occideret Abel; Iudam, ut Christum proderet; Iudaeos, ut illum occiderent; tyrannos, ut Ecclesiam persequerentur. Recte dicitur diabolus, dum mendacium profert, ex propriis loqui, quia id non habet ex alterius suggestione, sicut homo, et quia primus omnium

([1]) Io., VI, 44, 45. — ([2]) Tract. XLII in Io., n. 9. — ([3]) Iob, XLI, 25.

mihi [9]. *Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi* [10]? *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* [11].

mendacium protulit. — Cum dicitur, *et pater eius,* supplendum videtur, *mendacii,* τοῦ ψεύδους, de quo sermo est initio propositionis: diabolus enim, ut diximus, primus auctor mendacii extitit.

[9] Proprium Iudaeorum peccatum erat peccatum infidelitatis, quo maxime homo a Deo elongatur. — In graeco, pro eo quod hic legitur, *ego autem si veritatem dico,* est, ἐγὼ δὲ ὅτι τήν ἀλήθειαν λέγω, *ego autem quia veritatem loquor:* id est, si mendacium loquerer, utique mihi crederetis, cum filii sitis patris mendacii.

[10] Ostendit se Christus fide dignum, eo quod culpam non habeat, cum conceptus fuerit de Spiritu Sancto, et repletus gratia et veritate. — In graeco, loco *arguet,* legitur *arguit,* ἐλέγχει, quod maiorem sermoni Domini nostri vim adiicit.

[11] Ex Deo homo est per gratiam sanctificantem: ergo, qui gratia ornatur Dei verba dociliter accipit; qui illa respuunt, signum est eos e gratia excidisse. Ex hoc inferre licet, hominem, etsi certitudinaliter scire non valeat, utrum amore an odio dignus sit ([1]), id tamen probabiliter coniectare posse, ex modo quo erga verbum Dei afcitur.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum, per haec verba:* NOS EX FORNICATIONE NON SUMUS NATI, *intenderint Iudaei excludere suam ex Agar originem?*

Resp. Sic quibusdam placuit intelligere verba ista, quasi Iudaei protestati sint se non esse filios Agar, vel Cethurae, vel Sarae ex alio patre quam Abraham: nam, ex quo protinus addunt: *Unum patrem habemus Deum,* evidenter intelligi dant se nec idola secutos esse, sicut ceteras gentes, aut idolorum operibus vel cultui indulsisse. Ceterum mos est Scripturae, idolorum cultum, per respectum ad Hebraeos, sub nomine fornicationis designare ([2]); hoc videlicet pacto, quia eorum gentem verus Deus, quasi inita cum ea desponsatione, elegerat.

([1]) Eccle., IX, 1. — ([2]) Cf. Exod., XXXIV, 16; XVII, 7; XX, 5; Iudic., II, 17; Ier., II, 20, etc.

II. — *De quanam processione agit Dominus, eum ait:* EGO EX DEO PROCESSI ET VENI ?

Resp. Dominus agit, primo, de processione ad intra, quae est per originem unius divinae personae ab altera, in unitate eiusdem consubstantialis naturae, secundum emanationem intelligibilem utpote verbi intelligibilis a docente, quod verbum manet in dicente (1); unde Filius, ut Deus est, a Patre procedit processione ad intra. Secundo, agit etiam de processione ad extra, quatenus Christus, secundum humanam naturam, est Dei factura, a quo proinde eo modo procedit, quo procedunt res quae per creationem a Deo esse acceperunt (2).

III. — *Quare non dixit Christus:* NON VULTIS *audire sermonem meum, sed:* NON POTESTIS ?

Resp. Quia voluntas perversa et ad malum propensa obstaculo sibi est ne ad veritatis cognitionem perveniat, quod quidem obstaculum voluntas ipsa auferre posset; sed quamdiu causa ista remanet, sensus spirituales animae quasi occluduntur, ut audire et intelligere minime valeant.

IV. — *Utrum, in eo quod dicitur:* MENDAX EST, ET PATER EIUS, *intelligendum sit et diaboli patrem esse mendacem ?*

Resp. Sic quippe, ex Manichaeis olim, ex rationalistis recenter, nonnulli verba haec intellexere: illi, ut inde inferrent, quod est eorum haereseos cardo, dualitatem summorum principiorum; isti, ut Evangelio calumniarentur. Et illi quidem, Gnosticorum et Valentinianorum erroribus insistentes, diabolum faciebant creaturam demiurgi, κτίσμα τοῦ δημιουργοῦ: unde sensum verbis istis dabant: *Diabolus mendax* ψεύστης *est, et pater diaboli est etiam mendax,* ψεύστης. At absurdum esse hunc sensum evidens est; sensus enim obvius et consonus Scripturae est diabolum, cum in veritate non steterit, primum protulisse mendacium, quod proinde tanquam eius proles habenda est.

V. — *Utrum omnia peccata sint ex suggestione diaboli ?*

Resp. Indirecte quidem diabolus dici potest causa omnium peccatorum quae in mundo committuntur, cum ex eius imitatione alii angeli ad peccandum fuerint inducti, et ipsemet instigaverit primum hominem ad peccandum, ex cuius peccato consecuta est

(1) Tr. DE SSMA TRINITATE, Quaest. XXVII, art. 1, n. 2, p. 10. — (2) Cf. Tr. DE INCARNATIONE VERBI, Quaest. XVI, art. 8, n. 2. Vol. I, p. 27.

in toto genere humano pronitas quaedam ad omnia peccata. Attamen, non omnia hominum peccata committuntur diabolo directe instigante, sed plura procedunt ex humanae voluntatis malitia, multa ex carnis corruptione, multa etiam ex scandalo mundi ([4]).

VI. — *Quaenam est propria diaboli indoles ?*

Resp. Propria diaboli indoles est odium veritatis, quod quidem ex malitia voluntatis originem trahit, veritati nolentis acquiescere ([5]).

([1]) Tr. de Angelis, Vol. II, Quaest. CXIV, art. 3, n. 3, p. 208. — ([2]) Rom., II, 8.

SECTIO CLXIII.

(I. VIII, 48-59).

Argumentum. — *Calumniantibus Iesu Iudaeis, quasi daemonium haberet, excludit mansuetissimus Dominus turpem hanc blasphemiam, ostendens quomodo a Patre glorificatus fuerit, in cuius etiam adventu Abraham exultavit: at pervicaciores Hebraei illum lapidare tentant.*

Ratio Sectionis. — In hac ultima parte sermonis Domini nostri in templo, clare significatur profundissimum illud mysterium duplicis in ipso Christo generationis, aeternae scilicet et temporalis, ob quam verus simul Deus et verus homo omnino agnoscendus est.

(*a*) RESPONDERUNT ergo Iudaei, et dixerunt ei: *Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et daemonium habes* [1]? Respondit Iesus: *Ego daemonium non habeo; sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me* [2].

(*a*) I. VIII, 48-59.

[1] Odio diabolico acti, duas nunc, easque gravissimas iniurias in sanctissimum ac mansuetissimum Dominum impingunt Iudaei: primam quod, velut Samaritanus, in parte tantum legem observaret, unde illum ex hoc capite tanquam haereticum habebant ([1]); alteram, quod foedus aliquod cum daemone iniisset, ad mirabilia patranda. Haec quidem convicia in Christum ex mero livore illi proferebant: quandoquidem probe sciebant, ea esse falsa. Cum dicant: *Nonne bene dicimus nos,* evincunt Iudaei huiusmodi convicia se saepius iterasse.

[2] Ad primam contumeliam Iesus non respondet, cum puerile sit homini genus obiicere, maxime cum probe scirent Iesum Samaritanum non esse; sed illum talem fuisse ex moribus et indole contendebant: unde satis fuit Christo alteram calumniam, quod daemonium haberet, refutare. Praeterea, mystica est, in hoc nomine, *Samaritanus,* significatio, quae Christo plene com-

([1]) Cf. Sect. XXXV, quaest. III. Vol. I, p. 236.

Ego autem non quaero gloriam meam: est qui quaerat et iudicet [3]. *Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum* [4]. Dixerunt ergo Iudaei: *Nunc cognovimus quia daemonium habes. Abraham mortuus est, et prophetae; et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum. Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et prophetae mortui sunt. Quem teipsum facis* [5]? Respondit Iesus: *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est. Et non cognovistis eum: ego autem novi eum; et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, et sermonem eius servo* [6]. *Abraham pater vester*

petit: Samaritanus quippe *custodem* significat, et nulli certe, melius quam Domino nostro, convenit haec appellatio ([1]). Alteram igitur calumniam, confidens at mansuetus reiicit Dominus, provocando ad sanctitatem vitae suae, cum e contra diabolus nunquam Deum honoret; simulque probrum in Iudaeos retorquet, quorum opera ipsi Christo dedecori erant. — *Inhonorastis me,* in graeco ὑμεῖς ἀτιμάζετέ με, *contumelia me afficitis.*

[3] Christus, ut homo, mundanum honorem sibi non quaesivit, sed omnem Deo Patri retulit gloriam, qui tamen vult ut honor et potestas Filio suo decernantur, ita ut iniurias ei eiusque Sanctis illatas, quotidiano quasi iudicio vindicare soleat.

[4] Cum calumniati essent Iudaei, sermonem Domini nostri esse a daemone profectum, hic contra proclamat illum adeo esse salutarem, ut inde vera immortalitas dependeat. Attamen, quod hic Dominus de immortalitate animae profert, Iudaei prave intelligunt de immortalitate corporis; propterea obiiciunt quae sequuntur.

[5] Cum debuissent Iudaei attendere ad opera Christi, quae testimonium de ipso perhibebant, e contra, in malitia ac caecitate intellectus sui in hoc uno insistunt, ut comparent Christum cum prophetis solummodo quantum ad vitam temporalem, cum revera de vita aeterna animae ipse locutus fuisset.

[6] Provocat hic Iesus Iudaeos ad splendidum de se testimonium, quod et voce et factis perhibuerat de ipso Pater; eos quoque provocat ad suam de Patre notitiam, quae duplex est: altera, quam habet ut Deus, pro-

([1]) Cf. infra, Sect. CLXXIV, n. 11.

exultavit ut videret diem meum: vidit, et gavisus est [7]. Dixerunt ergo Iudaei ad eum: *Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti* [8]? Dixit eis Iesus: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum* [9]. Tulerunt

cedens a Patre eique consubstantialis; altera, quam habet ut homo, quae multiplex est: sed maxime respicit hoc loco cognitionem affectivam. E contra, frustra Iudaei gloriabantur Patrem se habere Deum, cum ei obedientiam non praestarent, nec sinerent se illius ductu regi; frustra quoque iactabant se nosse Patrem, nam *qui dicit se nosse eum, et mandata eius non custodit, mendax est* ([1]).

[7] Per spiritum prophetiae, cognovit Abraham, adhuc vivens, Christum in fine saeculorum incarnandum; unde dicitur vidisse diem Christi, non quidem corporaliter, sed per fidem, cum etiam tenderet in ipsum per spem, et exultaret in eius praestolatione per caritatem. Post mortem autem cognovit Abraham, in limbo positus, Christum iam in mundum venisse. — *Exultavit ut videret*, ἵνα ἴδῃ, id est, in hoc exultavit, quod utcumque videre posset diem Christi. — Per *diem Christi*, hic intelligitur ipsum Incarnationis mysterium, seu adventus Verbi in mundum per assumptam carnem, in qua nostram salutem Filius Dei operatus est.

[8] Magna Iudaeorum perversitas: dixerat Christus, vidisse Abraham diem suum; illi vero, quo melius Christo calumnientur, rem ita proponunt, ac si dixisset Abraham a se homine fuisse conspectum. Igitur, non considerabant Iudaei, nisi humanam Christi naturam; ideoque putabant se posse illum falsitatis arguere, memorata, utique per exaggerationem, illius aetate.

[9] Mirabilis Christi responsio, in qua primo quidem apparet invicta illius patientia, et per hanc, illius veritas; scriptum est enim ([2]): *Doctrina viri per patientiam noscitur*. Deinde, non dicit: *Ego eram,* aut *ego factus sum,* ut exigi videretur ex opposito verbo *fieret;* sed, *sum,* ostendens suam aeternitatem, quae nec praeteritum habet, nec futurum, sed omne tempus ambit et excedit. Similiter dixit olim Deus Moysi ([3]): *Ego sum qui sum;* et ad Hebraeos scribens S. Paulus aiebat ([4]): *Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula.*

([1]) 1 Io., II, 4. — ([2]) Prov., XIX, 11. — ([3]) Exod., III, 14. — ([4]) Hebr., XIII, 8.

ergo lapides, ut iacerent in eum; Iesus autem abscondit se, et exivit de templo [10].

[10] Cum nihil haberent quod sapientissimis Christi verbis possent obiicere, ad lapides confugiunt obstinati Iudaei; Iesus autem, cum passionis suae tempus nondum advenisset, eorum furori se subtrahit, sicut antea per medium civium suorum transiens eorum manus evaserat, quando illi eum praecipitare volebant ([1]). — Advertendum, in pluribus codicibus graecis addi verba: *Transiens per medium illorum, et ita abiit,* quae tamen videntur glossa ex S. Luca transumpta ([2]).

QUAESTIONES.

I. — *Quomodo ait hic Christus de Patre:* EST QUI QUAERAT ET IUDICET, *cum superius dixerit* ([3]): PATER NON IUDICAT QUEMQUAM?

Resp. In iudicio duo considerantur: videlicet, ipsa discretio boni a malo, et prolatio sententiae. Igitur, quantum ad primum, iudicat Pater, seu Trinitas, scilicet, per auctoritatem; quantum ad secundum vero, iudicat Christus, quantum ad naturam assumptam, cum ad ipsum, ut homo est, pertineat sententiam proferre.

II. — *Quomodo hic ait Christus,* ABRAHAM EXULTASSE UT VIDERET DIEM EIUS, *cum alibi scriptum sit* ([4]): MULTI PROPHETAE ET IUSTI CUPIERUNT VIDERE QUAE VOS VIDETIS, ET NON VIDERUNT?

Resp. In hoc ultimo loco loquitur Christus de visione intellectuali coniuncta visioni corporali: hoc modo vero, nec Abraham, nec prophetae, nec iusti, viderunt diem et opera Christi, seu Christum in carne, cum ante eius Incarnationem fuerint defuncti.

III. — *Qua ratione dicitur Abraham vidisse diem Christi?*

Resp. Tripliciter potest hoc dictum intelligi: primo, dici potest Abraham, per fidem in venturum Messiam, vidisse a longe diem Christi; secundo, Christum, in carne futurum et pro nobis passurum, speciali modo vidit in dilecto filio Isaac, cum in eo fuit ut illum, iubente Deo, mactaret; tertio, adhuc propius diem Christi vidit

([1]) Luc., IV, 30. Vide supra, Sect. CV, n. II, p. 116. — ([2]) Loco cit. — Io., V, 22. — ([4]) Matth., XIII, 17.

cum, in limbo positus, cognovit, tum ex relatione animarum illuc advenientium, ut Simeon, Annae, Ioseph, etc., tum ex illustratione sanctorum Angelorum, Christum iam revera advenisse, quae res illi magnae exultationi fuit.

IV. — *Cur dixerunt Iesu Iudaei:* QUINQUAGINTA ANNOS NONDUM HABES, *cum ille multo iunior foret?*

Resp. Aliqui dicunt Iudaeos ita fuisse locutos, propter reverentiam iubilaei, qui fuit quinquagesimus annus ([1]): quasi dixerint: Necdum attigisti unum iubilaeum, et Abraham vidisti, qui pene per duo millia annorum dormivit cum patribus suis? Alii censent Christum, propter ieiunia et labores et propter nimiam maturitatem, multo seniorem apparuisse, quam revera esset; unde ait in Psalmo ([2]): *Genua mea infirmata sunt a ieiunio, et caro mea immutata est propter oleum.* — At melius dicitur, ideo eos tantum annorum augmentum expressisse, ut insinuarent quam plane ac facile possent verba Christi falsa demonstrare: quasi dicant: Etiamsi multo senior fores, nihilo minus falsum esset quod dixisti, Abraham a te visum fuisse. — Notandum vero, ex hoc loco natum esse errorem S. Irenaei, de Christi aetate, quasi ad quinquagesimum vitae annum appropinquante, cum haec a Iudaeis de illo proferrentur ([3]).

V. — *Undenam praesto fuerunt Iudaeis lapides, quos in Iesum proiicerent?*

Resp. Dicunt nonnulli, lapides illis ad manum fuisse ex congesta illuc ad aedificationem materia; alii vero, obvios illis fuisse lapides in ipso templi atrio ([4]); alii demum autumant, Iudaeos cito exiisse in atrium gentilium, ad lapides colligendos, quibus Christum obruerent.

VI. — *Quomodo de templo exivit Iesus?*

Resp. Dici potest Iesus, assumpta ad tempus subtilitatis dote, oculis Iudaeorum se invisibilem reddidisse; vel, turbis se immiscendo, in aliquam templi, quod multis porticibus atque cubiculis erat distinctum, reconditam partem divertisse, ubi se abscondere facile potuerit.

([1]) Lev. xxv, 10, 11. — ([2]) Ps. cviii, 24. — ([3]) L. ii Contra Haeres., c. xxii, n. 6. — ([4]) Cf. Matth., xxiii, 35.

SECTIO CLXIV.

(I. IX, 1-7).

Argumentum. — *Cum adduxissent ad Iesum hominem caecum a nativitate, prius quidem declarat Dominus, illum caecum natum fuisse ut manifestarentur opera Dei in illo: tum, facto luto ex sputo, linit illi oculos et sic visum ei restituit.*

Ratio Sectionis. — Narrationem de caeco nato, auctores concorditer ponunt post sermonem in templo, in tribus praecedentibus Sectionibus relatum, tanquam opportunam confirmationem eorum quae Christus tunc de sua divinitate disseruerat. Non omnes tamen conveniunt, utrum haec curatio eadem die evenerit, qua Christus praedictum sermonem protulit. Censent nonnulli, Iesum, e templo egressum, ad montem Oliveti, noctem in oratione acturum se contulisse; altera vero die, quae fuit sabbatum, Hierosolymam rediisse, ubi praeteriens cum discipulis, homini caeco a nativitate obviam fuit. At, coniungente Evangelista praecedentia cum subsequentibus per particulam *et*; imo, omittentibus graecis codicibus repetitionem subiecti, id est nominis Iesus, dicendum potius videtur, ipsummet Iesum, mox e templo egressum, obviam habuisse hunc caecum natum. Nec obstat, discipulos tunc cum Iesu recenseri: sicut enim hi sermoni interfuisse credendi sunt, ita eisdem facile fuit Iesum e templo egressum reperire. — Commode autem potest praestans haec historia in quatuor partes dividi: ita ut, primo, factum ipsius sanationis caeci nati referatur *; secundo, narratio quam de sui sanatione fecit ipse caecus natus **; tertio, timidorum illius parentum affectatum de hac re silentium ***; quarto, Iudaeorum cum caeco sanato disceptatio, et huius praeclara de Christi divinitate confessio ****. — Mirabilis valde est simplicitas praesentis narrationis.

(*a*) ET praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate [1]. Et interrogaverunt eum discipuli eius: *Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes eius, ut caecus nasceretur* [2]? Respondit Iesus: *Neque hic peccavit, neque paren-*

(*a*) I. IX, 1-7.

[1] Non casu, aut indifferenter, hominem illum vidit Iesus; sed credendus est oculos in eum misericorditer defixisse, ut novo miraculo divinam suam missionem confirmaret: ex quo occasionem discipuli sumpserunt rationem gravis illius infortunii ab eodem sciscitandi.

[2] Cum intelligerent Apostoli,

* Sect. praes. — ** Sect. CLXV. — *** Sect. CLXVI. — **** Sect. CLXVII.

tes eius; sed ut manifestentur opera Dei in illo [3]. *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari* [4]. *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi* [5]. Haec cum dixisset, expuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos eius [6], et

malum homini evenire in poenam peccati, inquisierunt ob cuius peccatum caecitas illi homini obvenisset, illiusne, an eius parentum.

[3] Non hoc inteñdit Christus, caecum illum, aut eius parentes, ab omni peccato fuisse immunes; sed, iuxta formalem quaesiti rationem respondens, dicere vult, caecitatem non quidem ob aliquam illius aut eius parentum culpam illi homini obvenisse, sed a Deo fuisse ordinatam in finem divinae gloriae manifestandae. Non negatur tamen hic absolute caecitatem fuisse poenam peccati; nam nisi primus homo peccasset, non fuissent mala physica, quae solum supposita culpa divinitus sunt ordinata.

[4] His verbis disponere voluit Christus Apostolorum mentes ad miraculum quod mox operaturus erat, etsi sabbatum esset. Vix sex vitae menses ei supererant, quo tempore praedicationi et miraculorum patrationi atque operibus beneficentiae erat ei insistendum: post hoc sequi debebat tempus passionis et mortis; post mortem vero, licet resurrecturus, tamen merendi tempus amplius non erat habiturus. — Advertendum, in graeco, loco *me oportet,* legi *nos oportet,* ἡμᾶς δεῖ; pro secundo *me,* etiam, interdum *nos* habetur: qua lectione significat Iesus se Apostolos in societatem operis sui assumpsisse.

[5] Horum verborum sensus est: vitae mortalis tempus debeo ego impendere in illuminandis mentibus hominum per meam praedicationem, et per miraculorum patrationem. — Alterum sensum ampliorem assignant alii: nempe, cum promiserim me fore vobiscum usque ad consummationem saeculi, haudquaquam desinam homines illuminare per maiestatem deitatis, per sacramentum mei corporis et sanguinis, et per spiritualem inhabitationem, qua mentes devotas per gratiae dona inhabito. Et hoc quidem verum est; at non videtur hic sensus verbis istis contineri, cum ageret hic Christus de operibus quae ante suam mortem ipsemet debebat peragere.

[6] Potuisset Dominus solo iussu huic caeco visum restituere: at elementa vilia adhibuit, quibus nulla effectui producendo inest virtus, imo quae potius oculos integros excaecarent aut saltem laederent: quo mirabilior sanatio appareret. Ostendit igitur Christus nuda sibi elementa ad nutum obedire; unde credere etiam debemus, spiritualem eisdem virtutem, utique instrumentalem,

dixit ei: *Vade, lava in natatoria Siloe* (quod interpretatur Missus) [7]. Abiit ergo, et lavit, et venit videns [8].

adnecti posse, prout in sacramentis apparet, et signanter in baptismo, cuius miraculum istud symbolum fuit, et qui a Patribus graecis vocari solet sacramentum illuminationis.

[7] Non abs re piscinae nomen, quae ad orientem Hierosolymae moenia alluebat, ab Evangelista recensetur: Siloe quippe significat *missus,* seu *emissus,* ἀπεσταλμένος, idest, cum impetu e scaturigine fluens, cum Christus, quem fons ille significabat, missus a Patre in terras fuerit, ad homines peccato obcaecatos, luce suae gratiae illuminandos.

[8] En obedientae praemium. Qui Deo eiusque ministris obedit, copiosius meretur illustrari. — Notandum, id quod hic dicitur, *lava, lavit,* ad solos oculos referri, non ad totum corpus. — *Venit videns,* non ad domum suam aut ad parentes eius, sed, ut videtur, ad templum, Deo gratias acturus. Nec obstat, quod mox ([1]), nominantur vicini: hi enim vicini esse non desinunt, licet eum in templo, vel circa templum viderunt.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum crediderint Apostoli, animas creari antequam corporibus infundantur?*

Resp. Id quidem videretur prima facie eruendum ex Apostolorum interrogatione: *Rabbi, quis peccavit, hic,* etc., *ut caecus nasceretur?* Porro, Platonicorum sententia erat, animas hominum, simul creatas in principio mundi, tunc quidem peccasse, atque ob id corporibus, quasi carceribus, in ultionem antecedentium peccatorum, alligatas fuisse. At, cum Apostoli rudes et simplices essent, non est credendum, illos hisce subtilitatibus indulsisse. Aliunde, cum in lucem prodiens caecus ille, infirmitatem suam secum detulerit, forsan suspicati sunt illam ei ex peccato originali, speciali quodam et occulto modo, derivatam; aut etiam falso credere potuerunt Deum, qui universa praenoscit, illum hominem fecisse caecum, propter eius iniquitates futuras. Quocirca a Christo erant benigne illuminandi.

II. — *Utrum omnes hominis afflictiones poena sint illius peccati?*

Resp. Negative, ut constat ex divinitus reprehenso errore ami-

([1]) Sect. seq., init.

corum Iob. Conati sunt autem nonnulli id probare ex eo loco, ubi minatur Deus se iniquitatem puniturum usque in tertiam et quartam generationem (1), necnon ex eo quod, propter peccatum David, parvulus mortuus est (2), atque ex sanatione aegroti triginta octo annorum, dicente Christo (3): *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* At, licet omnis mali origo sit peccatum, absonum tamen est a catholica veritate dicere, omnem huius vitae afflictionem poenam esse peccati eius qui illam afflictionem patitur: quod tamen non excludit quominus illas afflictiones Deus in exercitium virtutis ordinet. Unde male iudicant homines, cum putant eos qui prae ceteris a Deo flagellantur, maiores esse peccatores: quo perverso iudicio laboraverant olim amici Iob: et simili errore hic ostenduntur laborasse pharisaei, cum caecum hunc, tanquam magnum peccatorem interpellaverunt: *In peccatis natus es totus.* Cum hoc tamen stat quod, nisi homo peccasset, malum physicum non adfuisset.

III. — *Utrum possit quis pro peccato alterius puniri?*

Resp. Potest quidem quis pro peccato alterius puniri in corpore, non autem in anima spiritualiter. Ad quod intelligendum, sciendum est quod punitio consistit in subtractione alicuius boni et inflictione alicuius mali. Bonum autem est duplex, et malum similiter. Est enim bonum spirituale ad animam pertinens, scilicet gratia, virtus, et dona Spiritus Sancti; aliud est bonum corporale, ut sanitas, divitiae. Unus ergo non punitur propter peccatum alterius, in privatione spiritualium bonorum et inflictione oppositorum malorum, sed in privatione corporalium bonorum. Cuius ratio est, quia unus punitur propter peccatum alterius, in quantum est aliquid eius, ita quod poena eius redundat in illum propter quem punitur: sicut punitur populus propter regem, et filius propter parentes, quemadmodum in libris Regum et Paralipomenon legitur populus Iudaeorum percussus propter numerationem factam seu fieri iussam a David (4). Unus autem non est aliquid alterius quantum ad animam, quoniam anima simplex est et immediate a Deo creatur atque infunditur. Unde per Ezechielem Dominus loquitur (5): *Omnes animae meae sunt; sicut anima filii, sic anima patris.* Sed quantum ad corpus, filius est aliquid parentum, tanquam de eorum semine natus, et populus est aliquid principis. Ideo propter peccatum unius, alter quandoque punitur, vel in corpore per infirmitatem, vel in membris per monstruositatem. Quandoque enim nascuntur filii monstruosi propter peccata parentum, qui in filiis

(1) Deut., v, 9. — (2) 2 Reg., xii, 14. — (3) Io., v. 14. — (4) 2 Reg., xxiv, 1-15, 17; 1 Par., xxi, 1-14, 17. — (5) Ezech., xviii,4.

talibus affliguntur ac puniuntur, vel in exterioribus bonis, vel in subditis (1).

IV. — *Quomodo potest Deus, absque iniustitia, homini insonti defectus corporales infligere?*

Resp. Imprimis, recolendum est homini, per respectum ad Deum, ius verum non esse, cum totaliter pendeat ab ipso; unde si cui Deus non omnia det quae ei danda viderentur, ex hoc id tantum deduci potest, illum non omnia dare quae dare potuit.

V. — *Quomodo permisit se caecus a Domino tractari, et oculos luto perungi?*

Resp. Evangelista, brevitati studens, plura lectori intelligenda reliquit: sic, verbi gratia, caecus ab Apostolis vel turba primum audivit Iesum adesse; tum fortasse aut ipse petiit a Iesu ut oculos sibi aperiret, aut Iesus ipse eum interrogavit velletne visum recipere; tum, a circumstantibus rescivit Iesum lutum fecisse; demum aliquis illum ad fontem Siloe perduxit.

VI. — *Quare, ad sanandum hunc infirmum, voluit Dominus lutum ex sputo adhibere?*

Resp. Primo, ad ostendendum corpus suum, utpote divinitatis instrumentum, salutarem virtutem, ad homines sanandos, habere; secundo, ad exclusionem erroris gnosticorum et manichaeorum, de materia in se mala et ex malo principio orta; tertio, ut eo analogo modo hominem infirmum sanaret, quo corpus primi hominis olim plasmaverat.

(1) Dion. Cartus., in h. l., ad litter.

SECTIO CLXV.

(I. IX, 8-17)

Argumentum. — *Disceptantibus pluribus de identitate caeci quem Christus sanaverat, recitat ille ordinem restitutae sibi facultatis visivae, palam agnoscens suum benefactorem uti prophetam.*

Ratio Sectionis. — Relato miraculo sanationis hominis ab ortu caeci, pergit S. Evangelista Ioannes referens illius de hoc facto simplicem narrationem atque sinceram accepti beneficii agnitionem.

(*a*) ITAQUE vicini, et qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant: *Nonne hic est, qui sedebat et mendicabat* [1]? Alii dicebant: *Quia hic est.* Alii autem: *Nequaquam, sed similis est ei.* Ille vero dicebat: *Quia ego sum* [2]. Dicebant ergo ei: *Quomodo aperti sunt tibi oculi?* Respondit: *Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit, et unxit oculos meos, et dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe, et lava. Et abii, et lavi, et video* [3]. Et dixerunt ei: *Ubi est ille* [4]?

(*a*) I. IX, 8-17.

[1] Ex hoc discimus, caecum hunc, ante suam sanationem, solitum fuisse sedere secus viam, victum a transeuntibus emendicantem: ex hoc autem quod huc illuc libere ambulabat, manifestius apparebat beneficium sanationis ei a piissimo Salvatore collatae.

[2] Ex hac discussione clare resultat, nullam circa factum praeviae caecitatis dubitationem extitisse; sed nec dubium erat utrum homo ille revera videret, sed de identitate illius; nam, ut caecus quidem notissimus fuerat; at oculorum apertio aliquam ei in vultu mutationem induxerat, unde non tam facile agnoscebatur. Solvit caecus ipse omnem dubitationem, sincera confessione pandens ingens miraculum in seipso patratum.

[3] Admiranda simplex hominis narratio, qui tamen nondum Christi divinitatem cognoscebat, sed eius nomen ex aliorum relatu tantum didicerat. Non dicit autem quomodo lutum fecerit Iesus, quia forte id nescivit, cum illius actionem ipse non perspexerit.

[4] Audientes hunc hominem tam mirabiliter fuisse sanatum, auctorem miraculi personaliter

Ait: *Nescio* [5]. Adducunt eum ad Pharisaeos, qui caecus fuerat. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Iesus, et aperuit oculos eius [6]. Iterum ergo interrogabant eum Pharisaei, quomodo vidisset [7]. Ille autem dixit eis: *Lutum mihi posuit super oculos, et lavi, et video* [8]. Dicebant ergo ex Pharisaeis quidam: *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit* [9]. Alii autem dicebant: *Quomodo potest homo peccator haec signa facere* [10]? Et schisma erat inter

cognoscere cupiebant: viso enim mirabili aliquo effectu, illius auctorem videre naturaliter desideramus.

[5] Recesserat Iesus ab illo loco antequam caecus iam illustratus reverteretur, nec hic audierat quo Salvator abiisset.

[6] Cum penes vulgus persuasio inesset pharisaeos esse competentes iudices causarum religiosarum, hinc sponte adstantes hominem illum ad eorum tribunal perducunt, quatenus dirimi res posset: utrum scilicet talis sanatio, sabbati die perfecta, esset revera a Deo.

[7] Secunda haec interrogatio non a popularibus, sed a pharisaeis facta est, ad quos adductus fuerat caecus ille a Christo Domino sanatus.

[8] Simpliciter iterum homo rem factam narrat. Eadem repetit verba quae antea ([1]) ad adstantes direxerat, nisi quod tunc, in graeco, legebatur ἀνέβλεψα, *suspexi*, aut *visum recuperavi;* nunc vero habetur βλέπω, *video.*

[9] Multipliciter hic mentiuntur pharisaei: primo quia Christus revera nil servile fecerat, quo sabbatum solveret; secundo, quia ipse, ut Deus, erat Dominus sabbati, ideoque minime tenebatur ad litteralem sabbati observationem; tertio, quia sabbati quietem violare poterat homo, ubi de gloria Dei, vel animarum salute, aut incolumitate proximi ageretur ([2]). — Notari hic potest, eos qui malitiose agunt, bonum quod quis perfecerit tacere; malum, si quod superficietenus habeatur, ultro manifestare, imo bonum in malum convertere. — In graeco legitur: *quia,* ὅτι, *sabbatum non custodit.*

[10] E pharisaeis nonnulli, ut Nicodemus, Iesu Christo, ut diximus, adhaerebant ([3]). Hi videntur divinum de observantia sabbati praeceptum sanius intellexisse, etsi principium ab eis invocatum non omnino verum dici potest, cum Deus interdum malis etiam utatur ad mira patranda. Verum est tamen in subiecta materia: miracula quippe Christi Domini ordinabantur ad eius doctrinam comprobandam;

([1]) Vers. 11. — ([2]) Cf. Matth., XII, 5, 11; Luc., XIII, 14, 15. — ([3]) Io., XII, 42; XIX, 38.

eos [11]. Dicunt ergo caeco iterum: *Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos* [12]? Ille autem dixit: *Quia propheta est* [13].

nequit autem Deus miracula facere in gratiam erroris. — Consulto dicunt, *haec signa,* cum alias quoque Dominus iam sabbato miraculum patrasset ([1]).

[11] De pharisaeis hic agitur, apud quos talis erat divisio, ut alii Christum violati sabbati increparent; alii vero illum iustum tenerent, nec in priorem sententiam concedere ullo modo vellent: ex quo ulterius falsum comprobabatur quod antea dixerant ([2]): *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex pharisaeis?*

[12] Partibus inter se minime convenientibus recurrunt ad testimonium eius qui Christi potentiam fuerat exspertus. En iudices ad sententiam illius confugiunt, qui erat ipsemet in causa. — Pro *qui,* in graeco est ὅτι, *quia.*

[13] Credidit simplex ille homo, Iesum esse prophetam, quin tamen adhuc illum crederet esse Christum, verum Dei Filium, cum id nondum a Iesu dictum audivisset. Igitur, firmiter tenuit illum esse iustum et veracem, ac talem qualem ipse se esse perhibebat; et sic sensim disponebatur ad habendam explicitam de Christi divinitate fidem, mox ac id sibi propositum fuisset.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum qui adduxerunt ad pharisaeos illum qui caecus fuerat, id ex malo animo fecerint?*

Resp. Licet hoc a pluribus commentatoribus teneatur, negative tamen potius respondendum videtur, cum eos non constet erga Iesum sinistre fuisse affectos. Nec valet dici, ex modo quo Iesum illi designant, eorum odium aperte manifestari, cum illum nondum cognoscerent; praeterea, ex hoc quod viderant Iesum in sabbato hominem illum curantem, non necessario cogitaverunt de violato sabbato, sed rem ad competentes iudices, quales censebant fuisse pharisaeos, dirimendam detulerunt. Ceterum, quod addit Evangelista: *Erat autem sabbatum,* etc., explicationis causa ponitur, in gratiam sequelae narrationis.

II. — *Utrum possit homo peccator miracula facere?*

Resp. Miracula proprie dicta sunt effectus totam virtutem creatam excedentes: unde a solo Deo fieri possunt; ideoque id ad

([1]) Io., v, 10 - ([2]) Io., vii, 48.

cuius confirmationem fit tale miraculum, semper est verum, cum Deus nequeat confirmare errorem aut testis esse falsitatis. Miracula vero divinitus facta, quandoque fiunt ad testificandum de veritate doctrinae: et tunc illa doctrina immobiliter vera est, a quocumque doceatur, vel quantumcumque perversus sit doctor; non tamen consequens est, quod docens sit iustus vel Deo placens. Sicque per malos praedicatores frequenter sunt facta quaedam miracula, ad fidei confirmationem: exaudivitque Deus precem illorum, non propter illorum merita, sed propter Ecclesiae utilitatem, et ad insinuandum efficaciam fidei christianae, cuius tanta est virtus, ut per eam fiant miracula etiam a malis. Interdum vero miracula fiunt ad testificandum de bonitate docentis: et tunc doctor huiusmodi veraciter bonus et iustus est. Miracula autem Christi facta sunt a Deo propter utrumque, videlicet ad ostendendum quod vera sit eius doctrina, et quod ipse sit verus Christus, Sanctus Sanctorum et iustus in omnibus. Imo, si quis dixerit quod miracula Christi facta sint ad eius doctrinae confirmationem, sequitur quod etiam facta sint ad eius sanctitatis testimonium. Docuit enim se esse Christum, sanctum et iustum, omni peccato carentem: quam doctrinam Deus nequaquam miraculis confirmasset, nisi ita fuisset. Sed hoc in aliis non sequitur, qui non propriam, sed Christi legem praedicant et doctrinam. Sive ergo a bonis sive a malis fiant proprie sumpta miracula, demonstratur fidei veritas, tanquam a Deo data atque firmata. Verum, quoniam ad credendum multum confert iustitia asserentis, idcirco decentius est miracula fieri a iustis quam impiis: quod et ita fit (1).

III. — *Utrum boni an mali fuerint, qui caecum sanatum interrogaverunt:* TU, QUID DICIS DE ILLO?

Resp. Censent plures, illos, fuisse ex malis pharisaeis, sperantibus se hominem vilem et mendicum in partes suas facile pertracturos; dum tenent alii, illos ex bonis fuisse, optantibus sententiae suae patronum accersere. At melius dicendum videtur, quaestionem hanc, a bonis quidem fine bono prius propositam, a malis mox cum strepitu et contentione susceptam fuisse, et quidem cum sperarent se inde causae suae confirmationem fore accepturos.

(1) Dion. Cartus., in h. l., ad litt.

SECTIO CLXVI.

(I. IX, 18-23).

Argumentum. — *Parentes caeci a Christo sanati, a Iudaeis interrogati quomodo eorum filius visum recuperasset, timore Iudaeorum acti, respondent se id nescire.*

Ratio Sectionis. — Apertae ac sincerae veritatis confessioni a caeco illo sanato elicitae, opponitur modo illius parentum timiditas, cui occasionem dederant minae principum synagogae, de eiiciendis illis omnibus, qui confessi fuissent Iesum esse Christum.

(*a*) Non crediderunt ergo Iudaei de illo, quia caecus fuisset, et vidisset [1], donec vocaverunt parentes eius qui viderat; et interrogaverunt eos [2], dicentes: *Hic est filius vester, quem vos dicitis, quia caecus natus est* [3]? *Quomodo ergo nunc videt* [4]? Responderunt eis parentes

(*a*) I. IX, 18-23.

[1] Particula ista, *ergo,* rationem dat cur Iudaei credere noluerint, hominem illum caecum fuisse, et nunc videre: nimirum, hoc fuit quia caecus Christum prophetam vocaverat.

[2] Cum Iudaei a caeco sanato iam percepissent factum illius sanationis et modum quo haec completa fuerat, miraculum nunc obfuscare conantur, detrahentes modo curationis, quasi scilicet non posset Deus tale beneficium per hominem peccatorem conferre: per hominem, inquam, qui sabbatum, ut calumniabantur, solveret: ideo parentes eius accersunt, sperantes fore ut illi, ex timore Synedrii, iuxta suam sententiam loquerentur, vel saltem aliquid ex eorum responsis posset colligi, ad veritatem obscurandam; sed cum quidquid non valeat homo adversus consilium Dei, contrarium revera factum est.

[3] Non dicunt Iudaei: *Quia quandoque caecus fuit,* sed: *Quem vos dicitis,* quasi id vos finxeritis, ut Christo plausum procuraretis. Sed si non credunt hominem illum revera fuisse caecum, quomodo Iesum antea accusaverunt, quasi eum curando solvisset sabbatum?

[4] Tria inquirunt invidi pharisaei: primo, an iste sit eorum filius; secundo, an caecus a nativitate; tertio, qualiter visum

eius, et dixerunt: *Scimus, quia hic est filius noster, et quia caecus natus est; quomodo autem nunc videat, nescimus; aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus* [5]; *ipsum interrogate; aetatem habet, ipse de se loquatur* [6]. Haec dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudaeos [7]: iam enim conspiraverant Iudaei, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret [8]. Propterea parentes eius dixerunt: *Quia aetatem habet, ipsum interrogate* [9].

receperit, si caecus natus est. — Notandum est illud *ergo:* quasi impatientes dicant, impossibile esse ut, si revera homo ille caecus fuerit a nativitate, tali modo, id est per talem virum, Christum nempe, visum receperit.

[5] Ad duo priora quaesita respondent parentes, factum sic sanationis filii sui testimonio suo confirmantes; ad tertium autem, ob metum Iudaeorum, ut mox subditur, nihil respondent.

[6] Exemplum hic habetur inordinati et carnalis timoris, quo debiles et formidolosi illi parentes retrahuntur a respondendo tertiae parti supradicti quaesiti; at vero testimonium de originali caecitate filii, data nunc aperta veritate de sanitate illius oculorum, inutiles redderet omnes pharisaeorum conatus de negando illo miraculo.

[7] Magis timuerunt isti iudicium hominum, quam iudicium Dei.

[8] Extra synagogam fieri, ἀποσυνάγωγος, erat hominem a societate Israel, saltem in rebus ad religionem spectantibus ([1]), tanquam manifestae impietatis reum separari, quo quidem aliqua impietatis et infamiae nota, sic excluso, inurebatur. Quam consultius et salubrius eis fuisset a Christo, qui propter se expulsos clementer amplectitur, recipi, quam in synagoga, in qua tot erant adversarii Filii Dei, permanere.

[9] Ea est aetate, qua sisti ad iudices quaeat; ideoque de rebus suis potest ipse testimonium exhibere. Videtur sanctus Evangelista, his verbis, humiles illas personas, si non a toto, saltem a tanto, excludere voluisse.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum peccaverint pharisaei peccato in Spiritum Sanctum, qui dicitur impugnatio veritatis agnitae?*

Resp. Affirmative: cum enim ad Spiritum Sanctum, per appropriationem, pertineat bonitas vel sanctitas vitae, haec autem directe

([1]) Cf. 1 Esdr., x, 8.

impugnetur per hoc quod quis directe contemnat ea per quae homo impeditur ab electione peccati, hinc planum est illum in Spiritum Sanctum peccare, qui agnitam veritatem, qua maxime homo ab eligendo peccato retrahitur, pertinaciter impugnat: quod hic fecisse perhibentur Iudaei, omnibus modis conantes veritatem miraculi a Christo patrati, suis sophismatibus obscurare (1).

II. — *Utrum timor vel timiditas sit peccatum?*

Resp. Affirmative, loquendo de timore inordinato, ut constat ex eo quod Dominus dicit (2): *Nolite timere eos qui occidunt corpus;* et rursus (3): *Ne timeas eos, neque sermones eorum metuas.* Nimirum, timor evadit peccatum, oppositum virtuti fortitudinis, quando talis est, ut propter aliquod malum imminens, aliquis refugiat bonum adimplere quod sibi praeceptum est lege, vel naturali vel positiva, sicut cum iudex retrahitur ab innocente absolvendo, actus timore ne potenti viro displiceat. Quocirca legitur (4): *Quis est homo formidolosus et corde pavido? Vadat et revertatur in domum suam;* et rursus (5): *Qui formidolosus et timidus est, revertatur* (6).

III. — *Quid sibi voluerit, hominem extra synagogam fieri?*

Resp. Duo, in solemni exclusione a synagoga, comprehendebantur: unum, expulsio a communicatione in sacris; alterum, maledictio seu anathema. Nota prioris erat lugubris vestis, qua expulsus incedere debebat; per alterum vero ab omni cum ceteris Iudaeis commercio homo arcebatur. Porro, incerta res est, utrum, Christi tempore, utraque exclusionis forma vigeret: ex praesenti autem textu, videtur prior tantum forma innui.

(1) 2 2ae, Quaest. XIV, art. 2. — (2) Matth., X, 28. — (3) Ezech., II, 6. — (4) Deut., XX, 8. — (5) Iudic. VII, 3. — (6) 2 2ae, Quaest. CXXV, art. 3.

SECTIO CLXVII.

(I. IX, 24-38).

Argumentum. — *Caecus a Christo sanatus, cum palam confessus esset miraculum in se patratum, a Iudaeis foras eiicitur; qui cum a Iesu audisset illum esse Filium Dei, procidens eum reverenter adorat.*

Ratio Sectionis. — Clare in hac Sectione caeci sapientia et mentis rectitudo effulgent, cum ante plebem daemoniaco furore agitatam et necem Salvatoris meditantem, Christum Dominum aperte confiteatur, eligens magis ab infideli synagoga eiici, quam Domini gratiae refragari.

(*a*) OCAVERUNT ergo rursum hominem, qui fuerat caecus, et dixerunt ei: *Da gloriam Deo: nos scimus, quia hic homo peccator est* [1]. Dixit ergo eis ille: *Si peccator est, nescio* [2]; *unum scio, quia caecus cum essem, modo video* [3]. Dixerunt ergo illi: *Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos* [4]? Respondit eis: *Dixi vobis iam, et audistis* [5]. *Quid*

(*a*) I. IX, 24-38.

[1] Non quiescit invidia, sed indefesso animo malum ei molitur quem odit, et dum veritatem nititur obruere, vanis utitur cautelis. Praetendunt pharisaei iudicialem formam, qua iudices iusiurandum postulabant: *Da gloriam Deo* (1); simplicem vero hominem inducunt ut curationem de qua dubitare non licebat, magicis artibus adscribat. Excaecantur malitia, et sanatum caecum terrent, ut sibi contradicat, Iesum non prophetam, sed peccatorem fatendo.

[2] Non dubitat hic homo de sanctitate Iesu, quem modo prophetam appellavit; sed prudenter protestatur ad se non pertinere iudicium authenticum de hac re proferre. Ceterum non derogat sanctitati prophetae, si semper non fuerit ab omni vel levi culpa immunis.

[3] Securus comprobatae veritatis, de suiipsius curatione solemne reddit testimonium.

[4] Inexplebilis invidia pharisaeos movet ad simplicem hominem rursus insidiose interrogandum, quatenus aliquid saltem reprehensionis in hoc Christi facto, ex eius ore possint deprehendere.

[5] Nullum caeco sanato dubium restat de prava pharisaeorum in-

(1) Cf. Ios., VII, 19; I Reg., VI, 6.

iterum vultis audire? numquid et vos vultis discipuli eius fieri [6]*?* Maledixerunt ergo ei, et dixerunt: *Tu discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus unde sit* [7]. Respondit ille homo, et dixit eis: *In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit meos oculos* [8] *Scimus autem quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, et voluntatem eius facit, hunc exaudit* [9]. *A saeculo non*

tentione: unde magnopere laudanda est eius in respondendo libertas et constantia, quam utique a Christo sibi habuit infusam. — *Et audistis,* in graeco est, καὶ οὐκ ἠκούσατε, *et non audistis,* id est, *audire vel credere noluistis:* quod etiam per interrogationem legi potest.

[6] Nihil poterat superbis pharisaeis odibilius esse, quam ut ipsi crederentur alicuius hominis, et maxime Christi, quem odio prosequebantur, discipuli. Dum autem hic dicit, *et vos*, tacite iam se inter eius discipulos recenset, quod bene pharisaei intellexerunt, ut ex sequentibus eruitur.

[7] Malum simplici huic homini imprecantur, Moysi discipulatum Christi discipulatui opponentes, quem tanquam vanum et opprobriosum repraesentant, cum tamen scire potuissent Christum a Moyse praenuntiatum fuisse; sed nec verum est quod intolerabili fastu aiunt, se nescire undenam sit Christus. Ceterum, sicut homines passionati facere solent, illi modo asserunt, modo negant.

[8] Cum deberetis scire, quo pacto spiritus discernantur et undenam procedant, intelligere debuissetis, miraculum quod in me patratum est, fuisse ordinatum in testificationem sanctitatis Iesu. — *Mirabile,* τὸ θαυμαστὸν, id est *res illa mirabilis:* aut *hoc unum quod licet admirari.*

[9] Propositio haec, absolute sumpta, vera non est, siquidem, *haec adhuc inunctus loquitur,* ait S. Augustinus ([1]): *nam et peccatores Deus exaudit, alioquin frustra publicanus diceret: Deus, propitius esto mihi peccatori.* Quinimmo diabolum Deus quandoque exaudivit ([2]); utique ad voluntatem, non ad utilitatem, ut exponit idem Augustinus ([3]) At in praesenti casu vera est propositio: scilicet, Deus, in datis circumstantiis, Christum minime exaudisset, seu miraculum minime patrasset, si Christus iustus non fuisset, cum miraculum tunc praecise ordinaretur ad comprobandam illius sanctitatem. Duo tamen hic falso supponit caecus: primum, Christum non esse, nisi

([1]) L. III de Baptismo. — ([2]) Iob., I, 12; II, 6; Luc., VIII, 32. — ([3]) Serm. 354, n. 7.

est auditum, quia quis aperuit oculos caeci nati [10]. *Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam* [11]. Responderunt, et dixerunt ei : *In peccatis natus es totus, et tu doces nos* [12] ? Et eiecerunt eum foras [13]. Audivit Iesus, quia eiecerunt eum foras [14] ; et cum invenisset eum, dicit ei : *Tu credis in Filium Dei* [15] ? Respondit ille, et dixit : *Quis est, Domine, ut credam in eum* [16] ? Et dixit ei Iesus : *Et vidisti*

ustum virum et prophetam; alterum, illum non propria virtute portentum patrasse.

[10] Legimus utique mortuos a prophetis suscitatos; sed caecis, praesertim a nativitate, visum fuisse datum, nunquam in scriptura legimus ante Christi adventum.

[11] Non potuisset Iesus facere aliquod ex mirabilibus illis operibus, quae ab illo compleri vidimus, nisi a Deo fuisset. Sic homo ille, non parum indignatus tot conviciis impeti Iesum, ei propius inhaeret.

[12] Contumeliose illi homini obiiciunt pharisaei infirmitatem in qua natus fuerat, quasi fuisset sequela alicuius eius latentis peccati, ac indignabundi repellunt sensata illius verba.

[13] E templo et synagoga illum expellunt, et tanquam excommunicatum habent. Et sicut paulo ante, nescientes, benedixerant eum verbis, dicendo : *Tu discipulus illius sis* ([1]), sic modo, gnorantes, benedicunt eum factis, expellendo eum a Synagoga Satanae : quos enim ipsi expellebant crudeliter, Christus recepit clementer ([2]).

[14] Id quidem cognoscebat Iesus scientia supernaturali; at quia apparere volebat ut homo, hinc illatam homini iniuriam sibi ab aliis narrari voluit.

[15] Iam Christus benigne ac sapienter caecum provocat ad explicitum actum fidei in suam divinitatem eliciendum. In graeco, articulus ponitur : εἰς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, ut significetur Christum esse verum ac proprium Filium Dei. — Attamen, in pluribus graecis codicibus, legitur, *in Filium hominis,* εἰς τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου.

[16] Benefactorem suum caecus nondum viderat; illum tamen statim agnoscit, tum sono vocis, tum bonitate et maiestate quae in ore eius fulgebant. Nunc igitur plene dispositum se prodit, qui in Dei Filium expresse credat. Post expertam multiplicem pharisaeorum malitiam, lectoris delectat animum huius hominis animus simplex et candidus.

([1]) Vers. 28. — ([2]) Dion. Cartus., in h. l. Cf. supra, Sectio praeced., quaest. III, p. 416.

eum, et qui loquitur tecum, ipse est [17]. At ille ait: *Credo, Domine.* Et procidens adoravit eum [18].

[17] Ego ipse, quem oculis nunc corporeis intueris, qui praesentialiter tecum loquor, sum Filius Dei, qui visum tibi dedi. — *Vidisti eum,* ἑώρακας αὐτόν, *modo vidisti, et etiam nunc vides:* tempore scilicet perfecto actio adhuc perdurans declaratur. — *Ipse est,* ἐκεῖνος ἐστιν, *ille est.*

[18] Mirabilis fidei operatio in caeco illo: intus certissime cognoscit Iesum Christum esse verum Dei Filium; illum et sincera oris confessione, et prona corporis adoratione, uti talem veneratur: *corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem* ([1]).

QUAESTIONES.

I. — *Utrum peccatores Deus nunquam exaudiat?*

Resp. Dicitur aliquis peccator tripliciter: *primo,* quia aliquando magna peccata commisit, sed de eis dignam postea poenitentiam fecit et virtuosus evasit; et huiusmodi certe Deus exaudit, uti de S. Paulo evidenter constat, eis concedens obiectum petitionis eorum, aut interdum negando quod postulant, sed dans aliquid melius ac vicinus saluti. *Secundo,* dicitur peccator, qui in peccatis mortalibus est, habet tamen verum propositum se emendandi ac attritionis motum, etsi is usque ad perfectam contritionem non pertingat. Huiusmodi autem exaudiuntur, non de condigno, sed de congruo; id est Deo misericorditer eos praeveniente, licet ad id a sua iustitia non moveatur. *Tertio,* peccator est, qui in vitiis iacet, nec de peccatis poenitentia ducitur, sed in pravo proposito et affectu permanet; et hic quidem exaudiri potest ad voluntatem, minime vero ad utilitatem: id est, potest interdum ei obiectum petitionis suae concedi, quod tamen non in illius utilitatem cedit, sed in bonum aliorum, quos Deus decrevit vel per malos homines purificari et sanctificari.

II. — *Quomodo patescit studium Christi ad instruendum hunc hominem?*

Resp. Primo, hoc studium apparet ex diligenti consideratione eorum quae circa illum agebantur, necnon eorum quae propter sui confessionem ille passus fuerat, sicut princeps diligenter considerat quae suus athleta propter illum patitur; unde dicitur: *Au-*

([1]) Rom., x, 10.

divit Iesus. Secundo, ex eo quod Christus diligenter eum quaesivit, cum in illo solo plus de fide invenerit, quam in omnibus aliis; unde additur: *Et cum invenisset eum:* illud enim inveniri dicitur, quod diligenter quaeritur. *Tertio,* ex seria interrogatione: *Tu credis in Filium Dei.* Non autem interrogavit Iesus: *Tu credis in Christum,* sed: *in Filium Dei,* ut inde excluderetur futurus aliquorum error, qui confessuri erant Iesum tanquam Christum, non autem tanquam Filium Dei.

III. — *Quare quaesivit Christus a caeco, utrum crederet* IN FILIUM, *et non* FILIO *Dei?*

Resp. Quia cum solus Deus sit obiectum fidei, quae in prima veritate quiescit, bene quidem potest homo credere alicui creaturae, puta Petro et Paulo; sed in solum Deum, sicut in obiectum formale fidei, creditur (1).

(1) Cf. Sect. XXX, quaest. II. Vol. I, p. 206.

SECTIO CLXVIII.

(I. IX, 39-41; X, 1-10).

Argumentum. — *Recensito fine ob quem in mundum venit, Christus nunc edisserit se esse pastorem ovium, imo se esse ostium ovium, per quem si quis introierit, salvabitur, cum e contra fur non veniat, nisi ut furetur, et mactet, et perdat.*

Ratio Sectionis. — Constat praesens et subsequens Sectio ultimis tribus versiculis capitis noni S. Ioannis et primis viginti uno versiculis sequentis capitis decimi: quae quidem omnia ad idem argumentum pertinent, licet commode in duas Sectiones dividantur: in quarum priori Christus proprie commentatur praerogativam suam, qua se dicit ostium ovium; in altera vero boni pastoris dotes pressius recenset. — Dubitari vix potest quin sermo praesens immediate successerit sanationi caeci nati, cum evidenter Dominus, collato visu corporali, occasionem sumpserit disserendi de visu spirituali, et praeterea legantur nonnulli ex Iudaeis, auditis hisce Christi verbis, dixisse: *Numquid daemonium potest caecorum oculos aperire* *. Imo cum gravibus auctoribus dici potest, omnia quae ab initio capitis septimi S. Ioannis usque ad praedictum locum ** commemorantur, in octava festi Scenopegiae, seu Tabernaculorum, accidisse.

(*a*) ET dixit Iesus: *In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, caeci fiant* [1]. Et audierunt quidam ex Pharisaeis, qui cum ipso erant, et di-

(*a*) I. IX, 39-41; X, 1-10.

[1] Nunc convertit Iesus sermonem ad multitudinem. Duplex autem est Christi iudicium: alterum discretionis, alterum retributionis finalis. Primum fit in hoc mundo, quando Christus discernit eos quibus in salutem aeternam benefacit, ab eis quos, ob sua peccata, in errore relinquit. Priores sunt simplices et recti corde, quales fuerunt discipuli Christi et caecus de quo fuit sermo, qui se caecos existimantes, Deum humiliter deprecantur, ab eoque gratiose illuminantur; alteri sunt superbi qui, velut scribae et pharisaei, in propriis oculis sapientes, lumine fidei et ceteris donis Spiritus Sancti privantur. Possunt etiam, per *non videntes*, intelligi gentiles, unius veri Dei agni-

* Sect. CLXIX, p. 429. — ** Io., X, 21.

xerunt ei: *Numquid et nos caeci sumus* [2]? Dixit eis Iesus: *Si caeci essetis, non haberetis peccatum; nunc autem dicitis: Quia videmus. Peccatum vestrum manet* [3]. *Amen, amen dico vobis* [4]: *qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. Huic ostiarius aperit* [5], *et oves vocem eius audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit; et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum* [6].

tione carentes, quos Deus postea per Apostolos amplissime illuminari voluit; per *videntes* vero Iudaei, divina lege instructi, qui ob suam pervicaciam excaecati sunt. — Notandum, in Vulgata olim lectum fuisse: *Et dixit ei Iesus;* consulto autem correctores abstulisse pronomen *ei,* quod quidem in graeco deest; quo datur intelligi, Dominum haec omnibus praesentibus edixisse.

[2] Suspicabantur pharisaeorum nonnulli, mordente eos conscientia, se hic a Christo significari; unde animo arroganti praesentem proponunt quaestionem.

[3] Si humiliter vestram agnosceretis insipientiam, et me, doctorem iustitiae, audiretis, indulgentiam et gratiam iustificantem mereremini; nunc vero, cum vos doctos et sapientes iactatis, incurabile vulnus geritis, quo in aeternam ruetis damnationem.

[4] Pulcherrimam de ovilis ostio et de pastore ovium parabolam modo proponit Christus, quo id amplius dilucidet quod breviter exposuit, qualiter videlicet iudicium discretionis inter praedestinatos et reprobos fieri debeat. — Desumitur parabola ex vita pastoritia, qualis viget in oriente: ubi nocte tantum, oves plurium gregum, in una caula, in septis congregantur, ostio munitis, cui praeest ostiarius.

[5] Pulcra hic boni pastoris descriptio, in oppositione ad intrusum praelatum: ille siquidem, primo dicitur per ostium intrare, quia a Deo legitime assumitur, et per Spiritum Sanctum admittitur in sanctuarium sapientiae sempiternae, ut gregi sibi commisso eructet memoriam abundantiae suavitatis divinae; alius autem ascendit superbe aliunde, non ut gregem aedificet, sed ut, tanquam fur, ovibus ad sui commodum utatur, et tanquam latro, vitam in eis gratiae suffocet, daemonis dentibus illas exponendo.

[6] Dotes nunc exponit Dominus hinc quidem boni, illinc vero mali pastoris. Boni pastoris vocem oves libenter agnoscunt et audiunt, qui eas dulciter vocat nominatim, et ad pabula ducit, illas exemplo et verbis praecedens: unde libenter illum sequuntur.

Hoc proverbium dixit eis Iesus; illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis [7]. Dixit ergo eis iterum Iesus: *Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium* [8]. *Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones; et non audierunt eos oves* [9]. *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur; et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet* [10].

Seductorem vero et pestiferum pastorem oves non sequuntur, nec eius verbo acquiescunt, sed eum tanquam immundum ac perversum devitant. Bonus pastor bonas efficit oves; unde magnum est Dei beneficium, virtuosum habere praelatum, cum vitia et defectus ovium saepe accidant ex negligentia et insufficientia pastorum. — Notandum, accidentale esse quod hic dicitur, videlicet pastorem ante oves pergere, cum in quibusdam regionibus contrarius mos obtineat, ut potius pastores gregem suum sequantur, propellentes, magis quam invitantes.

[7] Pro *proverbio,* graece est παροιμία, quod est aliquod dictum vel aliqua sententia, quae in ore omnium versatur, velut parabola: unde et indifferenter dicuntur proverbia vel parabolae Salomonis. Hoc loquendi genere utebatur Dominus, ne inimici sui eius verbis calumniarentur ([1]). Ideo autem non intellexerunt Iudaei verba Christi, quia, cum essent superbi legis aemulatores ac se a multis coli cernerent, ideo distinctionem hanc, inter pastorem proprium et alienum ad se pertinere non arbitrabantur.

[8] Christus dicitur ostium per similitudinem quamdam, quemadmodum dicitur agnus, leo, petra, lucerna, etc. ([2]). Per Christum ergo intramus ad Patrem, nunc per fidem et gratiam, in futuro vero per speciem, seu apertam visionem. Ad rem S. Augustinus ([3]): *Dicant pagani: Bene vivimus. Si non intrant per ostium, quid prodest eis unde gloriantur?*

[9] Male Manichaeorum nonnulli ex hoc loco inferebant, omnes veteris Testamenti prophetas a Deo missos non fuisse, cum Dominus passim prophetas commendet. In veritate eos significat Christus qui, divina carentes caritate, officio pastoris abutuntur, salutem ovium privato suo commodo postponentes; quibus conveniunt illa Ieremiae verba ([4]): *Ipsi currebant et ego non misi eos.*

[10] *Ingredi* et *egredi,* phrasis est hebraea, qua significantur actiones hominis, et tota eius conversatio: huic similis est phrasis, *sessio* et *surrectio* ([5]). Anima

([1]) Cf. supra, Sect. XCVI, quaest. 1, p. 73. — ([2]) Cf. Io., I, 29; 1 Cor., X, 4; Apoc., V, 5; Ibid., XXI, 23. — ([3]) Tract. XLV in Io., n. 1. — ([4]) XXIII, 21. — ([5]) Cf. Deut., XXXI, 2; 1 Reg., XVIII, 13; 2 Reg., III, 25; Ps. CXX, 8.

Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant [11].

seipsam diligenter custodiens, ut incontaminatam se Sponso Christo exhibeat, caelesti gratia impinguatur et divina virtute confortatur. — Verbum *salvabitur*, σωθήσεται, hoc loco, significat, securus erit ab inimicis, et incolumis evadet a malis. — *Pascua*, ἡ νομή, sunt doctrina Christi, eius sacramenta atque gratia, tum movens, seu actualis, tum sanctificans.

[11] Seductor et indignus pastor oves a Christo subtrahit, spiritualiter eas occidit et ad interitum perducit; Christus e contra pura exhibet fidelibus dogmata, eosque beneficiis in praesenti vita cumulat, in futura per gloriam aeternam coronandis.

QUAESTIONES.

I. — *Quisnam est sensus huius particulae,* UT, *in propositione:* IN IUDICIUM, *etc.?*

Resp. Sumenda est particula haec, non in sensu consequentiae, seu, ut dici solet, ἐκβατικῶς, sed in sensu causalitatis, seu τελικῶς, diverso tamen modo: nimirum, per respectum ad priores, id est, ad eos qui non vident, sermo est de voluntate impletiva Christi, seu Dei; per respectum vero ad secundos, sermo est de voluntate permissiva. Deus enim per se vult bonum; malum vero culpae non vult, nec per se, nec per accidens, sed illud fieri permittit ([1]). Sunt ergo verba ista affinia his aliis verbis ([2]): *Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel.*

II. — *Quinam per oves Christi, hoc loco intelliguntur?*

Resp. Per oves Christi, hoc loco, intelliguntur fideles, non solum secundum ordinem praedestinationis divinae, sed etiam secundum ordinem praesentis iustitiae. Certum enim est quod multi electi errant ad tempus, haereticorum doctrinas sequentes, aut mortalibus peccatis animas commaculantes; similiter, multi praesciti bonorum pastorum verba ad tempus auscultant, et heterodoxorum vocem abhorrent, qui tamen non sunt perseveraturi usque in finem. Ecclesia siquidem, quae per ovile significatur, utpote societas visibilis, non solos praedestinatos continet; et iussus est Petrus pascere agnos et oves, qui tamen electos a reprobis nequit in suo grege discernere. Cum hoc tamen stat, quod per oves interdum praedestinati formaliter intelliguntur, ut in hoc ([3]): *Ego vitam aeternam do eis* (ovibus meis), *et non peribunt in aeternum.*

([1]) S. Thom., I, Quaest. XIX, art. 9. — ([2]) Luc., II, 34. — ([3]) Io., X, 28.

III. — *Quisnam, per ostiarium, intelligitur?*

Resp. Primo quidem, intelligi potest Sacra Scriptura, vel Moyses, Psalmi et prophetae, per quos Iudaei ad cognitionem veritatis a Christo praedicatae introduci poterant. *Secundo,* Spiritus Sanctus, qui hominibus dat intelligentiam Sacrae Scripturae. *Tertio,* Christus, qui est noster ad Deum excellentissimus mediator. — Nec obstat Christum dici etiam ostium ([1]): nam in spiritualibus quaedam congruunt, quae in corporalibus esse non possunt: unde de Christo, sub diversis respectibus, simul dici potest quod est ostiarius, in quantum aperit nobis, seu docet nos viam salutis; est etiam ostium, in quantum est ipsemet veritas, per quam ad Deum pervenimus; imo est etiam ultima nostra beatitudo: quapropter dici potest Christus, per se, ad se, viam nobis aperire.

IV. — *Quinam intelliguntur per haec verba:* OMNES QUOTQUOT VENERUNT, FURES SUNT ET LATRONES?

Resp. Censent aliqui illos a Christo significari, qui nomen ac dignitatem Messiae usurpaverunt, ut Theudam et Iudam Galilaeum, de quibus in Actibus Apostolorum ([2]); at melius dicitur hic magistros significari trium sectarum quae illo tempore in Synagoga vigebant, scilicet, pharisaeorum, sadducaeorum et essenorum, per quos populus a veritate abducebatur et ad odium in Christum incendebatur ([3]). Impostores enim, de quibus supra, et multi his similes, qui sese tanquam Messiam iactabant, ut plurimum, nonnisi post Christi obitum insurrexerunt, et vix unum reperire est, qui Christum praecesserit. Ex quo etiam invictum eruitur argumentum perfidiae Iudaeorum; cum enim impostores isti, hac de causa sese pro Messia valerent exhibere, quia communis erat traditio completum iam fuisse tempus quo Liberator advenire deberet, hinc nulla illis remanebat suae in Christum rebellionis excusatio.

V. — *Quinam actus proprii sunt boni pastoris?*

Resp. Ex Domini nostri verbis colligimus, *primo* quidem, ad bonum pastorem pertinere oves suas cognoscere, et quidem nominatim, id est, non communi tantum, sed speciali cognitione coniuncta cum amore; *secundo,* illas educere, id est, segregare a societate impiorum; *tertio,* illas emittere, seu dirigere in viam salutis aeternae; *quarto,* eas praecedere exemplo sanctae conversationis. Quod si id necesse sit, debet etiam, *quinto,* vitam suam pro ovibus ponere, ut infra dicetur ([4]).

([1]) Hic, vers. 9. — ([2]) Act., v, 36, 37. — ([3]) Cf. Sect. XVII. quaest. I, Vol. I, p. 123. — ([4]) Sect. seq., n. 7, p. 428.

SECTIO CLXIX.

(I. X, 11-21).

Argumentum. — *Expresse nunc inculcat Dominus se esse pastorem bonum, simul exponens quaenam sint notae pastoris boni, ad distinctionem mercenarii, cuius non sunt oves propriae; unum tandem ovile se facturum declarat: porro, ex eius verbis dissentio inter Iudaeos oritur.*

Ratio Sectionis. — Cum se Dominus ostium esse iam asseruisset, ac a furibus et latronis se omnino separasset, nunc alio exemplo utens, se pastorem esse et declarat et ostendit; et quidem, non qualemcumque pastorem, sed bonum, ad differentiam mercenarii, qui et ipse pastor dicitur, sed bonus pastor revera non est.

(*a*) EGO *sum pastor bonus* [1]. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* [2]. *Mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum ve-*

(*a*) I. x, 11-21.

[1] Notanda est vis graeci textus: ἐγώ εἰμι ὁ ποιμήν ὁ καλός: nimirum, per primum articulum, significatur Christum esse excellentem pastorem, seu pastorem pastorum, cuius proinde sunt omnes aliorum pastorum oves; per secundum articulum vero, significatur bonitatem esse huius summi pastoris proprietatem. Nam, secundum quod Deus, Christus est pastor essentialiter bonus, cum sit ipsa pura et infinita bonitas; secundum naturam assumptam vero est pastor ministerialis, qui fideles salubriter alit sanctitatis exemplo, sapientiae verbo, oratione et signis seu portentis. Hanc Christi proprietatem prophetae iampridem annuntiaverant ([1]). Iamdudum suam de grege curam Iacob descripserat, aiens ([2]): *Die noctuque aestu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis* ([3]).

[2] Vere bonus pastor est Christus, qui pro nobis vitam suam et quietem neglexit, suo nos sanguine redemit et aluit, et post discessum suum Ecclesiae nos

([1]) Cf. Is., xxxi, 4; xl, 11; Ezech., xxxiv, 23; xxxvii, 24; Zach., xiii, 17. — ([2]) Gen., xxxi, 40. — ([3]) Cf. 1 Reg., xvii, 35.

mentem, et dimittit oves, et fugit; et lupus rapit, et dispergit oves [3]. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus* [4]. *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae* [5]. *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem* [6]; *et animam meam pono pro ovibus meis* [7].

commisit, a qua pasceremur, recrearemur atque defenderemur. — Notandum, in graeco, pro *dat*, legi τίθησιν, *ponit*, tanquam λύτρον, seu pretium aut pignus redemptionis nostrae.

[3] Eloquenter hic Christus discernit inter bonum pastorem et mercenarium. Hic non lucra quaerit animarum, sed temporales mercedes; coram tyrannis et persecutoribus trepidat et ignaviter fugit, grege deserto atque morsibus luporum inermi exposito. Mercenarii typum describit S. Paulus ([1]): *Omnes enim quae sua sunt, quaerunt, non quae sunt Iesu Christi* ([2]).

[4] Pertinet quidem ad mercenarium, secundum iustitiae ordinem, ovium cura; at ex eius avaritia provenit quod indifferentem se et negligentem erga eas gerat: mercenarius enim lucra animarum non quaerit, ut ait S. Gregorius Magnus ([3]). — *Non pertinet*, οὐ μέλει, id est, non est ei curae; vel ipse sollicitudinem de grege minime habet.

[5] Cognitio, de qua hic agitur, non in sola rei contemplatione consistit, sed coniunctam habet dilectionem benevolentiae: nimirum, oves suas cognoscit Christus et amat, eisque conatur omnibus modis benefacere. Oves vicissim cognoscunt Christum, eumque sincera dilectione prosequuntur.

[6] Comparatio hic indicata accipi debet, salva naturarum differentia: absoluta quidem est mutua cognitio Patris et Filii, quae est increata, propter identitatem naturae divinae; at non ita perfecta est, si attendatur humana Christi natura per respectum ad divinitatem; cum anima Domini nostri nequeat comprehendere divinam essentiam: attamen, illum sic cognoscit, quo perfectiori modo potest a creatura cognosci, scilicet, scientia non solum acquisita et indita, sed etiam beata. — Sciendum tamen, in graeco, sententias: *ego sum pastor bonus,* etc., et: *sicut novit me Pater,* etc., minime divisi per punctum, sicut in Vulgata; unde, secunda sententia potest dici explicatio prioris, hoc sensu: Ego cognosco oves meas, et oves meae vicissim cognoscunt me, quemadmodum Pater meus novit me, et ego vicissim illum cognosco: utique salva proportione inter diversas scientias; et haec quidem consideratio pulcherrima est.

[7] Hoc Christus facto ipso mox erat confirmaturus. — Notandum,

([1]) Phil., II, 21. — ([2]) Cf. I Pet., V, 2. — ([3]) Homil. XIV in Evangel.

Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient; et fiet unum ovile, et unus pastor [8]. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi a Patre meo* [9]. Dissensio iterum facta est inter Iudaeos propter sermones hos [10]. Dicebant autem multi ex ipsis: *Daemonium habet et insanit. Quid eum auditis?* Alii dicebant: *Haec verba non sunt daemonium habentis. Numquid daemonium potest caecorum oculos aperire* [11]?

in graeco, omitti pronomen *meis,* qua omissione, in clariorem lucem ponitur universalitas redemptionis Christi, et via sternitur intelligentiae sequentium.

[8] Ecclesia Christi erit unicum ovile omnium ovium, ex Iudaeis et gentilibus colligendarum, sub uno omnium pastore Christo: quae quidem prophetia, in vocatione gentium, per Apostolos et eorum successores impleta iam est. Tunc enim oves errantes congregatae sunt, et adductae ad unicum ovile Christi, iuxta illud ([1]): *Ipse... fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens,* etc.: abolita enim synagoga, Ecclesia Christi ab Hierosolymis diffundi coepit usque ad ultimum terrae. — Notandum, in graeco, legi, γενήσεται μία ποίμνη, id est, *fiet unus grex,* cum voci *ovile* correspondeat vox αὐλή.

[9] Inter rationes, ob quas Pater me amat, haec una est, quia vitam meam, cuius principium est anima, pro ovium salute sacrifico, et hoc quidem, ut Patris mandato paream, et quidem liberrime. Per quod dat Christus intelligi, se mortis imperio minime subiacere, sicut caeteris contingit hominibus: sed, quemadmodum homo vestem deponit ut illam rursus assumat, ita Christus vitam, quando voluit deposuit, et quando voluit resumpsit.

[10] Dissensio iam orta erat inter Iudaeos ob visum caeco nato restitutum ([2]): alterum nunc surgit discrimen ob divinum Christi sermonem, qui parvulis quidem sapientia, superbis vero stultitia videbatur.

[11] Valde admiranda est Domini nostri mansuetudo, qui se pro daemoniaco aut homine insaniente haberi passus est; at non deerant in illa turba, qui gratiae obsequentes, Christi partes viriliter defenderent. — Notandum est, plures numero fuisse, multos scilicet, qui veritati a Christo propositae refragati sunt; pauciores vero qui eius causam susceperunt.

([1]) Eph., II, 14. — ([2]) Io., IX, 16.

QUAESTIONES.

I. — *Quomodo potest simul Dominus dici ostium et pastor?*

Resp. Haec quidem, si proprie sumantur, simul de uno eodemque subiecto dici nequeunt: possunt autem uni personae convenire, si metaphorice accipiantur, id est considerata ratione ad quam significandam metaphora est assumpta. Igitur Dominus noster dicitur ostium, quatenus est veritas, per quam pervenimus ad Patrem, et quatenus per eum cum Patre reconciliati sumus, cum etiam ipse de se dixerit (1): *Ego sum via, et veritas, et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Est autem pastor, quatenus fidelibus suis bona pabula subministrat, scilicet sacramenta, per quae nobis gratia conceditur, et doctrinam qua gressus nostri in via salutis diriguntur (2).

II. — *Qualis debet esse vita boni praelati?*

Resp. Cum praelatus sit quasi signum in quod omnium subditorum oculi diriguntur, ideo nihil tantum eos aedificat, vel tantum confert ad omnem profectum virtutum, ut bona et irreprehensibilis vita pastoris. Frequens namque occursus et quotidianus adspectus in habitum vertitur, atque in cordibus subditorum veram in virtutibus constantiam operatur. Oportet ergo praelatum in virtute et sapientia stabilem esse, ne passionibus agitetur, ne personarum acceptor sit, ne unum prae alio palpet vel tribulet, ne privato amore vel odio corrumpatur; sed Deum semper prae oculis habeat, iugiter formidet, ne per suam imperfectionem aut iniustitiam, aliquem ex sibi commissis scandalizet. Praelatus quippe est iudex et caput, sive principium gregis sui. Iudex autem debet esse quasi animata iustitia vivaque lex, nusquam ab aequitatis tramite devians. Primum quoque in omni ordine est mensura et regula posteriorum. Mensuram vero et regulam necesse est esse uniformem ac simplicem: aliter non possent alia per eam mensurari ac regulari. Sit ergo praelatus uniformis, fixus et simplex, non simulator et callidus, sed mitis et humilis (3).

III. — *Quinam luporum nomine designantur?*

Resp. Omnes illi qui gregem Christi dispergere conantur; quales sunt diabolus tentans, tum doctores haeretici, qui prava disseminant dogmata, aut homines perniciosi, qui bonis moribus struunt insidias, necnon discordiarum seminatores, similiter tyranni qui fideles impugnant ac in ruinam pertrahere nituntur.

(1) Io., XIV, 6. — (2) Cf. Sect. praec., quaest. III, p. 426. — (3) Dion. Cartus., in h. l., ad litter.

IV. — *Utrum recte se gerat pastor, vitam suam postponens vitae irrationalium pecudum?*

Resp. Per se quidem debet homo vitam propriam vitae animalium anteponere; interdum tamen recte faceret pastor, exponendo se periculo vitae pro pecude, quemadmodum quis licite se periculo exponit pro defensione bonorum temporalium, ut puta, quando bona haec sunt necessaria, verbi gratia, pro salute reipublicae aut familiae. Ceterum, duo in hac parabola adverti debent: primum, Christum trahere exemplum a pastore bono, ut sic, seu quatenus formaliter est pastor, quidquid tandem sit de illius bonitate morali aut prudentia vitae: dicitur autem bonus pastor, qui ovium saluti quam diligentissime providet, etsi id interdum temerarie facere possit. At vero, Christus certe nil facit temerarie; sed nec in applicatione parabolae temerarium quid menti succurrit, cum finis huius parabolae sit translationem fieri de irrationalibus ovibus ad oves rationales, pro quarum spirituali defensione semper licitum est vitam exponere.

V. — *Utrum aliquando liceat pastori fugere?*

Resp. Ubi subditorum salus exigit pastoris praesentiam, non debet pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus pastor teneatur animam suam ponere pro ovibus suis; unde ille tanquam mercenarius fugit, qui commodum temporale, vel etiam salutem corporalem spirituali ovium saluti praeponit. Si vero praelatus possit subditorum saluti sufficienter per alium providere, tunc ei licet, propter commodum Ecclesiae, vel propter personale periculum, gregem corporaliter deserere. Unde Christus ipse in Aegyptum fugit metu Herodis, et in Nazareth metu Archelai; Apostolus quoque Iudaeorum insidias declinavit, submissus in sporta per murum ([1]): huc denique valet Domini mandatum ([2]): *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam* ([3]).

VI. — *Utrum prohibeantur boni pastores quaerere mercedem?*

Resp. Tripliciter potest merces accipi: uno modo, improprie, pro stipendio ad vitam sustentandam, et sic bono pastori licitum est vitae necessaria a fidelibus requirere, secundum illud ([4]): *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant?* Alio modo, accipitur merces proprie, id est per oppositionem ad hereditatem; cum vero

([1]) Act., IX, 25. — ([2]) Matth., X, 23. — ([3]) S. Thom., 2 2ae, Quaest. CLXXXV, art. 5. — ([4]) 1 Cor., IX, 13.

hereditas nostra sit paradisus, verus filius autem ad hereditatem respectum habere debeat, hinc bonus pastor non terrenis commodis inhiat, non gaudet honore praelationis, sed solum ad vitam aeternam respectum habet.

VII. — *Utrum, ex verbis Domini nostri:* FIET UNUM OVILE ET UNUS PASTOR, *inferri liceat fore ut, ante mundi finem, omnes homines in Christum credituri sint, sub unius Romani Pontificis ductu ac regimine?*

Resp. Negative, cum contrarium evidenter patescat ex multis Sacrae Scripturae locis, puta, ubi dicitur zizania reliquenda esse usque ad messem (1), vel fore ut persecutiones in fine mundi vigeant (2), vel etiam fidem tunc pene defecturam esse (3), aut tempus adventus Christi comparandum diebus ingruentis diluvii (4). Igitur supra dicta verba, interpretibus Patribus, hoc unum significant, ex duobus populis, iudaico scilicet et gentili, unam Domini caulam efficiendam, destructa macerie quae eos antea dividebat. — Attamen, nihil officit quin, hisce verbis, adumbrata videatur prophetia de conversione Iudaeorum ad Christum ante mundi finem (5).

VIII. — *Utrum diabolus possit aperire oculos caeci nati?*

Resp. Negative. Quod enim diabolus, propria virtute, morbis possit mederi, supplendo videlicet illud quod aliunde ope medicinae posset obtineri, intelligi debet supposito in infirmo aut vitae aut operationis principio; unde sicut nequit mortuum ad vitam revocare, ita nequit facere ut caecus aut surdus a nativitate, cui videlicet organum visus aut auditus deest, videat aut audiat. Huiusmodi enim operationes pertinent ad miracula secundae classis, videlicet secundum subiectum, quae sola divina virtute fieri possunt: e contra, operationes pertinentes ad miracula tertiae classis, seu quoad modum operandi, virtute angelica possunt fieri, cum tales effectus non excedant de se virtutem substantiarum separatarum. Sic tamen miracula non sunt, sed tantummodo quando Angeli operantur tanquam divinae virtutis ministri, Deo tunc partes agentis principalis exercente.

(1) Matth., XIII, 25. — (2) Ibid., XXIV, 6. — (3) Luc., XVIII, 8. — (4) Matth., XXIV, 37; Luc., XVII, 26. — (5) Cf. Comment. S. Hieronymi in c. III Osee. Cf. etiam tract. DE NOVISSIMIS, Quaest. VI, art. I, n. 9, p. 344.

SECTIO CLXX.

(L. X, 1-12).

Argumentum. — *Duos ac septuaginta discipulos Dominus designat, quos ad Evangelium nunciandum mittit, praemissis salubribus documentis de vita apostolico more traducenda.*

Ratio Sectionis. — Quae ultimis Sectionibus ex S. Ioanne retulimus *, evenisse probabiliter diximus, festo Tabernaculorum seu Scenopegiae durante: post quod statim loquitur hic Evangelista de festo Dedicationis seu Encaeniorum, intervallo videlicet trium circiter mensium praetermisso. Porro ab aliis Evangelistis, signanter a S. Luca, quaenam tunc temporis evenerint, accurate edocemur: ex quibus, primo quidem loco, recurrit designatio et missio septuaginta duorum discipulorum, quam S. Lucas capite decimo refert, scilicet postquam iam de apostolorum missione egerat **. Quod vero convenienter hic ponatur narratio missionis discipulorum, patet ex eo quod non ante festum Tabernaculorum intelligi potest facta, cum illam S. Lucas referat post ascensum Christi in Hierusalem ***; nec post festum Encaeniorum videtur ponenda, cum inter illud festum et passionem Domini, nimis breve tempus permittatur, quam ut huiusmodi missio, et quae ad eam referuntur, commode tunc locum habuisse dicantur. — Obiicienti, immediate ante hanc missionem referri a S. Luca **** conditiones a Christo latas de sui discipulatu, quas tamen antea ***** recitavimus, unde videretur missio Septuaginta discipulorum ad illum locum pertinere, respondetur conditiones illas generales esse pro omnibus Christi sequacibus, non proprias sive discipulorum, sive Apostolorum, ideoque illas bene recenseri ubi S. Matthaeus easdem refert ***-**: unde etiam ipsam Apostolorum missionem ******* praecedunt, licet post eamdem a S. Luca referantur. — Notandum denique est, Domini nostri tum exhortationem de exorando Deo ut mittat operarios in messem suam, tum ad discipulos monita, iis valde similia esse, quae ad Apostolos direxerat, cum illos ad praedicandum misit *******.

(*a*) POST haec autem designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus [1]. Et

(*a*) L. x, 1-12.

[1] Multos fuisse Domino sequaces, tum in Galilaea, tum in Iudaea, iam diximus (1); igitur praeter duodecim Apostolos, qui

* Hoc est a Sectione CXLIV, ad praesentem Sectionem exclusive, apud S. Ioannem vero a cap. VII, 11, usque ad cap. X, 21. — ** IX, 1, seq., Sect. CVI. — *** Luc., IX, 51. Sect. CLI. — **** IX, 57, seq. — ***** Sect. LVIII. — ****** VIII, 20. — ******* Luc., IX, 1, seq.; Sect. CVI. — ******** Vide supra, tum Sect. LXIX; tum Sect. CVII.

(1) Marc., IV, 10, secundum graecum. Sect. XCVII, n. 2, p. 74; cf. Sect. CLII, n. 1, p. 349.

dicebat illis: *Messis quidem multa, operarii autem pauci* [2]. *Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam* [3]. *Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos* [4].

erant instar duodecim Patriarcharum, auctorum ac principum duodecim tribuum, septuaginta duos discipulos nunc eligit Dominus, pro totidem senioribus a Moyse electis, ut illi in regimine praesto essent; et quemadmodum episcopi Apostolis successere, ita his discipulis sacerdotes sacro ministerio occupati sufficiuntur. Exhinc videre est originem distinctionis inter sacerdotes primi et secundi ordinis. *Binos* autem, ἀνὰ δύο, misit Dominus discipulos, nempe in sex et triginta paria distributos, ut mutuam sibi opem ferrent: *frater* enim *qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma* (1): hoc modo etiam alter alterius gesta spectare poterat, et sic inimicorum Christi ora facilius obstruere. Hoc modo missi sunt Moyses et Aaron, Caleb et Iosue, Paulus et Barnabas. — Notandum, in graeco, pro *Dominus,* esse ὁ κύριος, id est, Dominus totius mundi: pro *alios* autem, non legi ἄλλους, sed ἑτέρους, id est, *diversos,* nempe ab Apostolis. Praeterea, in graeco deest coniunctio *et.* — Hos ergo Dominus misit ante faciem suam, phrasi hebraea, quod est, ante se, in multas civitates et loca Iudaeae, ut viam sibi praepararent, et sic sacro ministerio assuefierent. Hinc habemus, ultimis vitae suae mortalis temporibus, Christum multa loca peragrasse, ut ibi regnum Dei praedicaret.

[2] Similia verba dixerat Dominus Apostolis, antequam illos ad praedicandum mitteret (2). Messis autem est turba hominum, quos Deus vult omnes salvos fieri; operarii vero sunt Apostoli et eorum imitatores, qui videlicet opus sacerdotale fideliter adimplent. Eamdem messis metaphoram Dominus sa epius adhibuit (3).

[3] Cum profectus et salus subditorum ex laudabili superiorum vita magnopere pendeant, ideo ardenter atque incessanter exorandus est Deus, ut bonos populo christiano rectores praeficiat. Eadem quoque prorsus verba adhibuerat Dominus, antequam Apostolos ad eorum missionem deputaret (4). In Quatuor Temporibus anni, Ecclesia preces pro ordinandis supplex ad Deum dirigit. — *Ut mittat,* ὅπως ἐκβάλῃ, *ut emittat:* quo docemur, ad Deum pertinere ministrorum vocationem.

[4] Per pietatem et innocentiam vitae similes estis agnis; illi vero, ad quos mittimini, ob suam crudelitatem et cordis duritiam, lupis merentur comparari. — No-

(1) Prov., xviii, 19. — (2) Matth., ix, 37, 38. — (3) Io., iv, 35; Matth., xiii, 38. — (4) Matth., ix, 37, 38.

Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis [5]. *In quamcumque domum intraveritis primum dicite: Pax huic domui; et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur* [6]. *In eadem autem domo manete, edentes et bibentes quae apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua* [7]. *Nolite transire de domo in domum* [8]. *Et in*

tandum, Christum ad Apostolos dixisse ([1]): *Ecce ego mitto vos sicut oves,* etc., nunc autem ad discipulos ait: *Sicut agnos;* nam sicut agni sunt ovium proles, sic septuaginta duo discipuli fuerunt Apostolorum spirituales quodammodo filii. Admirari autem debemus Christi omnipotentiam, qui per oves et agnos, venatus est, comprehendit ac vicit lupos, eosdem in agnos ita convertens, ut illos facerent vicissim luporum venatores.

[5] Quomodo hisce praescriptionibus inculcaverit Dominus perfectam fiduciam in potentissimo Dei auxilio, et prohibuerit tantummodo nimiam sollicitudinem de rebus temporalibus procurandis, aut superfluitatem in illis possidendis, alibi iam dictum est, ubi scilicet eiusdem Christi ad Apostolos monita expendimus ([2]). Quod autem hic vetat ne discipuli aliquem per viam salutent, simile est ei quod Eliseus legitur iussisse suo ministro Giezi, cum illum misit ad suscitandum puerum mortuum ([3]): *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum; et si salutaverit te quispiam, non respondeas ei.* — *Sacculus,* βαλλάντιον, est *crumena* vel *marsupium* ad ferendam pecuniam; *pera,* πήρα, est sacculus quo necessaria in itinere reconduntur.

[6] *Filius pacis,* υἱὸς εἰρήνης, phrasi hebraea, est homo pace dignus, ut ex S. Matthaeo colligere est, ubi dicitur ([4]): *Si quidem fuerit domus illa digna:* sic, *filius mortis* et *filius perditionis* ([5]) est homo morte et supplicio dignus. Si illi, quibus pacem optatis, ea indigni fuerint, non propter hoc caritas vestra praemio fraudabitur; sed pax, aucto in vobis merito, augebitur atque firmabitur. Sic docemur, rectam intentionem Deum praemiari, quicumque demum sit rei exitus.

[7] Duo hic discipulis suis Dominus commendat: primo, ut appositis contenti sint, nec quaerant superflua; secundo, ut oblatum cibum et potum, non ut indebitum beneficium accipiant, sed ut potestatem et ius accipiendi habentes: etenim, *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere* ([6]).

[8] Praeceptum hoc iam supra tulerat Dominus noster, dicens:

([1]) Matth., x, 16. — ([2]) Cf. supra, Sect. CVII, seq. — ([3]) 4 Reg., IV, 29. — ([4]) Matth,, x. 13. — ([5]) 2 Reg., XII, 5; 2 Thess., II, 3. — ([6]) 1 Cor., IX, 14.

quamcumque civitatem intraveritis et susceperint vos, manducate, quae apponuntur vobis; et curate infirmos qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei [9]. *In quamcumque autem civitatem intraveritis, et non susceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite: Etiam pulverem, qui adhaesit nobis de civitate vestra, extergimus in vos* [10]; *tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei* [11]. *Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quam illi civitati* [12].

In eadem autem domo manete. Revera, hospitium, levi de causa, permutare, indicium est animi levis, et aliis esse potest occasio scandali.

[9] Vult Dominus omnes scire tempus gratiae appropinquasse, tempus quidem acceptabile, dies salutis; instabat profecto tempus illius beatae passionis, per quam regni caelestis ianua aperienda erat.

[10] Hoc gestu significare debent discipuli, se, cum illis hominibus nil commune habere velle, omnemque cum eis abrumpere societatem. — In graeco legitur: *Etiam pulverem, qui adhaesit nobis de civitate vestra in pedes, extergimus vobis,* id est, abstergendo reddimus vobis.

[11] Omnem Christus Iudaeis de ignorantia excusationem praecludit in eo quod vel iis, qui discipulos recipere contempserint, veritatem de adventu regni Dei recoli iubet: a quo tamen regno illi, ob suam obstinationem, excludendi sunt.

[12] Magno iudicii die, minori plectentur poena incolae Sodomae prae illius civitatis habitatoribus; non enim apud Sodomitas tales reperti sunt hospites, quales fuerunt Apostoli, qui gratia et miraculorum patratione superiores extiterunt Angelis sanctis, quibus Sodomitae illi abuti voluerunt, licet eos Lot cum adoratione, prece et reverentia susceperit ([1]). His verbis declarat Dominus quam grande peccatum sit Evangelii gratiam nolle suscipere.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum haec S. Lucae relatio de missione septuaginta duorum discipulorum sit authentica?*

Resp. Affirmative omnino: quod dicitur contra rationalistas de Witte, Strauss, aliosque, censentes S. Lucam, in usu fontis sui, ut aiunt, bis, sub diversis formis, Apostolorum missionem recen-

([1]) Gen., XIX, 1.

suisse: unde praesentem narrationem petulanter inter fabulas amandant. — At, primo quidem, quod illi de usu illius fontis comminiscuntur, omnino gratuitum est; praeterea, magna se diligentia usum fuisse testatur S. Lucas ([1]), in ordinanda narratione rerum ad Christum pertinentium; praeterea, nulla unquam extitit de huius rei authenticitate, penes Patres aut scriptores ecclesiasticos, dubitatio; demum, plura sunt in hac narratione omnino peculiaria, puta, quod discipuli mittuntur ut Christo postea venturo viam praeparent, quod neminem per viam salutent, quod si non recipiuntur, in plateas exeant, etc.

II. — *Utrum discipuli fuerint revera septuaginta duo?*

Resp. In graeco quidem communiter legitur septuaginta, ἀνέδειξεν ὁ κύριος καὶ ἑτέρους ἑβδομήκοντα; at veteres codices graeci quamplurimi cum Vulgata consentiunt in numero septuaginta duo assignando. Censent nonnulli, ideo alicubi scriptum septuaginta, brevitatis causa, et ut poneretur numerus rotundus pro integro; quo modo dicuntur quandoque filii Israel fuisse quadringentos annos in Aegypto, cum tamen aliquanto diutius inibi fuerint; quo modo etiam celebres Scripturae graeci translatores communiter septuaginta recensentur, licet notum sit eos fuisse septuaginta duos. Nec desunt, vel in profana historia, similia numerandi exempla: ut, puta, ubi centumviri Romae recensentur, cum tamen revera centum et quinque fuerint, tribus scilicet viris per singulas tribus, quae triginta quinque erant, electis. Ceterum, iidem illi auctores, qui in libris suis septuaginta recensent discipulos, eosdem tamen passim dicunt revera fuisse septuaginta duos. Congrue a nonnullis refertur hic numerus ad numerum populorum a Moyse in Genesi recensitorum ([2]). — Notandum, in hoc numero septuaginta duorum discipulorum, hoc implicite contineri, ut unicuique Apostolo sex, quasi socii et adiutores, adiungantur.

III. — *Quinam fuerunt isti septuaginta duo discipuli?*

Resp. Eorum nomenclatura ab Evangelista siletur, nec ad nos usque pervenit, cum paucorum solummodo nomina cum aliqua certitudine noscantur. Sic Eusebius sequentes meminit, scilicet Ioseph, qui ab Apostolis cognominatus est Barnabas ([3]), Sosthenem ([4]), Matthiam ([5]), Ioseph vocatum Barsabam ([6]), Thaddaeum et Cepham ([7]); pariter Martyrologium Romanum, die 22 Februarii, ex Papia, Aristionem unum ex Septuaginta duobus fuisse commemorat ([8]).

([1]) I, 3. — ([2]) Gen., X, 1-32. — ([3]) Act., IV, 36. — ([4]) 1 Cor., I, 1. — ([5]) Act., I, 26. — ([6]) Act., I, 23. — ([7]) H. E. I, 12. — ([8]) Vide Chron. pasch., apud Migne, Patr. XCII, pp. 529, 543.

IV. — *Cur discipulis Christus prohibuit aliquem salutare, cum hoc ad officium caritatis et pietatis pertineat?*

Resp. Christus non absolute prohibuit proximum salutare; nam et Virgo Maria salutavit Elisabeth (1), et religiosis feminis Christus post resurrectionem dixit: *Avete* (2). Sed praedicatoribus, in via praedicationis constitutis, Dominus commisit neminem salutare, ad insinuandum eos debere summa diligentia praedicationis officium exequi, cuncta vitando diverticula, et obstacula morasque praedicandi, nec non ea quae menti ingerunt distractionem a Deo, seu oblivionem praedicandorum. Unde verbum hoc Christi accipi potest per modum hyperbolicae locutionis, qua aliquid dicitur per excessum: id est, longae prolixaeque salutationes et confabulationes, quae praedicationi Evangelii impedimento essent, devitari debent. Viatorem enim cum mora vel ex curiositate salutare non debet praedicator, ne a suo itinere et a praedicationis fructu praepediatur; sed illum salutare ex amicitia vel ad consolandum, bonum est. Notum est, apud orientales, salutationes huiusmodi saepe ad plures horas protrahi: homo iungit manus, elevat, exosculatur, ponit in fronte, alterius barbam osculatur, multas ei ponit quaestiones ac plurimas ei adprecatur benedictiones.

V. — *Utrum Dominus, hoc loco, iusserit discipulos comedere cibos vetitos?*

Resp. Negative, cum nondum adventasset tempus legis abrogandae, et discipuli nondum ad gentes, sed in civitates Iudaeae, mitterentur. Quocirca legis instituta adhuc erant servanda, et revera a discipulis et ab ipso Christo adhuc servabantur: unde Petrus, etiam post Spiritus Sancti descensum, ait (3): *Absit, Domine: quia nunquam manducavi omne commune et immundum.* Attamen, verbis istis: *Manducate quae apponuntur vobis,* dici potest Dominus discipulos docuisse, ut ea negligerent, quae pharisaei, praeter legis praescripta, introduxissent.

(1) Luc., I, 40. — (2) Matth., XXVIII, 9. — (3) Act., X, 14.

SECTIO CLXXI.

(Mt. XI, 20-24; L. X, 13-16).

Argumentum. — *Improperat Dominus civitatibus Corozain, Bethsaidae et Capharnaum, quia licet virtutes in eis plurimas operatus esset, nihilominus homines illi poenitentiam agere detrectaverant.*

Ratio Sectionis. — Quod exprobrationes, hac Sectione contentae, disiungi non debeant a Christi sermone ad Septuaginta duos discipulos habito, dubitari non potest, cum illas referat S. Lucas immediate post praedictum sermonem, cuius tanquam naturalis sequela esse videntur. Non immerito autem censent plures sacrorum expositores, S. Matthaeum et S. Lucam, in locis hic adductis, easdem referre increpationes. Utique difficultatem facit adverbium temporis, *tunc,* quo utitur S. Matthaeus, quod ad electionem Septuaginta duorum non videtur necessario referendum; at dici potest, cum Cornelio Iansenio Gandavensi *, adverbium illud, apud S. Matthaeum, saepe designare tempus latius, quo multa dicta aut gesta sunt a Christo: quod eo vel magis in hoc proposito dicendum videtur, quia S. Matthaeus praedictam Septuaginta duorum electionem omnino tacet. — Quod autem exprobrationes huiusmodi potius viderentur proferri debuisse dum Iesus adhuc in Galilaea, ubi erant civitates illae, versabatur, solvi potest advertendo congruenter Dominum, praedicatione in Galilaea iam ad finem perducta, quasi retrospicientem, cum animi sui moerore, testatum fuisse se pro illis urbibus frustra adlaborasse. Ceterum, non incongrue dici etiam poterit Christus bis ea, diversis temporibus, dixisse, eo magis quia, vel apud eumdem Evangelistam, aliquid interdum bis dictum invenitur, ut notat S. Augustinus **.

(*a*) TUNC coepit exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes eius, quia non egissent poenitentiam [1]. (*b*) *Vae tibi, Corozain, vae tibi, Beth-*

(*a*) Mt. XI, 20. — (*b*) L. X, 13-14.

[1] Cum tota miraculi vis ad hoc ordinetur, ut hominem ad vitam spiritualiter traducendam, et ad congrua poenitentiae opera patranda excitet, hinc culpabiles valde sunt et ingratitudinis rei, qui visis huiusmodi signis, ad Deum toto corde renuunt converti.

* Comment. in Concord., Lugd., 1606, c. 47, p. 358. — ** L. II de Cons. Evangel., c. XXXII, n. 79.

saida [2]: *quia si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes poeniterent* [3]. *Verumtamen* (*a*) *dico vobis :* (*b*) *Tyro et Sidoni remissius erit in iudicio, quam vobis* [4]. *Et tu, Capharnaum,* (*c*) *numquid usque in caelum exaltaberis? usque in infernum descendes* [5] : *quia si in Sodomis factae fuissent virtutes quae*

(*a*) Mt. XI, 22. — (*b*) L. X, 14-15. — (*c*) Mt. XI, 23-24.

Nonnihil habet huiusmodi exordium concitati sermonis: proprium enim est animi affectibus vehementer agitati, res inanimatas alloqui. — *Plurimae virtutes*, αἱ πλεῖσται δυνάμεις, id est, insignia illa miracula, quae indicia sunt divinae potentiae.

[2] Harum urbium incolae tanto gravius Deum offenderant, quanto maiora beneficia ab eo acceperant, quae tamen illi superbe contempserant.

[3] Christus Dominus, divina qua, uti Deus, pollebat scientia, videbat quod si olim talia, in Tyro et Sidone, miracula facta fuissent ut inducerentur ad poenitentiam, harum urbium habitatores cilicia induissent, et cinerem suis superiecissent capitibus ex contritionis magnitudine, quemadmodum Ninivitae ad praedicationem Ionae praestitisse leguntur. Quod quidem res postea probavit: nam post Christi passionem, statim ex praedicatione discipulorum Christi, multi in urbibus istis conversi sunt. Unde in Actibus Apostolorum describitur devotio Tyriorum, in quibus etiam multi spiritu splenduerunt prophetico, et Paulo Apostolo vaticinabantur futura ([1]). — Notandus articulus αἱ, in graeco, ante *virtutes*, quasi dicat: virtutes illae insignes, etc. — *Olim*, πάλαι, id est, *iam dudum*, vel *iam pridem*. — *In cilicio*, ἐν σάκκῳ, id est, in veste aspera et lugubri, e pilis pellium contexta.

[4] Cum minus peccaverint habitatores illarum civitatum quam ingrati Iudaei, et ideo maiorem illi excusationem habeant, hinc minori quoque plectentur poena in finali iudicio: ubi enim maiores sunt gratiae, maior fit contemptus Dei et durius incurritur iudicium. — *Verumtamen*, πλήν, hic significat *ceterum*, sicut etiam inferius ([2]).

[5] Specialiter Dominus reprehendit Capharnaum, quia prae ceteris urbibus divinis beneficiis cumulata, magis tamen superbam et ingratam se exhibuerat. — Notandum vero, idipsum de civitatibus praedicari, quod de individuis dicitur: illae, nimirum, sicut ista, quanto plus se indebite exaltaverint, tanto graviora merebuntur supplicia: unde et vide-

([1]) Act., XXI, 4-6. — ([2]) Vers. 24, p. seq., n. 7.

factae sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem [6]. *Verumtamen dico vobis, quia terrae Sodomorum remissius erit in die iudicii, quam tibi* [7]. (*a*) *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me* [8].

(*a*) L. X, 16.

mus superba regna interdum ad nihilum redigi. — Notandum, apud S. Lucam (1) in Vulgata legi: *Et tu, Capharnaum, usque ad caelum exaltata, usque ad infernum demergeris;* at, in melioribus graecis codicibus, eadem ibi quoque prostat lectio, quae est apud S. Matthaeum: scilicet μὴ ἕως οὐρανοῦ ὑψωθήσῃ; ἕως ᾅδου καταβήσῃ. — Nomen ᾅδου, ex ᾅδης derivatum, cui correspondet hebraicum nomen Sheol, שְׁאוֹל, proprie significat *mundum invisibilem*, in quem animae humanae post mortem transeunt. — Valde mirandum est opulentam et superbam civitatem adeo deiectam fuisse, ut illius vestigia vix nunc sit invenire.

[6] Pluraliter *Sodomae* ponitur, ut comprehendantur et reliquae urbes Pentapoleos, quae igne caelesti similiter destructae sunt. Huiusmodi autem adverbium *forte*, ad modum loquendi humanum hic ponitur: aequivalet autem ei quod dicatur *utique*: cum Deus omnia, etiam futura, sive absoluta, sive conditionata, quae futurabilia vocant, perfectissima in sua essentia cognoscat. — Alibi etiam Dominus Iudaeos condemnat, comparatione cum Ninivitis et regina Austri instituta (2).

[7] Iterum inculcat Dominus, quam grave sit peccatum agnitae veritati resistere, invocata memoria ultimi iudicii, quando, Deo vindice, singula facinorosa omnibus innotescent.

[8] Praefata poena non eis dumtaxat imminet, qui Christum in propria persona non receperunt, sed omnibus quoque qui eius discipulos, legitime missos, despiciunt, nec eis obediunt in iis in quibus subiecti sunt. Iubemur ergo Christum eiusque ministros audire, non solum ut doctores, sed etiam ut praeceptores. Denique contemptus ministrorum Christi redundat non solum in Christum ipsum, sed etiam in illius Patrem, imo in totam Trinitatem, cum Christus sit verus Deus, unus in essentia cum Patre et Spiritu Sancto. Quocirca legitimorum superiorum aspernatores graves manent poenae: sunt enim illi legati et praecones Christi, eius locum in terra tenentes.

(1) X, 15. — (2) Matth., XII, 41, 42.

QUAESTIONES.

I. — *Quaenam fuerunt virtutes patratae a Christo, in civitatibus Corozain et Bethsaida?*

Resp. Nuspiam prostat, in Evangelio, relatio huiusmodi virtutum: ex quo discimus, ab Evangelistis multa esse praetermissa, quin tamen placeat ut dicatur, cum hodiernis pluribus scriptoribus, Evangeliorum narratio *fragmentaria:* cum unusquisque sacrorum scriptorum ordinem sequatur logicum, fini quem sibi praestituerat, respondentem. — Ceterum, cum situs Corozain diu ignotus mansisset, recenti tempore respondere visus est loco, cui hodie nomen Kerazeh, duo millia circiter a Capharnaum distanti, septentrionem versus. — Cum autem duae fuerint urbes eodem nomine Bethsaida appellatae, altera ad oram occidentalem lacus Genesareth, patria Apostolorum Petri, Andreae, Philippi ([1]), altera ad septentrionem, citra Iordanem, dicta Iulias, ubi Christus quinque hominum millia pavit, incertum manet utra hic significetur.

II. — *Utrum Tyrii et Sidonii, per sola externa miracula visa, conversi fuissent?*

Resp. Negative: sed conversi fuissent, Deo intus illos ad poenitentiam efficaciter movente. Nec tamen sequitur miracula inutilia esse, quasi Deus immediate cor hominis intus movere possit: miracula quippe ad hoc ordinantur, ut praeparent intellectum ad cognoscendam et cor ad percipiendam divinam gratiam; unde Deus, qui omnia suaviter certo modo et ordine operatur, hominem ordinarie ad gratiam percipiendam disponit, tum externis signis quibus fidei veritas suadeatur, tum bona cordis indole: ordinarie enim, qui meliori sunt indole, facilius fidem percipiunt; etsi gratia omne impedimentum, etiam quod ex prava naturali indole oriatur, vincere possit.

III. — *Quare Christus Bethsaidae et Corozain potius praedicavit, quas noverat fidem esse abiecturas, quam Tyro et Sidoni, quae, ipso teste, praedicationem ultro suscepissent?*

Resp. Hoc omnino pertinet ad incomprehensibile iudicium Dei, a quo pendet quod Christus et per se, et per Apostolos praedicaverit, et miracula egerit in gratiam eorum quos sciebat non credituros, imo gravius condemnandos; vicissim his nec praedicavit, nec miracula demonstravit, quos noverat credituros et convertendos, si eis praedicationem et miracula impendisset. Respuenda igitur

([1]) Io., 1, 44.

omnino est sententia dicentium, Deum videre futura contingentia non formaliter in sua essentia, adnexa voluntate, sed in supercomprehensione voluntatis humanae, id est, scire quid nos facturi essemus in tali vel tali circumstantia, ex eo formaliter quod cognoscat qualiter voluntas humana, antecedenter ad Dei motionem, sit seipsam determinatura. Porro, profundum hoc mysterium libertatis humanae sub influxu motionis divinae, cum penetrare non possimus, admirari debemus ac humiliter venerari, scientes iusta omnino ac rationabilia esse Dei iudicia. Nec tamen dubitare licet, quin sufficientia salutis auxilia Tyriis ac Sidoniis Deus misericors largitus fuerit, cum nemini ea deneget, quibus opus habet ut vitam consequatur aeternam.

IV. — *Quisnam est proprius sensus verbi* POENITERENT ?

Resp. Protestantes quidem, per huiusmodi verbum, pro quo in graeco tum S. Lucae (1), tum S. Matthaei (2) legitur μετενόησαν, nihil aliud nisi mentis mutationem, seu meram resipiscentiam, agnoscunt, exclusis poenitentialibus operibus: at, ex hoc ipso quod Dominus noster illam coniungit cum cilicio et cinere, evidenter sequitur, ex eius mente, poenalem actionem ipsi coniungi, et quidem a corpore, in vindictam peccatorum praeteritorum, exercendam.

V. — *Undenam provenerat exaltatio civitatis Capharnaum ?*

Resp. Primo quidem, ex rebus in ea prospere gestis: cum enim ad oram lacus Genesareth sita esset atque optimo portu donata, hinc opibus, ex commercio cum aliis civitatibus, abundabat et in suis divitiis unice gloriabatur. Secundo, dici potest Dominus hic respectum habuisse ad famam quae illi civitati, ob sui in eadem commorationem, obvenire debebat, quae tamen fama, ob incolarum ingratitudinem, ita erat obnubilanda, ut nihil de ea, praeter nomen, foret relinquendum: unde et nunc admirationi simul et despectui habetur illa civitas, quia cum tantopere fuerit a Domino honorata, hospitem tamen suum agnoscere renuit.

VI. — *Quisnam est sensus huius particulae,* FORTE (3) ?

Resp. Primo quidem excludenda omnino est interpretatio dicentium, hac particula significari, ex parte Dei aut Christi, modum dubium aut ancipitem loquendi, quod omnino repugnat perfectioni divinae scientiae. Secundo, nec omnino verum est quod volunt alii, particulam hanc dubium continere ex parte eventus, ob salvandam arbitrii humani libertatem; unde, quod hic legitur: *Forte*

(1) x, 13. — (2) xi, 21. — (3) Matth., xi, 23.

mansissent (Sodomae), etc., intelligunt, dato quod Sodomitae gratia sibi data bene usi fuissent: quae quidem interpretatio, etsi theologice vera, exegetice tamen hic manca est. Igitur, tertio, dicendum est, particulam hanc, modo humano introductam, repletivam esse, et ideo potius negligendam: quod quidem manifestatur, primo, ex hoc quod pluries in Vulgata introducitur, ubi nec in textu hebraico, nec in versione graeca, aliquid correspondens habetur (1); ubi autem ponitur ad reddendam particulam ἄν, superflua aut certe inadaequata est, cum graeca haec particula latine transferri non valeat, sed tantummodo contingentiam effectus demonstret (2).

(1) Cf. Gen., III, 3; 22; Exod., XXXIII, 3. — (2) Cf. Sect. XXXV, n. 9. Vol. I, p. 233, ubi notabis, non tam recte dici, hac particula, libertatem arbitrii significari.

SECTIO CLXXII.

(L. X, 17-20).

Argumentum. — *Septuaginta duos discipulos, laetantes e missione reversos, iubet Dominus gaudere, non quod spiritus eis subiicerentur, sed quod eorum nomina essent in caelo descripta.*

Ratio Sectionis. — Sicut Apostolorum missioni S. Marcus * et S. Lucas ** eorumdem reditum immediate subnexuerunt ***, ita nunc relatis Christi verbis, quibus discipulos ante se praemittebat, eorumdem reditus sine mora narratur, iis praetermissis, quae sive septuaginta duo, sive Dominus post eos egerunt, ad quae probabiliter refertur quod a S. Luca postea narratur, dicente **** : *Ibat* (Iesus) *per civitates et castella, docens, et iter faciens in Ierusalem* *****. Nimirum, septuaginta duos Dominus praemiserat in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus, ut sibi viam pararent : quod omnino verisimiliter evenisse dicendum est in Iudaea : at, quamdiu praecise haec missio perduraverit, determinari non potest.

(*a*) REVERSI sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes [1] : *Domine, etiam daemonia subiiciuntur nobis in nomine tuo* [2]. Et ait illis : *Videbam satanam sicut fulgur de caelo cadentem* [3]. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra*

(*a*) L. x, 17-20.

[1] Graece iterum communiter legitur : *Septuaginta*, οἱ ἑβδομήκοντα (1). Porro, licet vix credibile sit omnes simul eodem tempore reversos fuisse, probabiliter tamen cuncti in unum locum convenerunt, quem Dominus eis antea determinaverat.

[2] Discipuli simplici et laetante corde dulcissimo Domino referunt quae egerant, et mira quae in eius nomine perfecerant. Inter quae, certe eminet expulsio daemonum, quae res maioris potestatis argumento est, quam morbos depellere : unde, dicendo *etiam*, videntur rem difficillimam significare voluisse.

[3] Obvium quidem sensus horum verborum est : Christus, ut Deus, cognovit originalem lapsum malorum angelorum, cum, ob suam superbiam, de caelo in instanti praecipitati sunt, cum duce suo Lucifero. At quare istud commemorat Christus ? Dicunt aliqui, ut discipulos moneret, ne vanitati indulgerent, cum et primum Angelum tot charismatibus ornatum, e sublimi ta-

* VI, 7, seq. — ** IX, 1, seq. — *** Cf. supra, Sect. CVI, p. 119. — **** XIII, 22. — ***** Cf. infra, Sect. CLXXXVIII, n. 1.

(1) Cf. Sect. CLXX, quaest. 1, p. 436.

serpentes et scorpiones [4], *et super omnem virtutem inimici: et nihil vobis nocebit* [5]. *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in caelis* [6].

men caelorum vertice superbia detraxerit. Magis aliis placet, hoc a Christo referri ad mox futurum excidium regni Satanae, id est, ad abolitionem idololatriae quae totum orbem, una excepta Iudaeorum natione, aut exceptis quibusdam personis vel familiis a Deo singulariter praeservatis, occupabat. Praenuntiabat scilicet Salvator, mox futurum excidium regni Satanae, virtute Evangelicae praedicationis.

[4] Potestas haec intelligi potest discipulis et Ecclesiae data, contra venenata visibilia animalia, ut quando S. Paulus viperam excussit in ignem ([1]), quod quidem per miraculum evenit; existentiae autem huius potestatis in Ecclesia fidem facit Tertullianus ([2]): *Hoc modo, etiam ethnicis saepe subvenimus, donati a Deo ea potestate, quam Apostolus dedicavit, cum morsum viperae sprevit* ([3]). — Notandum, in pluribus graecis codicibus, pro δέδωκα, *dedi*, legi δίδωμι, *do*: sensus tamen idem est: nimirum, in hac secunda lectione significatur Iesum confirmare potestatem quam illi iam exercuerant.

[5] *Inimicus* hic, ὁ ἐχθρός, est Satan, sic per antonomasiam vocatus ([4]), quem Christus vicit ac prostravit. Dominus ergo contra spirituales animae hostes, qui serpentium et scorpionum instar, electis Dei insidiantur eosque persequuntur, discipulos suos efficaciter armavit. Quamvis igitur diaboli naturalis potestas longe maior est naturali postestate cuiuscumque discipuli Christi, hic tamen, supernaturali Christi gratia praeditus, omnem daemonis virtutem facile devincit. Huc congrue refertur illud Psalmi ([5]): *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.*

[6] Cum eiicere spiritus malos pertineat ad donum gratiae gratis datae, quod ordinatur ad aliorum utilitatem et commune est bonis et malis hominibus, hinc discipuli non de isto dono debent gaudere, quasi de principali et salvifico bono, sed potius de dono gratiae sanctificantis, ex quo iam habet homo, ut vitam aeternam consequatur. Sic, dubium non est quin Iudae quoque proditori potestas sit data daemonia eiiciendi ([6]), quae tamen ipsi non profuit ad salutem. — Notandum tamen hic, Christum, cum dicit: *In hoc nolite gaudere*, revera non reprehendere huiusmodi gaudium, sed discipulos monere, rem longe meliorem esse, si quis nomen proprium in caelis scriptum habeat.

([1]) Act., XXVIII, 5. — ([2]) In Scorp., c. I. — ([3]) XXVIII, 3. — ([4]) Matth., XIII, 39. — ([5]) XC, 13. — ([6]) Matth., X, 1; Marc., VI, 7; Luc., IX, 1.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum discipuli acti fuerint vanae gloriae motu, cum Christo retulerunt daemonia sibi subiecta fuisse?*

Resp. Sic quippe nonnulli ex Patribus, ut S. Hieronymus (1) et S. Gregorius Magnus (2) censuere, et ideo, aiunt illi, a Christo reprehensi sunt. — At aequius dicitur, nihil in eorum sermone occurrere, quo eorum verba, aut eorum laetitia in malam partem debeant torqueri, maxime cum ultro fateantur se mira illa in nomine Iesu perpetrasse.

II. — *Utrum septuaginta duobus discipulis potestatem super daemones Dominus communicaverit, cum eos ante se praemisit?*

Resp. Dubitandi momentum nonnulli sumpserunt ex admiratione eorumdem discipulorum, cum a missione ad Christum reversi sunt: at sat probabiliter dicitur, hanc eis revera potestatem a Christo collatam, una cum potestate infirmos curandi, cum etiam diaboli obsessio morbi rationem quodammodo induat et morbi etiam possessione daemoniaca efficiantur (3). Hoc quippe necessarium videtur, ut discipuli missionis suae felicem exitum obtinerent, qui erat ut homines docerent appropinquasse regnum Dei, a quo certe per daemonium arcentur. Ceterum, etsi potestas in daemones non legatur discipulis tradita, tamen Dominus ipse hic testatur se eamdem ipsis contulisse: *Ecce dedi vobis,* etc. Sed nec aliter videntur missi septuaginta duo, quam antea Apostoli missi fuerant, quibus haec potestas expresse collata legitur (4).

III. — *Qua ratione dicitur diabolus de caelo cecidisse, cum in Isaia legatur dixisse* (5): IN CAELUM CONSCENDAM, *quo apparet illum nondum in caelo fuisse?*

Resp. Diabolus et angeli rebelles in caelo empyreo conditi sunt, unde postea ceciderunt. Quod autem dixit: *In caelum conscendam,* exponi potest de spirituali caelo Sanctissimae Trinitatis, in quantum Dei excellentiam indebite appetiverit, cum videlicet voluerit suam ultimam beatitudinem, absque auxilio gratiae divinae, assequi.

(1) Comment. in Is., c. XIV, n, 12. — (2) L. XXIII Moral., c. VI, n. 13. — (3) Cf. Matth., XVII, 15, 18. — (4) Matth., X, 1; Marc., III, 15; Luc., IX, 1. Cf. supra, Sect. CVI, n. 3, p. 119. — (5) Is., XIV, 13.

IV. — *Utrum potestas calcandi supra serpentes et scorpiones accipi debeat tantummodo in sensu proprio?*

Resp. Accipi certe potest etiam in sensu metaphorico, ad significandas omnes insidias quas discipulis Christi struunt simul mundus, caro et diabolus: quas omnes per Salvatoris gratiam eludere possumus.

V. — *Utrum in Ecclesia permaneat potestas daemonia fugandi?*

Resp. Affirmative, ut patet ex sacramentalibus quibus utitur Ecclesia, benedictis ad hunc finem sale et aqua. ad diabolicas infestationes excludendas; item ex multiplici benedictione vel consecratione cereorum, campanarum, ramorum palmarum, et similium. Quod etiam de pane dici potest, qui in hunc etiam finem benedicitur, ad quod referri potest illud S. Pauli (1): *Sanctificatur per verbum Dei et orationem.*

VI. — *Utrum discipuli certo sciverint se esse praedestinatos?*

Resp. Id colligunt nonnulli, ex his verbis: *Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in caelis:* et certe Christus hoc discipulis suis ad consolationem revelare potuit, ut tanto fortiores essent in suis laboribus et afflictionibus perferendis, quanto certiores forent de beata retributione. Nihilominus, sicut temerarie diceretur aliquem e septuaginta duobus discipulis reprobum fuisse, ita exorbitare videretur, qui assereret illos omnes ad gloriam fuisse praedestinatos, maxime cum unus ex Apostolorum collegio reprobus fuisse noscatur. Igitur, intelligendum est verbum Christi secundum ordinem praesentis iustitiae, et secundum spem divinas promissiones obtinendi, non autem secundum electionem divinam. Sed nec Dominus absolute hic affirmat eorum nomina esse scripta in caelis; sed eos hortatur ut gaudeant de tanto bono, scilicet ipsis probabili, quin tamen inde sequatur eos fuisse de sua praedestinatione certiores redditos.

(1) 1 Tim., IV, 5.

SECTIO CLXXIII.

(Mt. XI, 25-30 ; L. X, 21-24).

Argumentum. — *Iesus, hominum amator, de gratiae donis eisdem per se a Patre collatis vehementer gaudet, asserens se mitem esse et humilem corde, atque beatos declarans illorum oculos, qui ea viderint quae discipuli videbant.*

Ratio Sectionis. — Ex S. Luca colligimus, ea quae hic ponuntur, cum immediate praecedentibus debere coniungi, cum expresse legatur: *In ipsa hora,* id est quando septuaginta duo discipuli reversi sunt, ut missionis suae rationem divino Magistro redderent. Eosdem sensus, eisdem fere verbis conceptos, pandit S. Matthaeus, nisi quod latiori utitur temporis adverbio, *in illo tempore* *, qui tamen praetermisit ea quae a discipulis Christo, et a Christo discipulis dicta sunt ** — Notandum, a solo S. Matthaeo, pericopen: *Venite ad me omnes*, etc., recitari ; cuius rei ratio reddi potest, quia ille pro Iudaeis conversis scribebat, quibus olim legis doctores et pharisaei onera gravia et importabilia imposuerant ***, quibus proinde specialiter proponenda erat suavissima Christi doctrina. — Notandum ulterius, duos versus hic postremo loco ex S. Luca recitatos, similes valde esse loco S. Matthaei **** quem supra ***** retulimus ; at valde probabile est bis eamdem sententiam a Christo Domino prolatam fuisse, maxime cum diversa videatur temporis circumstantia, et levis quoque in ipsamet Salvatoris sententia mutatio cernatur.

(*a*) In ipsa hora exultavit Spiritu Sancto, et (*b*) respondens Iesus, dixit [1] : *Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae* [2], *quia abscondisti haec a sapientibus et pru-*

(*a*) L. x, 21. — (*b*) Mt. xi, 25.

[1] Exultat Christus ex motione Spiritus Sancti, illum in omnibus dirigentis, gubernantis atque ducentis. Igitur, cum exultatio sit quasi extra se saltatio, ex abundantia gaudii interioris Christus signum illius foras manifestat. — Notavimus iam verbum *respondere*, phrasi hebraica, adhiberi, non solum cum ad interrogata quis sermonem reddit, sed etiam cum in verba erumpit mentis cogitationum significativa. — Advertendum, in quibusdam graecis codicibus, deesse appellativum *Sancto*.

[2] Verbum *confiteor tibi*, quod penes utrumque Evangelistam,

* Matth., xi, 25. — ** Sect. praeced. — *** Matth., xxiii, 4. — **** xiii, 16. 17. — ***** Sect. xcvii, p. 76.

dentibus, et revelasti ea parvulis [3]. (*a*) *Etiam, Pater; quoniam sic* (*b*) *fuit placitum ante te* [4]. (*c*) *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* [5]. *Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater; et quis sit Pater, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* [6].

(*a*) L. x, 21. — (*b*) Mt. xi, 26. — (*c*) L. x, 22.

S. Matthaeum et S. Lucam, in graeco est ἐξομολογοῦμαί σοι, hic significat, *laudo et exalto te*. — Nomen autem, *Pater*, quod primo quidem notionaliter, id est pro prima persona, ponitur, sumi quoque debet essentialiter, scilicet pro tribus divinis personis, ut sunt unum in essentia et operatione: ideoque recte dixeris hic recenseri, etsi non tam expresse, divinas Trinitatis personas.

[3] Laudo te, Pater, et tibi regratior, quia a sapientibus et prudentibus, hominibus scilicet in se, ob suam de rebus, vel divinis vel humanis, superbam cognitionem, confidentibus, mysteria gratiae et comunicationes ineffabiles amoris mei abscondisti, eaque humilibus ac simplicibus abundanter revelasti. Dicitur Deus ista superbis abscondisse, eo modo quo eos indurare et excaecare dicitur, scilicet, gratiam et virtutem non influendo, et sic permittendo eos indurari et excaecari, quemadmodum sol, suo recessu, dicitur causa obtenebrationis et congelationis.

[4] Tangit hic Dominus imperscrutabile mysterium divinae praedestinationis et reprobationis, quod non debemus praesumptuose scrutari aut temerarie diiudicare, sed humiliter adorare atque revereri. — In utroque Evangelista habetur ναί, *profecto, utique, recte:* quasi significet Christus se divino beneplacito ultro assentiri.

[5] Hoc de Christo secundum utramque naturam dici quidem potest: secundum divinam naturam, in quantum per generationem, accepit a Patre totam illius substantiam, et quidquid increatae excellentiae et perfectionis est in ipso; secundum humanam naturam vero, accepit praelationem et dominium totius entis creati, ita ut omnia sint a primo momento illius Incarnationis eius humanitati subiecta.

[6] Ostendit nunc Christus, quorsum tendat revelatio facta parvulis, de qua superius egit. Equidem, a cognitione quam habet Pater de Filio, nec Filius ipse, nec Spiritus Sanctus excluduntur, et pariter a cognitione quam habet Filius de Patre, nec Pater ipse, nec Spiritus Sanctus excluduntur, cum una sit trium personarum cognitio essentialis, sicut est una natura; unde illud *nemo* intelligi potest pro nullo extra sanctissimam Trinitatem. Attamen intendit hic Christus de se loqui secundum humanitatem. Nimirum, Verbum homo factum, nos in aliqualem

(*a*) *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis; et ego reficiam vos* [7]. *Tollite iugum meum super vos* [8], *et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris* [9]. *Iugum enim meum suave est, et onus meum leve* [10]. (*b*) Et conversus ad discipulos suos, dixit:

(*a*) Mt. XI, 28-30. — (*b*) L. X, 23-24.

altissimi mysterii Trinitatis cognitionem induxit, inchoatam quidem in via, complendam vero in patria. — Notandum, parum diversimode haec verba a S. Matthaeo recitari: *Nemo novit Filium, nisi Pater*: *neque Patrem quis novit, nisi Filius,* οὐδεὶς ἐπιγινώσκει τὸν υἱὸν εἰ μὴ ὁ πατήρ, κ. τ. λ., quod tamen in idem redit. — Ulterius notari potest, quam cohaereat doctrina haec cum iis quae de eodem argumento tradit S. Ioannes ([1]), ex quo ostenditur quam inepte a rationalistis contenditur alium Christum a Synopticis, alium a Ioanne describi.

[7] Verba vere solatoria profert benignissimus hominum Redemptor: videlicet, solamen et dulce auxilium nobis promittit laborantibus in hac vita, id est operantibus cum defatigatione et lassitudine, et gravatis pondere conscientiae, silide peccati et vitii onustae, necnon carnis, diaboli ac mundi tribulationibus, quibus incessanter opprimitur. Per hoc significat etiam Dominus se in eo esse, ut liberet homines ab onere legis mosaicae, per hoc quod ipsemet factus est sub lege, *ut eos qui sub lege erant, redimeret* ([2]). — *Et ego reficiam vos,* κἀγώ ἀναπαύσω ὑμᾶς, *et ego refocillabo vos, seu requiescere vos faciam a labore et onere vestro.*

[8] Tangit nunc Dominus modum quo per eum requiem habere possimus in hac vita, qui est, non ut ab omni opere vacui simus, nec ut sine lege vivamus, sed ut iugo suo, id est Evangelii monitis et doctrinis colla submittamus.

[9] Duas Cordis sui insignes praerogativas pandit nunc Dominus: id est, mansuetudinem, seu absentiam omnis duritiei, ac humilitatem, seu carentiam omnis arrogantiae vel morositatis: quae quidem Christo insunt, non superficie tenus, sed ex corde, et quae nos allicere debent, ut nosipsos submittamus tam dulci magistro: sic quidem optatam inveniemus requiem. — Quod dicitur *animabus vestris,* non ponitur ad exclusionem corporum; sed hebraismus est, pro *vobismetipsis* ([3]).

[10] Duplex assignari potest horum Christi verborum sensus: primus, suave est iugum eius et

([1]) VI, 46; VII, 29; VIII, 19, etc. — ([2]) Gal., IV, 5. — ([3]) Cf. Ier., VI, 16; Ps. LXXVII, 18, etc.

Beati oculi, qui vident quae vos videtis. Dico enim vobis quoa multi prophetae et reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt; et audire quae auditis, et non audierunt [11].

onus leve, quia impositum ab eo qui mitis est et humilis corde: unde onus importabile non imponit, et bene novit misereri infirmitatis nostrae, ideoque nos hortatur Christus ut fidenter onus illud suscipiamus, ad quod portandum, nos ipsemet adiuvabit. Alter sensus est, onus Christi a nobis facile portandum, si solum ab eo didicerimus virtutes illas, quae onus illud leve et iugum suave efficiunt, caritatem videlicet, ex qua promanant mansuetudo et humilitas, quae sunt vitae christianae fundamentales virtutes. Merito autem ex his verbis agnoscitur ratio cultus erga sacratissimum Cor Iesu, quo vitae tribulationes mirum in modum tolerabiles redduntur.

[11] Cum Christus superius gratias Patri egisset, ob revelata parvulis mysteria regni Dei, beata nunc praedicat eorum oculos eorumque aures: beata, inquam, beatitudine spei ac meritorum, per quae ad plenam regni caelestis beatitudinem aliquando illi perventuri erant. — Notandum, ubi dicitur: *Et conversus ad discipulos suos,* in graeco addi, κατ' ἰδίαν, quod verti potest, *privatim*: unde discipulos Dominus seorsim a turba avocavit, ut ad eos solos verba illa dirigeret.

QUAESTIONES.

I. — *Quotuplex distinguitur confessio?*

Resp. Triplex: prima est protestatio credendorum, de qua ait Apostolus (1): *Corde enim creditur ad iustitiam, confessio autem fit ad salutem:* et ista confessio est actus fidei. Secunda est confessio gratiarum actionis et laudis divinae, videlicet ipsa laudatio aut gratiarum actio Deo exhibita, de qua hic sermo est: et ista est actus latriae (2). Tertia est confessio, quae est accusatio et enuntiatio culpae, de qua legitur (3): *Confitemini alterutrum peccata vestra:* et ista est actus poenitentiae (4).

II. — *Quinam intelligendi sunt parvuli illi, quibus confitetur Christus a Patre revelata fuisse mysteria?*

Resp. Certe, in parvulis istis, in graeco tum S. Matthaei, tum S. Lucae, νηπίοις, *infantibus,* non sunt intelligendi gentiles, qui

(1) Rom., x, 10. — (2) Cf. Ps. cx, 1. — (3) Iac., v, 16. — (4) Dion. Cartus., in h. l.

non rectam veri Dei habebant notitiam, sed ii ex Iudaeis qui humiliter de se sentientes, ac in omnibus ad Dei auxilium respicientes, explicitam iam de pluribus divinorum mysteriis fidem habebant, mox alia mysteria, in sinceritate cordis sui, cognituri. Igitur ab horum parvulorum numero excludendi quidem sunt sapientes illi, qui sibi in legis cognitione placentes, excaecati sunt in sua superbia; non autem doctiores illi homines, qui Evangelium humiliter mox suscepturi erant, ut Nicodemus, Saulus, Apollo, Gamaliel, et multi sacerdotum iudaicorum, de quibus in Actibus Apostolorum [1].

III. — *Quomodo intelligenda sunt verba:* CONFITEOR TIBI,... QUIA ABSCONDISTI, *etc.*

Resp. Dicunt aliqui, verbum *confiteor* non referri directe ad verbum *abscondisti,* sed ad verbum *revelasti,* cui verbum illud subordinatur; quo modo dicebat S. Paulus [2]: *Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde,* et Isaias [3]: *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus, et consolatus es me:* in quibus dicendi modis, intentio confitentis et gratias agentis fertur in secundum, primo tantummodo obiter commemorato. — At, melius dicendum videtur, illud Christi verbum, *confiteor,* directe referri ad utrumque, scilicet et ad *abscondonsionem* et ad *revelationem:* ad primum quidem, ut laudetur Dei iustitia; ad alterum vero, ut exaltetur eius misericordia: Deus enim aeque laudandus est, et in hoc quod superbis dona sua iuste subtrahit, et in hoc quod humilibus ea misericorditer largitur.

IV. *Quisnam est sensus verborum:* DISCITE A ME, QUIA, *etc.,* μάθετε ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι, κ. τ. λ.?

Resp. Plures, cum S. Augustino [4], his verbis sensum dant, docere Christum duas sui Cordis virtutes, mansuetudinem scilicet, et humilitatem, quas nobis imitationi proponit: illam quidem, qua hominibus, hanc vero, qua Deo placere possimus. At, utut verum est, nobis conandum esse ut in his virtutibus dilecto Magistro conformemur, non tamen hic videtur esse illorum verborum sensus, cum sic Christi doctrina nimis coarctaretur. — Placet igitur magis recentiorum interpretatio, qui S. Hilarium secuti, volunt verba haec poni ad dilucidationem eius quod Christus ipse antea protulit: *Tollite iugum meum super vos:* nimirum, evangelicae doctrinae iugum omni fiducia suscipite, quia ego, qui illud impono, mitis sum et humilis corde; unde et logice sequitur: *Iugum meum suave est, et onus meum leve;* in hoc autem iugo includitur, non solum

(1) VI, 7. — (2) Rom., VI, 17. — (3) XII, 1. — (4) Sermo X de Verbis Dom.

ut humiles simus et mites, sed etiam ut ceteris virtutibus, et maxime caritate et patientia, fulgeamus. Quocirca, verbum *discite*, μάθετε, sensum intransitivum hic habet (1); insuper ly, *a me* aequivalet ei quod dicatur *ex me*.

V. — *Quomodo redditur Christi iugum suave, et onus eius leve?*

Resp. Cum iugum soleat esse molestum asperitate, onus autem gravitate, illud quidem fit suave benignitate divini Magistri, hoc vero fit leve moderatione eius praeceptorum: quod praestitit Iesus, primo quidem, legem mosaicam, quantum ad praecepta caeremonialia et iudicialia, abolendo, quod iugum, teste S. Petro, *neque patres nostri, neque nos portare potuimus* (2); secundo, gratiam suam nobis infundendo, quae per caritatem operatur, qua omnia dulcia redduntur; tertio, peccatores benigne suscipiendo, sublatis gravibus illis poenis quae olim in transgressores sancitae fuerant.

VI. — *Quomodo hic affirmat Christus iugum suum esse suave, cum alibi dicat arctam esse salutis viam?*

Resp. Iugum Christi in se revera suave est, cum res suavis sit diligere Deum et proximum, in qua dilectione summa legis novae consistit, cum lex vetus innumerabilium observationum sarcina gravata esset. Est insuper suave Christi iugum, propter gratiam, quae hominem ad illud portandum fortificat; et quidem tanto minus onus legis evangelicae quis sentit, quanto amplius in gratia profecerit. Cum hoc autem stat quod arcta est via salutis et angusta porta, cum homo seipsum multipliciter abnegare debeat, quod quidem homini veteri, qualiter ex Adam nascimur, grave est, dulce tamen fit Christum sincere diligentibus.

VII. — *Utrum quae ait Christus:* BEATI OCULI QUI VIDENT, *etc., intelligenda sint de visu audituque corporali, an de visu et auditu mentali, seu interiori?*

Resp. Praedicta Christi verba nec de visu et auditu corporali tantum, nec de visu et auditu mentali tantum sunt intelligenda. Non primum, quia multi Iudaeorum Christum corporaliter viderunt et audierunt, qui tamen ad ipsum non sunt finaliter conversi; non secundum, quia et prophetae veteris Testamenti Christum intellectualiter viderunt, maxime Isaias, de quo ait S. Hieronymus, quod omnia Christi mysteria ita ad liquidum prosecutus est, ut evangelistam potius quam prophetam egisse videatur. Igitur dicendum, haec Christi verba intelligenda esse de visu et auditu inte-

(1) Cf. 1 Tim., v, 13. — (2) Act., xv, 10.

riori, coniuncto visui et auditui exteriori: talis quippe visus et auditus hominibus, connaturalior est atque iucundior, et valde excitati sunt fideles ad Christi dilectionem, ex eo quod illius maiestatem in carne viderunt et illius vocis suavitate refecti sunt. — Non de omnibus tamen prophetis et regibus, ait Christus quod optaverunt videre quae discipuli tunc videbant; quia nonnulli eorum in contemplatione rerum divinarum tam alte defixi extiterunt, ut Christum oculis corporis cernere explicite non desideraverint, ut de Moyse et Abraham dici potest.

SECTIO CLXXIV.

(L. X, 25-37).

Argumentum. — *Recenset Iesus divinum de Dei dilectione et proximi praeceptum; tum, recitata parabola boni Samaritani, suaviter nos instruit, quisnam sit proximus noster.*

Ratio Sectionis. — Ab uno S. Luca dici debet praesens historia narrata, cum alius sit legisperitus hic recensitus ab illo de quo loquuntur S. Matthaeus * et S. Marcus **, ut suo loco dicetur ***. Quonam vero tempore et loco, quave occasione hanc Dominus parabolam recitaverit, silente Evangelista, certo determinari nequit; videtur tamen ipse dicendi modus, quo exorditur S. Lucas, *et ecce,* immediatam exigere continuationem praesentis parabolae ad praecedentem narrationem, nisi adverbium hoc, *ecce,* referri velit ad subitam surrectionem legisperiti. Quidquid demum hoc sit, nulla sufficiens adest ratio, cur ab ordine, quem sanctus hic Evangelista sequitur, discedere debeamus. — Porro, cum retulisset S. Lucas ultima verba Iesu seorsum, κατ' ἰδίαν, ad discipulos dicta fuisse, rem nunc proponit, quae coram populo, et probabiliter in synagoga, ubi erant multi doctores sedentes, contigit. Videtur autem id in Ierusalem aut Iericho, aut in harum urbium vicinia, contigisse: cum ratio non sit cur huiusmodi loca, potius quam alia, pro sua parabola, selegerit Christus Dominus, nisi quia loca illa auditoribus sat nota erant.

(*a*) ET ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, et dicens [1]: *Magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo* [2]? At ille dixit ad eum: *In lege quid scriptum*

(*a*) L. x, 25 37.

[1] Νομικός τις, id est vir in legis quaestionibus versatus ([1]). Hic, cum antea, simul cum aliis, sedens, Christi sermones ausculataret, subito e medio surrexit, ad quaestionem proponendam. — *Tentans,* graece ἐκπειράζων, *explorans* aut *pertentans,* utique non recta intentione.

[2] Dominum interrogat legisperitus, non ut ab eo viam salutis addiscat, sed vanitate ductus, et ut motivum ex illius responsione arripiat illum in dictis carpendi. Censent nonnulli, occasionem eum arripuisse ab eo quod a Christo dictum audierat ([2]): *Gaudete quod nomina*

* XXII, 38. — ** XII, 28. — *** Sect. CCXLVII.

([1]) Cf. supra, Sect. LXXIX, quaest. II. Vol. I, p. 460. — ([2]) Vers. 20.

est? quomodo legis [3]? Ille respondens dixit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua* [4]; *et proximum tuum sicut te ipsum* [5]. Dixitque illi: *Recte respondisti; hoc fac, et vives* [6]. Ille autem volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: *Et quis est meus proximus* [7]? Suscipiens autem

vestra scripta sunt in caelis. — *Possidebo,* κληρονομήσω, *hereditabo.* — Similem quaestionem, similibus verbis, at, ut videtur, meliori intentione conceptam, proposuit quidam princeps, ut infra videbitur (1).

[3] Legisperiti laqueum patientissimus Iesus prudenter evitat, illum remittens ad authentica Sacrae Scripturae documenta. Hominem sic interrogando, insinuat Dominus eumdem cognoscere debuisse responsionem.

[4] Praeceptum hoc contentum in Deuteronomio (2) a Iudaeis recitabatur mane et vespere, et erat scriptum in phylacteriis (3). Sibi vult autem, Deum a nobis diligendum esse ex toto corde, id est, ex tota voluntate, seu toto voluntatis desiderio et affectu; ex tota anima, id est, secundum omnes potentias organicas seu sensitivas, ita ut sensus interiores necnon appetitus, rationi ac legi divinae subdantur; ex omnibus viribus, id est, ex viribus etiam vegetativis, quae licet rationem totaliter non sequantur, sed naturaliter operentur, quantum tamen ad obiecta sua, applicandae sunt secundum rectae rationis mensuram, atque ad Deum ordinandae; ea omni mente, id est, ex toto intellectu et intentione, ne in intellectu sit error seu haeresis, aut in voluntate intentio caritati Dei repugnans. — Notandum, in graeco, adhiberi praepositionem ἐξ tantummodo ante *corde tuo*: pro aliis nominibus, est praepositio ἐν.

[5] Praeceptum hoc desumitur ex eo quod in Levitico scriptum legitur (4): *Diliges amicum tuum sicut teipsum,* pro quo Septuaginta habent *proximum*, τὸν πλησίον σου: per proximum autem intelligitur omnis homo gratiae et gloriae capax. Damnati igitur ex caritate amandi non sunt, quia nec gratiae, nec gloriae capaces existunt.

[6] Vitam habebis gratiae in re, et gloriae in spe. In hoc igitur, perfectum nos quoque vitae caelestis iter ostensum habemus.

[7] Quaerit legisperitus se iustificare, id est, proposita nova quaestione, testatur se de re vere difficili inquisivisse: revera tamen Christum vult iterum capere in sermone. Cum enim solos suae gentis homines Iudaei sibi proximos reputarent, aliunde Christus, ut videtur, etiam ini-

(1) Luc., XVIII, 18. Sect. CCIX. — (2) VI, 5. — (3) Cf. Matth., XXIII, 5. — (4) XIX, 18.

Iesus [8], dixit: *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum; et plagis impositis, abierunt semivivo relicto* [9]. *Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via; et viso illo praeterivit* [10]. *Similiter et levita, cum esset secus locum et videret eum, pertransiit* [11]. *Samaritanus autem quidam, iter faciens, venit secus eum; et videns eum misericordia motus est* [12]. *Et approprians, alligavit vulnera eius, infundens*

micos duceret diligendos, cogitavit intra se, quod si Christus ediceret quemlibet hominem, in praesenti vita, nostrum esse proximum, facile probaretur legis adversarius; si vero responderet quemlibet Iudaeum, ille se iustum probaret, dicendo: Omnem diligo Iudaeum.

[8] *Suscipiens,* ὑπολαβών, id est, sermone excipiens legisperitum, quod est, *ei respondens.*

[9] Iter Hierosolyma Ierichuntem in descensu est, et olim latronum infestationibus obvium erat, caedibusque famosum. Narrationis propositum est ut, contra vulgarem Hebraeorum opinionem, quicumque ope nostra indigeat, a nobis tanquam proximus habeatur, cui auxilium pro posse ferre debemus; unde a dilectionis lege nemo excluditur, etsi ordo quidam in caritate sit servandus, ut eos prius ac plus diligamus, qui nobis sanguine, religione, etc., coniunctiores existunt. — Ex contextu deducitur, hominem hunc fuisse Iudaeum. — *Semivivo relicto,* ἀφέντες ἡμιθανῆ, *relinquentes seminecem*: quasi scilicet illum iam mortuum reputarent.

[10] Pro *accidit,* in graeco est, κατὰ συγκυρίαν, quod est *fortuito* vel *casu.* — Graecum autem vocabulum pro *praeterivit,* est ἀντιπαρῆλθεν, quod sonat *pedem retulit,* veluti spectaculo territus. — Hic igitur fratrem in extrema positum necessitate nullo modo sublevare curat, cum tamen in lege praeceptum esset, ut si quis vidisset asinum odientis se iacere sub onere, illum sublevare debuisset ([1]).

[11] Levita nomen genericum est, et designare potest ministrum inferioris aut superioris ordinis: hic autem accipitur pro non sacerdote, posito genere pro specie inferiori, qui quidem sacerdotis exemplum ultro sequitur. — Graeca vox, pro *pertransiit,* eadem est ac antea pro *praeterivit,* ἀντιπαρῆλθεν.

[12] Duo nunc, introducto exemplo istius Samaritani, evincere vult Dominus: primum, proximos reputari debere, non solum homines nobis sanguine aut patria coniunctos, sed alterius quoque

([1]) Exod., xxiii, 5.

oleum et vinum [13] : *et imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, et curam eius egit* [14]. *Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait : Curam illius habe : et quodcumque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones ?* At ille dixit : *Qui fecit miseri-*

nationis, vel etiam religionis : Iudaei enim Samaritanos, tanquam a se alienos eiiciebant, imo odio habebant (1) ; secundo, ostendere vult Christus, qualiter homo erga sibi similem se gerere debeat : et apposite seligit Samaritanum, in quo relucent fides et caritas : fides quidem, cum Samaritani reciperent Moysen et prophetas, et crederent in unum Deum et in venturum Messiam ; caritas vero, ut ex operibus misericordiae, quae sponte ille praestitit, ubertim apparet. Nec obstat Samaritanos schismaticos fuisse : cum multi ex illis animo schismatici non essent, ut de hoc Samaritano teneri potest : hi, nimirum nesciebant se in schismate versari, et dispositi erant schisma deserere mox ac illud cognovissent (2). — Notandum, non dici de isto Samaritano, quod pergeret in Ierusalem, vel inde veniret, cum Samaritani raro illuc se conferrent.

[13] Mos adhuc apud Orientales viget, ut itinerantes ad cibum necessaria secum deferant, cum publica hospitia solum tectum praebeant : igitur, pius hic Samaritanus oleum vinumque de suo penu prompsit, vulneribus medendi causa : huiusmodi quippe mixtionem ad medicamenta veteres adhibere consueverunt.

[14] *In stabulum*, εἰς πανδοχεῖον, hodie, *carvansera*, quo nomine publica hospitia designantur, in quibus nullo ob tectum pretio soluto, excipiuntur peregrini. In praesenti tamen casu, domus haec instructa erat necessariis ad cibum et medicinam. Ruinae adhuc extant, quibus nomen Khan el Ahmar, probabilem situm huius diversorii signantes.

[15] Duos denarios stabulario, πανδοχεῖ, id est, cauponi dat, ob sumptus aegroto necessarios, se absente ; promittens se, quidquid ille amplius impenderit, tempore congruo restituturum. Videbitur utique haec summa minima, cum denarius esset operarii stipendium diurnum : at pecunia maioris tunc valoris erat quam nunc. Non solum misericordem, sed etiam liberalem se exhibet Samaritanus, cum sumptus in se assumpserit, non inquirens utrum ille haberet unde solveret.

(1) Cf. supra, Sect. XXXV, quaest. III, Vol. I, p. 236 ; cf. etiam Eccli., L, 27, 28. — (2) Cf. supra, Sect. CLXIII, n. I, p. 400.

cordiam in illum [16]. Et ait illi Iesus : *Vade, et fac similiter* [17].

[16] Hac responsione non excluditur quin et sacerdos et levita proximi fuerint eius qui in latrones inciderat, cum Iudaei non negarent homines suae gentis sibi proximos esse : sed asseritur et Samaritanum illi proximum fuisse, eumque solum proximi officium gessisse.

[17] Non verbis solum, sed opere et veritate, ostende te proximum, non Iudaeis tantum, sed omni homini viatori, si quis tibi occurrerit, ope tua indigens. Igitur, cum ante Domini nostri adventum, nomen istud, *proximus*, parentes tantum vel coniunctos significaret, extraneo aut ignoto quasi inimico reputato, nunc vult Christus omnes homines in sua religione unam constituere familiam, proindeque omnes nobis proximos esse factos, spiritu scilicet et corde, etsi sanguine forsan aut patria dissiti sint : omnes enim unius caelestis Patris filii sumus.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum mosaicam legem observantibus vita aeterna olim promissa fuerit ?*

Resp. Affirmative. Licet enim mosaica lex vitam aeternam non tam diserte polliceretur, et praemium illam observantibus vix videretur bona terrestria praetergredi (1), Hebraeis tamen spes erat alterius post praesentem vitae, ut ex pluribus locis potest erui, et praesertim ex eo quod Abrahae Deus promisit (2) : *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis ;* similiter ex his (3) : *Vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Igitur, cum nimis carnales Iudaei potissimum conversi essent ad bona temporalia, magis movebantur, ad legem observandam, spe bonorum temporalium et timore poenarum corporalium, quam promissione spiritualis aeternae beatitudinis, licet haec quoque in ipsis bonis temporalibus promissis transpareret. Ceterum quod, Domini nostri tempore, spes vitae aeternae saltem penes sectam pharisaeorum et essenorum vigeret, ex praesenti loco satis apparet (4) : contra quos sadducaei, epicureorum instar, supernaturalem vitam, una cum resurrectione, reiiciebant (5).

(1) Cf. Lev., XVIII, 5 ; Ezech., XX, 11. — (2) Gen., XV, 1. — (3) Tob., II, 18. — (4) Luc., X, 25. — (5) Cf. Sect. XVIII, quaest. I, Vol. I, p. 123.

II. — *Quomodo iubemur Deum potentiis organicis diligere, cum istae ad rem spiritualem usque pertingere non valeant?*

Resp. Iubemur Deum ex huiusmodi viribus diligere, non quod potentiae istae organicae Deum simplicissimum habeant pro obiecto, vel ad eius dilectionem directe ac immediate pertingant, aut divinae dilectionis existant subiecta; sed quia taliter sunt regendae, ut expedit ad caritatis adeptionem, conservationem, profectum et consummationem (1).

III. — *Cum Moyses non exprimat nisi tria, ex quibus totis amandus sit Deus, videlicet cor, animam et fortitudinem* (2), *cur hic dicitur quatuor esse scripta in lege?*

Resp. Tria illa a Moyse dicta includunt virtualiter haec quatuor. Textus siquidem Deuteronomii est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.* Atqui, quod hic dicitur, *ex omnibus viribus tuis,* Moyses per fortitudinem intellexit. Cor autem frequenter intellectum ac voluntatem comprehendit et denotat. Sciendum autem, apud S. Matthaeum (3), aliter haec proponi, videlicet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua:* omisso, *ex tota fortitudine tua,* vel *ex omnibus viribus tuis:* at huiusmodi satis insinuatur per hoc quod dicitur: *Ex tota anima tua:* anima namque dicitur totum potestativum, quia plures continet vires.

IV. — *Quotuplici modo potest praeceptum de Dei dilectione ad effectum traduci?*

Resp. Tripliciter: primo, quantum ad indesinentem actum, ut scilicet cor, mens, anima, vires, semper, actualiter atque totaliter, ferantur in Deum, absque commixtione mali contrarii: sicque praeceptum istud nequit impleri a nobis viatoribus, sed tantummodo a beatis in patria. Secundo, quantum ad actum supererogationis, ut sic Deus diligatur toto corde totaque mente, etc., quatenus illius intuitu et amore omnia deserantur, quae voluntatem, intellectum, animam et vires impedire soleant et possint a Dei amore et contemplatione in vita praesenti, ut sunt divitiae, honores, parentes, voluptates, voluntasque propria: quo modo ad religiosos pertinet adimplere praeceptum istud caritatis. Tertio, quantum ad actum necessitatis, ut sic corde, mente, anima, fortitudine, Deum amemus, quatenus nihil caritati divinae contrarium operemur aut appetamus (4).

(1) Dion. Cartus., in h. l. — (2) Deut., VI, 5. — (3) XXII, 37. — (4) Dion. Cartus., in h. l.

V. — *Utrum parabola de Samaritano sit solummodo parabola, an etiam historia?*

Resp. Nihil vetat quin etiam historia dicatur, id est, res gesta, ut plures graves auctores tenere perhibentur (1).

VI. — *Quomodo manifestatur Samaritani caritas?*

Resp. Primo, in hoc quod de proprio periculo sollicitus non fuit; secundo, curam hominis sibi offensi suscipiendo; tertio, proprio commodo valedicendo, dum hominem illum vulneratum in proprio iumento posuit; quarto, solvendo de sua substantia pro illo, et promittendo se amplius adhuc praestiturum.

VII. — *Quid per allegoriam in hac parabola contentam significatur?*

Resp. In hac parabola, per allegoriam, continetur historia lapsus primi hominis, eiusque per benignissimum Salvatorem mirabilis reparatio. Igitur, primus noster parens, spiritualiter peccando, collapsus est ab Hierusalem, id est a tranquillitate pacis, quam illi conferebat originalis iustitia, Hierusalem quippe interpretatur visio pacis, in Iericho, id est in instabilitatem, insipientiam atque mortalitatem, Iericho enim interpretatur luna, quae symbolum est mutabilitatis. Per peccatum autem factus est homo servus daemoniorum, qui illum iustitia originali, in qua creatus fuerat, necnon donis gratiae et virtutum nudaverunt, eique quatuor vulnera in anima inflixerunt, videlicet malitiam, id est pronitatem ad malum in voluntate, ignorantiam in intellectu, infirmitatem in vi irascibili et malam concupiscentiam in concupiscibili. Per hoc tamen homo penitus mortuus non est, sed semivivus relictus; quia, licet per peccatum mortale, vita gratiae et caritas totaliter auferantur, manet tamen in homine liberum arbitrium, quo ad poenitentiam, gratia adiutus, in hac vita resurgere possit. Porro hominem, sic a gratia deiectum, nec chorus sacerdotum legalium, nec levitarum ordo sanare utcumque potuit: solus Christus Dominus, humani generis fideiiussor et custos, sic enim interpretatur Samaritanus, homini clementissime subvenit, vulnera nostra, per salvificam suam passionem, alligans atque curans; et institutis saluberrimis sacramentis, Ecclesiae suae commisit, ut opus a se tam misericorditer incoeptum perficeret, hominem ad perfectam sanitatem atque vitae aeternae adeptionem finaliter perducendo. Oh, quantum pio huic Samaritano debemus gratias, pro tot beneficiis in nos collatis, et quantum nobis satagendum, ut eum ex toto corde redamemus, atque aliquid pro ipso vicissim patiamur!

(1) Cf. S. Hieronym., in Matth., xx, et Epist. xxvii.

SECTIO CLXXV.

(L. X, 38-42).

Argumentum. — *Iesus in domo Marthae hospitio exceptus, illam reprehendit, quod erga plurima sollicitam se exhibeat, simulque declarat unum esse necessarium.*

Ratio Sectionis. — Nulla ratio est, cur praesentem historiam a Samaritani parabola, cui a S. Luca immediate subnectitur, disiungamus; imo locus ipse, ubi hoc contigit, utriusque historiae chronologicum nexum suadere videtur: verisimile quippe est Samaritani parabolam propositam a Domino fuisse dum Hierosolymis versaretur, aut certe in huius urbis vicinia; Bethania vero, quam Ioannes dicit * fuisse castellum Mariae et Marthae, sororum Lazari, vicus erat Hierosolymae proximus: unde facilis fuit Iesu ad hoc castellum transitus. Aliunde non debet haec historia disiungi a missione Septuaginta duorum discipulorum: siquidem, cum ad ea Iesus perrexerit loca, in quae discipulos suos iam praemiserat, hinc supponere possumus eos Magistri adventum in Bethaniam praecessisse: unde praesens narratio tanquam naturalis praedictae missionis sequela haberi potest.

(*a*) FACTUM est autem, dum irent, et ipse intravit in quoddam castellum [1]; et mulier quaedam, Martha nomine, excepit illum in domum suam [2]; et huic erat soror, nomine Maria [3], quae etiam sedens secus pedes Domini,

(*a*) L. x, 38-42.

[1] Castellum in quod intravit Iesus, dubio procul fuit Bethania, uti ex S. Ioanne liquet (1), ubi Bethania vocatur castellum Mariae et Marthae. Stadiis quindecim, quod est passibus circiter ter mille, distat Hierosolyma, meridiem versus (2). — Graece, pro *in quoddam castellum*, legitur, εἰς κώμην τινά, *in quemdam vicum*.

[2] Ex eo quod Martha, non Maria, dicitur Christum hospitio recepisse, rite concluditur eam fuisse natu maiorem et, ut videtur, dominam domus. Porro, magna reverentia et singulari caritatis fervore suscepit pia mulier dilectum Dominum in suam domum.

[3] Probabilem iam protulimus sententiam, Mariam hanc esse ipsam Magdalenam, quondam

* XI, 1.

(1) XI, 1. — (2) Io., XI, 18.

audiebat verbum illius [4]. Martha autem satagebat circa frequens ministerium [5]; quae stetit, et ait [6]: *Domine, non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adiuvet* [7]. Et respondens, dixit illi Dominus: *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plu-*

peccatricem, sororem Lazari, de qua Dominus septem eiecerat daemonia ([1]).

[4] Beata haec mulier, Christi beneficiorum memor, eiusque amore capta, cum nunc Christi hospitio honoretur, tota est in illius verbis attente audiendis. Discipuli, apud Hebraeos, ad praeceptorum suorum pedes sedere solebant ([2]); porro Maria, velut una e discipulis Christi, ad illius pedes humiliter sedet, illum suavissime docentem audiens. Quanto autem humilius sedebat, tanto amplius capiebat; confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis. — Notandum, his verbis: *Quae etiam sedens*, ἡ καὶ παραθεσθεῖσα, innui, iuxta nonnullos, quamplures fuisse circa Iesum sedentes, inter quos et Mariam hanc; at verior sensus esse videtur, Mariam antea quidem laborasse; at, alloquente eam Domino, a labore supersedisse, ut illum audiret; unde mox conqueritur Martha, non quidem quod Maria non fuerit operata, sed quod nunc eam solam *reliquerit ministrare*. Suo Christus exemplo discipulos docet, debere se hospitatores suos salutaribus documentis aedificare, ut caritatis suscipiant mercedem.

[5] Ex hoc deduci potest plures discipulos in Christi comitatu fuisse. Porro Marthae sollicitudo magis ex Christi amore, quam ex officii gravitate procedebat. — *Satagebat*, περιεσπᾶτο, quod verti potest, *distrahebatur*.

[6] Pro *stetit*, graece est, ἐπιστᾶσα, quod est, *superveniens*: quo quidem verbo notio saltem levis cuiusdam impatientiae ingeritur.

[7] Non reprehendit Christum Martha, quod Mariae non iubeat ut sibi opem ferat; sed pie illum deprecatur, ut sua eam auctoritate ad hoc moveat, sperans fore ut Maria laborem praeparationis secum dividente, et ipsa deliciis, quibus illa fruebatur, gaudere possit. *Felix domus et beata semper congregatio est*, ait S. Bernardus ([3]), *ubi de Maria Martha conqueritur*. Solam autem se Martha asserit ministrare, per exclusionem suae sororis, ad quam, secundum illius opinionem, ministratio illa aeque pertinuit; unde licet plures illi probabiliter fuerint ancillae, multum tamen debuit laborare in praeparatae refectionis compe-

([1]) Cf. supra, Sect. LXXX, Quaest. III. Vol. I, p. 468. — ([2]) Cf. Luc., VIII, 35; Act., XXII, 3. — ([3]) Serm. III de Assumpt., n. 2.

rima [8]. *Porro unum est necessarium* [9]. *Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea* [10].

tenti ministratione. — Quod dicitur, *ut me adiuvet*, graece est συναντιλάβηται, *ut me vicissim adiuvet.*

[8] Dominus Martham bis nominat, ut suum erga eam amorem testetur, eamque de suo errore attentiorem dulciter reddat. Simili modo Petrum de se nimis confisum Dominus aliquando monuit: *Simon, Simon, ecce Satanas*, etc. Christus igitur Martham reprehendit, non quod in ministrando esset occupata, sed quod nimis in hoc opere, velut turbo, intenderet animum, id enim significat graeca vox θορυβάσῃ. Plura quoque, quam necessarium fuisset, nimis anxia mulier forsitan praeparaverat.

[9] Sunt qui haec verba ad materialem refectionem referunt; quasi dicat Christus: ferculorum multitudo necessaria non est, sed paucis, imo uno ferculo contenti esse debemus; et in hunc sensum legunt quod in aliquibus graecis codicibus reperitur: ὀλίγων δὲ ἐστιν χρεία ἢ ἑνός, *paucis opus est, vel uno.* At lectio haec ipsa subiecta materia minime commendatur, cum Dominus noster evidenter rem spiritualem materiali Marthae sollicitudini opponat, ut manifeste apparet ex sequenti versu: *Maria optimam partem*, etc., ubi etiam in graeco expressior ratio redditur: Μαρίαμ γάρ, *Maria enim*, etc.; unde dicenda est lectio modo recitata tanquam glossa in textum inducta fuisse. Sensus igitur est, inter tot vitae huius curas, unum necessarium esse, scilicet, verbum Dei diligenter audire, eique humiliter obtemperare ([1]). Unum quippe christianis negotium incumbit, salus aeterna, uti ex ipsa Marthae agendi ratione clare patescit.

[10] Maria, tota legi divinae contemplandae intenta, partem optimam, seu quae unice est bona, τὴν ἀγαθήν, eligit, quae ab ea non auferetur, quia contemplatio vitae praesentis continuabitur et complebitur in caelo, per contemplationem vitae aeternae.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum modus agendi Marthae reprehensibilis fuerit?* *Resp.* Licet in hoc valde laudabilem se exhibuerit Martha, quod devotum Christo obsequium impendere voluerit, videtur tamen aliqualiter a Christo reprehensa, quod in praeparandis variis atque

([1]) Cf. Matth., VI, 33.

delicatis cibis, plus aequo fuerit sollicita, et quod sororem suam voluerit a spirituali actu vitae contemplativae retrahere, ut corporalibus negotiis nimium occuparetur.

II. — *Quaenam vitae differentia per Martham et Mariam designatur?*

Resp. Per Martham quidem, designatur anima vitae activae, seu operibus misericordiae, dedita, in quantum illa ad Christum condigne recipiendum ordinantur; per Mariam vero significatur anima quieti vitae contemplativae insistens, quae secus pedes Iesu sedens, humiliter ei se submittit, arcana illius Cordis dulciter meditans, atque satagens ut se ei in omnibus conformem exhibeat.

III. — *Utra melior sit, vita activa, an contemplativa?*

Resp. Ex ipso Domini nostri ore habemus, contemplativam vitam, prout dividitur formaliter contra activam, huic praestare: primo, quia illa competit homini secundum dignissimam potentiam, scilicet intellectum speculativum, et quoad digniora obiecta, scilicet divina, versatur; vita vero activa competit homini secundum practicum intellectum, et circa exteriora ac sensibilia obiecta occupatur. Secundo, quia vita contemplativa ex sua natura est magis continua, cum non auferatur per mortem; vita autem activa tempori praesenti limitatur. Tertio, quia propter se ipsam quaeritur vita contemplativa, activa vero ordinatur ad contemplativam. Quarto, quia contemplativa consistit in vacatione et quiete, et sic accedit ad beatitudinem patriae et est magis divina, activa vero consistit in labore et in motu. Cum hoc tamen stat quod vita activa praefertur contemplativae secundum quid, puta propter bonum commune et necessitatem ac utilitatem vitae praesentis.

IV. — *Quotuplicis generis sunt opera vitae activae?*

Resp. Aliqua sunt corporalia, ut exteriora misericordiae opera; alia spiritualia, ut praedicare, in spiritualibus praesse, veritates fidei docere, etc., quae tamen opera pure activa non sunt, sed utriusque vitae perfectionem includunt. Unde S. Augustinus ([1]) distinguit triplicem vitam, scilicet otiosam, hoc est contemplativam, negotiosam, id est activam, et ex utraque temperatam ([2]).

V. — *Quare legitur praesens evangelium in festo Assumptionis Beatae Mariae Virginis?*

Resp. Cum festum Assumptionis proprio evangelio careat, praefatus S. Lucae locus tunc legitur, eo quod mystica et allegorica

([1]) L. XIX de Civitate Dei, c. 1, n. 2. — ([2]) Cf. S. Thom., 3, Quaest. XL, art. 1, ad 2[m].

eiusdem expositio gloriosae Deiparae praecipue convenit. Ipsa enim invictissima Virgo, ut exponit Dionysius Cartusianus (1), fuit velut castellum in quo Verbum, descendens de caelo, incarnari dignatum est: quod quidem fuit alte situm per eminentiam vitae et dignitatis, muro clausum per virgineam castitatem, fossato circumdatum per profundam humilitatem, turre levatum per spiritus fervorem, armis et alimentis provisum, aquis quoque munitum per virtutem et gratiarum plenitudinem. Quae quidem gloriosa Virgo in seipsa simul possedit perfectionem vitae activae et contemplativae, Christum iugiter habens sibi intime coniunctum, cuius praedicationem affectuose diligenterque semper audiebat, unde et optimam partem praeelegit.

(1) Expos. in h. l. S. Lucae.

SECTIO CLXXVI.

(L. XI, 1-13).

Argumentum. — *Excellentissimam orandi formulam divinus Magister discipulos edocet, documenta subiungens, quibus perseverantis orationis efficaciam mirabiliter suadet.*

Ratio Sectionis. — Quonam loco, quove tempore, id acciderit quod in hoc capite narratur, tacente Evangelista, incassum quis conaretur certitudinaliter determinare. Utique, orationis formula quam, instante uno ex discipulis, docet hic Christus, paucis exceptis, illi respondet, quae in Sermone in Monte continetur *; at dubitandum non est, quin eam bis tradiderit divinus Magister, cum diversae existant circumstantiae, quibus utraque oratio tradita legitur, diversus etiam, etsi non substantialiter, modus illam proponendi, duabus hic tacitis petitionibus, quae tamen explicite in priori continentur. Quod si in quibusdam codicibus, hic apud S. Lucam, septem inveniuntur petitiones quae in S. Matthaeo proponuntur, hoc amanuensium operae adscribendum videtur, putantium omnes illas petitiones, quas in oratione *Pater noster* quotidie recitamus, hoc quoque loco debere reperiri.

(*a*) Et factum est, cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis eius ad eum [1]: *Domine, doce nos orare, sicut docuit et Ioannes discipulos*

(*a*) L. XI, 1-13.

[1] Cum reverentia observabant discipuli Iesum orantem, nec cum interrumpere volebant. Nondum fortasse discipulus iste Christum secutus fuerat, quando hic in Monte orandi formam tradidit, quae est apud S. Matthaeum ([1]). Intellexit autem discipulus iste, exemplo Magistri sui, nihil tam necessarium, nihil tam difficile esse, quam recte orare: unde orandi normam petivit, quatenus eodem spiritu fervoris disceret Altissimum invocare, quo Iesus ipse in oratione movebatur. — *In quodam loco:* iuxta traditionem, in declivi parte montis Oliveti, contra meridiem, ubi nunc est monasterium monialium carmelitarum, in cuius parietibus, multis idiomatibus inscripta prostat oratio Domini.

* Cf. Matth., VI, 9 seq.; supra Sect. LI. Vol. I, pp. 317, seq.

([1]) Loco cit.

suos [2]. Et ait illis : *Cum oratis, dicite : Pater* [3], *sanctificetur nomen tuum* [4]. *Adveniat regnum tuum* [5]. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* [6]. *Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis* [7]. *Et ne nos*

[2] Orabant Iudaei ora tertia, sexta et nona, et a Doctoribus varias precationis formulas accipere solebant : nunc autem de speciali oratione instrui hi cupiebant, quae necessaria ad hominis vitam contineret. Porro, quod Ioannes revera discipulos suos orare docuerit, simul et ieiunare, eruitur ex verbis ([1]) : *Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, et obsecrationes faciunt, similiter et pharisaeorum : tui autem edunt et bibunt?* Qualem vero orandi formam docuerit discipulos suos Ioannes, nescimus : supponi tamen potest, id illum oratione sua intendisse, ut homines ad Christi adventum in suis cordibus congrue praepararentur.

[3] Invocato, initio orationis, dulcissimo Patris nomine, animo supplicantis simul infunditur fiducia impetrandi quod postulatur, Deusque suaviter movetur, ut filiis suis misericorditer subveniat.

[4] Non solo cordis affectu, sed verbis quoque atque opere debet a nobis divinum Nomen honorari ; ulterius optare debemus, atque quantum in nobis est, efficere, ut a cunctis hominibus condigne honoretur : summum quippe quod intendere debemus, et quod Deus ipse nequit non appetere, est divina gloria.

[5] Regnum Dei est Ecclesia militans atque triumphans : oramus ergo, ut militans Ecclesia merito ac numero succrescat, et ubique diffundatur, Deusque solus per fidem et gratiam regnet in ea ; similiter precamur, ut nosipsi ad caelestem Hierusalem protinus perducamur.

[6] Non solum panem corporeum hic postulamus, sed etiam panem sacramentalem, id est corpus et sanguinem Domini nostri in sacramento altaris ; praeterea petimus habitus virtutum et consolationes internas, quae omnia interdum in Scriptura panis nomine veniunt. — Pro *quotidianum*, graecus textus hic habet, sicut apud S. Matthaeum, τὸν ἐπιούσιον ([2]), licet Vulgatus interpres ibi verterit *supersubstantialem*. Pro *hodie* vero, est in graeco τὸ καθ' ἡμέραν, quasi dicat, *in diem*, *pro unoquoque die*. Igitur, probabilior sensus est : Da nobis, de die in diem, panem ad sustentationem nostram, tum materialem, tum spiritualem, sufficientem.

[7] Petimus peccata nobis, et quantum ad culpam, et quantum ad poenam dimitti : cuius tamen veniae obtinendae conditio est,

([1]) Luc., v, 33. — ([2]) Matth., vi, 11.

inducas in tentationem [8]. Et ait ad illos: *Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi* [9]: *Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum* [10], *et ille deintus respondens, dicat: Noli mihi molestus esse; iam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili; non possum surgere, et dare tibi* [11]? *Et si ille perseveraverit pul-*

ex parte nostri, dimissio peccatorum quae alii in nos commiserint, licet Praelati interdum, ad ordinem aequitatis et caritatis rite servandum, iustam peccantibus poenam infligere debeant, et similiter offensus possit exigere, non quidem ad vindictam, sed ad iustam satisfactionem, ut damna sibi illata resarciantur.

[8] Non nos permittas ab hostibus nostrae salutis supra vires tentari, id est ad consensum illicitum pertrahi; sed da gratiam resistendi atque praevalendi. Pariter, ne sinas nos, ultra quam ferre possumus, malis huius vitae gravari.

[9] Pulcram nunc parabolam proponit Dominus, ut nos persuasos reddat quanta sit constantis orationis efficacia. — Primo notandum, sequelam discursus Domini nostri initio grammaticaliter non respondere: quod orationis vitium vocatur anacoluthon; introductio enim, seu protasis est in futuro: *Quis vestrum habebit amicum?* Sequela vero, seu apodosis, est conditionalis: *Si ille perseveraverit pulsans.* — Porro, in huius simplicis parabolae applicatione, primo notandum venit nomen *amicus*, quo se Deus vult a nobis agnosci; deinde *media nox*, qua constantia in orando atque perseverantia significantur. Precibus fatigari vult Deus, ac fervida oratione devinci.

[10] In exordio precis, nomen amici praemittit, ut ex mutuae dilectionis recordatione, ille qui petitur ad exauditionem citius inclinetur, cum caritas sit impetrandi ratio. Dum autem pro amico postulat, pro seipso postulare videtur, cum amicus sit alter ego. Porro, amicus iste, ob diurnos calores, iter in multam noctem protrahere debuerat, unde fatigatus erat simul et famelicus, ideoque eius conditio commiseratione digna apparebat.

[11] Duplex inconveniens obtendit amicus rogatus: primo, molestiam ostium, quod pessulis et repagulis occlusum erat, aperiendi, quod quidem sine labore et strepitu fieri nequibat; secundo, incommodum inde sequens, quod parvuli quoque secum cubantes surgere deberent: graecum enim nomen est τὰ παιδία μου, quod non servos, sed parvulos filios significat. — More humano loquitur Scriptura, debilitati nostrae intelligentiae condescendens, ad insinuandam quod protracte deprecantes Deus tan-

sans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, et dabit illi quotquot habet necessarios [12]. *Et ego dico vobis: Petite, et dabitur vobis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis* [13]. *Omnis enim qui petit, accipit; et qui quaerit, invenit; et pulsanti aperietur* [14]. *Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum,*

dem exaudiat. Id autem quod hic ponitur, *non possum*, non denotat difficultatem exaudiendi ex parte Dei, cui nil difficile evadit, sed difficultatem ex parte orantis ne exaudiatur, propter suam indignitatem.

[12] Popter *improbitatem*, διὰ τὴν ἀνείδειαν, id est, propter impudentiam aut importunitatem, quae non veretur rem propriam incessante petitione urgere. Non ipsa improbitas vel impudentia seu inverecundia, ut sic, laudatur et imitationi nostrae proponitur: sed id quod ad propositum facit, scilicet indefectibilis in petendo perseverantia. Ad rem S. Augustinus ([1]): *Non utique nos tantum hortaretur* (Christus) *ut peteremus, nisi dare vellet. Erubescat humana pigritia: plus vult ille dare, quam nos accipere; plus vult ille misereri, quam nos a miseria liberari.* — Notandum, in graeco, deesse verba: *Et si ille perseveraverit pulsans*; quae tamen necessaria consequentia subaudiri debent.

[13] Trina eiusdem rei repetitione adhortatur nos Dominus ad instantissimam et nunquam deficientem orationem. Quod si libeat haec per appropriationem explicari, dici potest, petite, bene incipiendo; quaerite, bene prosequendo; pulsate, usque in finem perseverando. Vel, petite per fidem; quaerite per spem; pulsate per caritatem. — Dicendo: *Ego dico vobis,* Dominus noster se quodam quasi iurisiurandi vinculo ad nos exaudiendos adstringit. — *Ille qui nolebat dare*, ait S. Augustinus ([2]), *quod petebatur, fecit, quia ille in petendo non defecit; quanto magis dabit bonus, qui nos hortatur ut petamus, cui displicet, si non petamus.*

[14] Ut quae petimus consequamur, necesse est attendere quid petere oporteat, et quo modo. Evenit interdum ut id petamus quod nobis non expedit: sic S. Paulus, dum petivit ut auferretur a se stimulus carnis, non est exauditus, cum peteret id quod Dominus iudicabat ei non expedire ([3]). Quantum ad modum, praeter perseverantiam in orando, requiritur simplicitas et rectitudo cordis.

([1]) Serm. CV, c. I. — ([2]) Serm. LVI, c. V. — ([3]) 2 Cor., XII, 9.

numquid porriget illi scorpionem [15] ? *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se* [16] ?

[15] Panis, piscis et coctum ovum sunt, ad haec usque tempora, cibus ordinarius itinerantium in Oriente. — Notandum, in graeco parum diverso modo legi: τίνα ἐξ ὑμῶν τὸν πατέρα αἰτήσει ὁ υἱός, *quem ex vobis patrem petet filius:* quasi dicat, nullum prorsus fore patrem, qui id quod hic dicitur, non praestet. — Ulterius, in potioribus codicibus deest primum petitionis obiectum, id est *panis,* et correspondens obiectum *lapis.* — Demum notabitur, piscem specialiter nominari, quia eius usus frequenter in Scriptura recensetur; ovo autem opponitur scorpio, quia eius corpus, maxime si sit album, et membra eius retrahantur, similitudinem cum ovo gerit.

[16] Argumentum est a fortiori. Si pater carnalibus filiis corporalia bona largitur, multo magis Deus, spiritualis pater rationalium animarum, filiis suis ad se pie clamitantibus spiritualia distribuet bona, quibus mens docilis ac demissa et Dei legi perfecte obsequens fiat. — Notandum obiectum promissionis divinae, *spiritus,* videlicet *bonus,* graece, πνεῦμα ἅγιον: scilicet, non se obligat Deus ad nobis idipsum concedendum quod petimus, sed id quod nostra petitione et nostris desideriis praestat, nempe spiritum bonum vel sanctum.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum duae petitiones:* FIAT VOLUNTAS TUA, *etc., et:* LIBERA NOS, *etc., decursu temporis ex textu S. Lucae exspunctae fuerint ?*

Resp. Negative: talis enim, qualis in Vulgata legitur, prostat oratio et in antiquis graecis codicibus; talem quoque eam exhibent veteres scriptores, puta, Origenes ([1]) et Tertullianus ([2]). Ad rem quoque S. Augustinus ([3]): *Evangelista Lucas, in oratione dominica, petitiones non septem, sed quinque complexus est,... ostendens... tertiam petitionem duarum superiorum esse quodammodo repetitionem,... Quod* (Matthaeus) *in ultimo posuit:* SED LIBERA NOS A MALO, *iste non posuit, ut intelligeremus ad illud superius, quod de tentatione dictum est, pertinere.* — Ceterum, quis tam audax unquam inveniri potuerit, ut illas petitiones deleret, maxime cum

([1]) De Orat., 18, 29, 30. — ([2]) Adv. Marc., l. IV, c. 26. — ([3]) Enchirid., cap. CXVI.

apud S. Matthaeum expressae habeantur? Certe facilius intelligitur quomodo in nonnullis graecis minoris auctoritatis codicibus, huiusmodi additamenta fuerint facta.

II. — *Quorsum tendit discrepantia inter textum orationis dominicae, qualis apud S. Matthaeum legitur, et textum S. Lucae?*

Resp. Sive discrepantia huiusmodi debeatur ipsi Christo, dum bis hanc orationem, modo diverso, recitaverit; sive debeatur ipsismet Evangelistis, qui eam modo plenius, modo coarctius tradiderint, dicendum est eadem discrepantia nos doceri, nobis non tam de verbis, quam de affectibus sollicitos esse oportere: cum orationis meritum non tam ex eo quod proferimus, quam ex affectu quo illud proferimus, sit pensitandum. Attamen, nullo modo id sustineri potest, quod aliqui dicunt, ideo aliquid a S. Luca fuisse omissum, quia rem non tam accurate perpenderit: absit enim ut in Evangelistis negligentia utcumque reperiatur.

III. — *Quomodo septem petitionibus quae sunt apud S. Matthaeum, respondent quinque petitiones hic positae?*

Resp. Tertia petitio, *fiat voluntas tua*, etc., est duarum praemissarum quodammodo recapitulatio: ad hoc enim praecipue tendit voluntas Dei, ut eius sanctitatem cognoscamus et cum illo regnemus. Ultimam petitionem, *libera nos a malo,* S. Lucas praetermittit, ut sciat unusquisque in eo se liberari a malo, quod non infertur in tentationem (1). Enimvero, pro ly *a malo* S. Matthaei, graecus habet τοῦ πονηροῦ, *illo malo,* quo nomine saepe significatur diabolus (2), qui ab Apostolo vocatur is qui tentat, ὁ πειράζων (3): unde septima petitio rite dici potest in sexta contineri.

IV. — *Quomodo eadem vox,* ἐπιούσιος, *apud S. Matthaeum vertitur* SUPERSUBSTANTIALIS, *apud S. Lucam vero* QUOTIDIANUS?

Resp. Potest huius diversitatis ratio assignari diversa significatio particulae praepositivae ἐπί, quae coniungitur cum nomine οὐσία, et quae duplicem sensum habet, scilicet, *super,* et *ad.* Et quidem, in priori casu, ἐπιούσιος redditur *supersubstantialis:* in secundo vero *ad substantiam,* quod est, necessarium ad substantiam vel subsistentiam unius diei, quasi victui necessarium (4). Perperam autem nonnulli recentiores vocem illam volunt derivari a verbo ἐπιέναι, quod est *succedere,* quasi ἐπιών οὖσα, ut sensus sit petere nos panem subsequentis seu crastinae diei, cum expresse vetet nos

(1) S. Thom., 2 2ae, Quaest. LXXXIII, art. 9, ad 4m. — (2) Matth., V, 37; XIII, 19, etc. — (3) 1 Thess., III, 5. Cf. Sect. LI, n. II. Vol. I, p. 318. — (4) Prov., XXX, 8.

Dominus ne in crastinum simus solliciti (1). Praeterea, contradictio est in eo quod petamus ut nobis de die in diem datur panis crastinus; demum, huic sensui refragatur Vulgatae versio tot saeculorum usu consacrata. Quocirca, his verbis correspondet illud S. Pauli (2): *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.*

V. — *Quaenam intercedit differentia inter tentari, in tentationem incidere, et in tentationem induci?*

Resp. Primum dicit sensum simpliciter, sed non semper consensum; secundum dicit sensum et consensum ex subreptione et praeter propositum; tertium dicit sensum et consensum ex deliberatione. Primum potest esse sine peccato; secundum, absque peccato mortali; tertium vero est gravius et frequenter mortale evadit (3).

VI. — *Utrum praedictae petitiones tribus divinis personis attribui possint?*

Resp. Affirmative; cum enim Pater sit fontale principium in Trinitate, eique attribuatur potentia, hinc ad eum referri possunt, utique per appropriationem, istae duae petitiones: *Sanctificetur nomen tuum,* et: *Panem nostrum,* etc. Pariter cum Filio attribuatur opus redemptionis, per quod et regnum caeleste restauratur, et debita nostra remittuntur, hinc ad eum pari modo referri possunt duae petitiones, scilicet: *Adveniat regnum tuum,* et: *Dimitte nobis,* etc. Denique cum ad Spiritum Sanctum approprietur bonitas, quae in cordis rectitudine et in mali ablatione consistit, hinc rite eidem duae aliae petitiones attribuuntur: *Fiat voluntas tua,* etc., et: *Ne nos inducas,* etc.

VII. — *Cur tres postulantur panes, cum unus dumtaxat hospes esset nutriendus?*

Resp. Vel dicendum, panes modicos ac tenues tunc fieri consuevisse, vel potius illos necessarios ad reficiendum hospitis servos aut familiares illum comitantes, de quibus tamen mentio non solet fieri. Per istos panes spiritualiter intelligi possunt, illuminatio intellectus, caritativa inflammatio voluntatis et stabilitas memoriae in divinis; aut panis poenitentiae, panis Eucharistiae et panis contemplationis internae. Dici autem etiam potest, seligi numerum certum, ad ornamentum parabolae.

VIII. — *Quid, per piscem, ovum et panem, mystice significatur?*

Resp. Per piscem, significari potest fides, propter aquam

(1) Matth., VI, 34. — (2) 1 Tim., VI, 8. — (3) Dion. Cartus., in h. l.

baptismi, qui est sacramentum fidei; per ovum, spes, quia in ovo vita pulli nondum est, sed exspectatur; per panem, caritas, qua vita animae nutritur, et unum corpus efficimur cum Cristo.

IX. — *Cur Deus interdum differt exaudire preces bonorum? Resp.* Dici potest Deus interdum differre exaudire preces bonorum, ne homini oranti dona divinorum charismatum vilescant ex facilitate obtinendi petita; ne homo propriis meritis tribuat obtentam exauditionem; ne vane exultet aut alios spernat; ut diu orando amplius incalescat, suoque tempore copiosius exaudiatur, et impetrata vigilantius semper custodiat, de eorum amissione formidans (1).

(1) Dion. Cartus, in h. l.

SECTIO CLXXVII.

(L. XI, 37-44).

Argumentum. — *Invitatus Christus ad mensam a quodam pharisaeo, hominum illius sectae hypocrisim libere notat ac iuste increpat, multiplex vae in eos pronuncians.*

Ratio Sectionis. — Quae in textu S. Lucae, post anteactam historiam, immediate ponuntur, a versu scilicet 14 usque ad versum 36, iuxta ordinis chronologici exigentiam, superius relata sunt *. Quonam autem tempore sequentes comminationes a Domino fuerint prolatae, certo definiri nequit : unde consultius ducimus ordinem S. Lucae, demptis nempe citatis versiculis, retinere. Equidem similes in pharisaeos increpationes serius recitat S. Matthaeus **: at, quod non raro accidit, dici potest Dominus eadem bis protulisse, quod quidem variis circumstantiis videtur suaderi, ut etiam S. Augustino visum est ***.

(*a*) Et cum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisaeus, ut pranderet apud se [1]. Et ingressus recubuit [2]. Pharisaeus autem coepit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium [3]. Et ait Dominus ad

(*a*) L. XI, 37-44.

[1] *Ut pranderet*, ὅπως ἀριστήσῃ: scilicet, hoc ad matutinum prandium refertur, per oppositionem ad δεῖπνον, quod principalem comestionem designabat, sub vespere fieri solitam.

[2] Invitanti pharisaeo Dominus morem ultro gerit, quatenus occasionem inde sciebat sibi obventuram, multos instruendi, pharisaeorum vitia reprehendendo. — Non autem sedit Christus ad mensam, sed, more orientalium *recubuit*, ἀνέπεσεν.

[3] Non constat utrum pharisaeus ille Dominum invitaverit animo illum tentandi, an ex sincero obsequio. Christum tamen, cordium scrutatorem, minime latuit temerarium hospitis iudicium, dum eum tanquam violatorem non humanarum, sed divinarum traditionum, animo secum reputavit. Recolendum est, consuetudinem fuisse Iudaeorum, manus crebro lavare et baptizari ([1]). — In graeco legitur : *Pharisaeus autem videns miratus*

* Cf. Sect. LXVIII, XC, seq. — ** XXIII, 13-29. — *** L. II de Consensu Evangel., c. 75. Cf. infra, Sect. CCL.

([1]) Matth., XV, 2 ; Marc., VII, 3, 4. Cf. supra, Sect. CXXVII, p. 215.

illum [4]: *Nunc vos, Pharisaei, quod deforis est calicis et catini, mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate* [5]. *Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est fecit* [6]? *Verumtamen, quod superest, date eleemosynam: et ecce omnia munda sunt vobis* [7]. *Sed vae vobis Pharisaeis, quia decimatis mentham, et rutam, et omne olus, et praeteritis iudicium et caritatem Dei: haec autem oportuit facere, et illa non omittere* [8]. *Vae vobis Pharisaeis, quia di-*

est, quia non prius baptizaretur ante prandium. Quocirca non videtur eis assentiendum, qui dicunt pharisaeum cogitationem suam exteriori sermone propalasse.

[4] Cum probe sciret Iesus quid esset in homine ([1]), hinc occasionem ex huius pharisaei tacita cogitatione arripuit pharisaeorum hypocrisim denuntiandi, extollendo internam animi sanctitatem.

[5] Licet hospitio exceptus, non omittit tamen Dominus pharisaeum eiusque convivas instruere, et, quatenus opus sit etiam reprehendere: hic autem illos de quatuor redarguit: primo, de scrupulosa observantia rerum nullius momenti; secundo, de neglectu vitae spiritualis; tertio, de hypocrisi; quarto, de vana gloria et ambitione. Quocirca exorditur emphatica praepositione *nunc*, id est, hic est vester procedendi modus.

[6] Utriusque partis hominis, corporis scilicet et animae, Deus requirit munditiam; at, quia anima extat corpore praestantior, ideo nobis internae puritati maiori studio attendendum est. Merito igitur *stulti*, ἄφρονες, seu *insipientes* appellantur, qui externae tantum munditiei student.

[7] Detecto vulnere, medicinam Dominus applicat, iubens pharisaeos eleemosynam exercere, cuius virtute, magis quam externis ablutionibus, a peccatorum maculis mundabuntur. Non vulgari balneo mentis sordes purgantur, sed caritatis operibus, inter quae eminet eleemosyna. Sic Daniel ad Nabuchodonosorem ait ([2]): *Peccata tua eleemosynis redime* ([3]). Notandum, id quod in Vulgata legitur: *Verumtamen quod superest,* graece reddi: πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην, id est, *ceterum, bona vel facultates vestras date eleemosynam* vel *in eleemosynam*, quo sensu non praeceptum, sed consilium continetur.

[8] Non reprehendit Christus harum rerum decimationem, etsi hoc ad supererogationem pertineret ([4]): sed pharisaeos increpat quod, praetextu adimpletae huiusmodi observantiae, praetermise-

([1]) Io., II, 25. — ([2]) IV, 24. — ([3]) Cf. Tob., IV, 11. — ([4]) Cf. infra, Matth., XXIII, 23 Sect. CCLI.

ligitis primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro [9]. *Vae vobis, quia estis ut monumenta quae non apparent. et homines ambulantes supra nesciunt* [10].

rint quod gravissimum erat, scilicet iudicium facere, et caritatem Dei observare. Apte *iudicium,* τὴν κρίσιν, caritati coniungit Dominus, per quam iustitiae virtutem designat; quia iustitia sine caritate in crudelitatem facile vertitur; caritas vero sine iudicio, in debilitatem et remissionem; quocirca pietas iustitia, et vicissim, temperari debet. Praesertim autem peccabant pharisaei contra rudem plebem, quam velut glebam habebant et suorum pedum scabellum ([1]).

[9] Ambitiosis hominibus nihil magis cordi erat, quam ut ab omnibus honorarentur atque magni aestimarentur: quod quidem duplici modo sibi pharisaei comparare nitebantur, loco scilicet, et specialibus reverentiae signis. Ad primum pertinebant sedes honoris quae, ante arcam, in loco eminentiori, cui nomen *bema,* βῆμα, ponebantur, in quibus sedentes ad populum conversi erant; ad alterum vero exaggerati tituli, quos a suis discipulis sibi illi decerni curabant. — Notandum, in textu graeco legi: Ἀγαπᾶτε τὴν πρωτοκαθεδρίαν ἐν ταῖς συναγωγαῖς, quod verti potest, *primum locum,* seu *primum consessum in synagogis.*

[10] Hebraei, ut labem caverent ex contactu cadaveris vel sepulcri ([2]), solebant ea loca, in quibus iaceret cadaver, exteriori signo, puta lapide erecto, notare, ne quis desuper transiens polluereturus. Sibivult igitur Christus, pharisaeos sepulcris humi latentibus similes esse, quae cum non appareant, nemo vitat; et sic qui illos frequentant eorum malitiae participes fiunt, unde et ipsi tabo ac putredine inficiuntur. Simile hoc est ei quod apud S. Matthaeum legitur ([3]), eosdem comparari sepulcris dealbatis, quae videlicet foris nitent, intus autem corruptione sunt plena. Igitur, corpora hypocritarum sepulcra dicuntur, quia in eis sunt animae spiritualiter mortuae. Solemne monitum est: aut esto quod appares, aut appare quod es. Quod est sophisma in logica, hoc est hypocrisis in morali.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum Dominus noster incivilem aut ingratum se exhibuerit, hospitem tam severe reprehendendo?*

Resp. Negative: primo enim, non alia de causa, ad convivium invitatus accedebat, nisi ut ipsi occasio esset virtutem promovendi,

([1]) Cf. Io., VII, 49. — ([2]) Cf. Num., XIX, 16. — ([3]) XXIII, 27.

vitia coercendi; deinde, huc tendebat severa illa periti medici admonitio, ut postea, tanquam iudex veniens, mitius cum hospitibus suis ageret; unde potius dici debet Christus bonum sibi ostensum maiori bono cumulasse.

II. — *Quomodo pharisaeos Christus stultos appellat, cum prohibuerit dicere fratri, fatue?*

Resp. Cum verba oris sint expressiva interioris conceptionis et affectionis cordis, hinc culpa et virtus iudicantur esse in verbis, secundum dispositionem seu affectum cordis: unde dicere, *fatue,* ex contemptu et elatione, cum animo exprobrandi, prohibetur a Christo; non autem si dicatur ex caritate et animo corrigendi, praesertim si id fiat a superiore, cuius est subditos dirigere et arguere. Sic S. Paulus scribit ad Galatas (1): *O insensati Galatae,* etc.; et Dominus noster post resurrectionem suam dixit discipulis (2): *O stulti et tardi corde ad credendum.* Potuit ergo Dominus, cum sit omnium iudex, magister et princeps, pharisaeos *stultos,* ἄφρονες, appellare, ut eos ad humilitatem et sapientiam, si fieri posset, revocaret.

III. — *Utrum opera misericordiae exercentes, in aeternum damnari non possint?*

Resp. Fuit hic aliquorum error, cui occasionem praebuerunt verba hic recitata: *Quod superest, date eleemosynam,* etc., uti refert S. Augustinus (3). Hoc tamen facile reprobatur: Christus enim non sic loquitur, quasi sola eleemosynarum largitio sit vitiorum purgativa et redemptiva; sed quia inter remedia contra peccata est quoddam praecipuum, et per appropriationem quamdam, veniam desuper promeretur, quasi condecens sit ut Deus sic nobis faciat, quemadmodum nos ipsi fecerimus proximis nostris. Ceterum eleemosynae largitio est opus virtuosum a caritate imperatum, et a virtute, quae misericordia nuncupatur, elicitive procedens; sicque eleemosynam agere, meritorium est vitae aeternae ex radice caritatis.

IV. — *Utrum pharisaei eleemosynam omnino praetermiserint?*

Resp. Negative, ut constat ex illo (4): *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere,* etc.; similiter, hic dicitur quod decimabant omne olus; et unus eorum ita orabat (5): *Decimas do omnium quae possideo.* At huiusmodi eleemosynae aut decimae duplici laborabant vitio: hinc, nempe, sub obtentu prolixae orationis, captabant patrimonia et pecunias muliercularum, seu devorabant domos vi-

(1) Galat., III, 1. — (2) Luc., XXIV, 25. — (3) L. XXI de Civitate Dei, c. XXVII, n. 1. — Matth., VI, 2. — (5) Luc., XVIII, 12.

duarum [1], et ex huiusmodi rapina eleemosynas largiebantur; illinc vero, hoc faciebant cum tuba et praecone, ut honorarentur ab hominibus, tanquam homines benefici et sanctitate pollentes.

V. — *Utrum in lege praeceptum fuerit, ut earum rerum, quae hic nominantur, decimae solverentur?*

Resp. In lege quidem hoc praeceptum non fuit: sic quippe legitur [2]: *Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos* [3]; attamen, minusculae herbae, quales sunt ruta et mentha, non censebantur hoc praecepto concludi: pharisaei vero, quo sanctiores haberentur, usum introduxerant etiam de huiusmodi decimas solvendi. Porro, triplex potest decimatio distingui: una fuit praecepta, quae dabatur Levitis de frugibus universis [4]; altera fuit partim spontanea, partim debita, ut oblationes quae fiebant in Scenopegia, Paschate ed Pentecoste [5]: aliquid enim solvere debebant, sed cum fixa non esset rei solvendae quantitas, hinc alii plus, alii minus reddebant; tertia fuit omnino spontanea, ut decimatio menthae et rutae et similium minorum olerum. Quocirca, Christi verba: *Haec oportuit facere, et illa non omittere,* hoc modo intelligenda sunt: Haec, tanquam imprimis necessaria, facere oportuit; illa vero, utpote libera, quia tamen bona, poteratis, si ita videbatur, non omittere.

[1] Marc., XII, 40; Luc., XX, 47. — [2] Deut., XIV, 22. — [3] Cf. Levit., XXVII, 30. — [4] Num., XVIII, 21. — [5] Deut., XII, 17; XVI, 17.

SECTIO CLXXVIII.

(L. XI, 45-54).

Argumentum. — *Querentibus legisperitis, quasi eis Christus contumeliam faceret, multiplex vae in eos quoque Dominus pronunciat, eos signanter increpans, quod patrum suorum operibus consenserint: qua de causa, ipsi et pharisaei occasionem Iesum accusandi avide quaeritant.*

Ratio Sectionis. — Quod sequens narratio praecedentem e vestigio suscipiat, suadent et loquendi modus quo utitur S. Evangelista: *Respondens autem,* etc. et affinitas materiae: sicut enim pharisaeis legisperiti ultro conveniebant in moliendo insidias Christo, ut ex finé huius Sectionis apparet, ita in hypocrisi pares erant: unde uno tempore iustissima Domini obiurgatio illos complexa est.

(*a*) RESPONDENS autem quidam ex legisperitis, ait illi: *Magister, haec dicens, etiam contumeliam nobis facis* [1]. At ille ait: *Et vobis legisperitis, vae, quia oneratis homines oneribus quae portare non possunt, et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas* [2]. *Vae vobis, qui aedificatis*

(*a*) L. XI, 45-54.

[1] Cum hic legisperitus Christum audisset, inter cetera, arguentem pharisaeos, quod primas cathedras amarent in synagogis, cathedra autem doctorum competeret legisperitis, hinc suspicatus est se et collegas suos verbis Domini tangi, correctionem culpae reputans contumeliam personae: at Christus impavidus prosequitur, in eos quoque plurimum vae proferens.

[2] Onera, de quibus hoc loco, non erant praecepta a lege mosaica divinitus lata: haec enim, licet gravia, utique tamen portabilia erant; sed erant caeremonialia illa praescripta humanitus atque legi Dei a vanis doctoribus superaddita, in quibus legisperiti sanctitatem consistere contendebant. Simul autem legisperiti illi in se indulgentissimi erant, nec ullo modo aliis suppetias ferebant, id quod hyperbolica locutione exprobrat Dominus, quasi illis nunquam deessent rationes ob quas ab huiusmodi minutarum rerum observantia se exsolverent.

monumenta prophetarum; patres autem vestri occiderunt illos [3]. *Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum; quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem aedificatis eorum sepulcra* [4]. *Propterea et sapientia Dei dixit: Mittam ad illos prophetas, et apostolos, et ex illis occident, et persequentur* [5]. *Ut inquiratur sanguis omnium prophetarum qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista* [6], *a sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariae, qui periit inter altare et aedem* [7]. *Ita dico vobis: requiretur ab hac generatione* [8]. *Vae vobis legisperitis, qui tulistis cla-*

[3] Etsi prima facie viderentur Iudaei idcirco laudandi, quod prophetis a patribus suis interfectis sepulcra erigerent, reapse tamen, cum certo sciret Dominus eos esse in seipsum, et consequenter in prophetas qui illum signabant, animo infensissimos, ideo huiusmodi opus eis iuste vitio vertit, arguitque monumenta illa velut contra eos clamitare, utpote eorum malitiae condemnativa.

[4] *Testificamini*, μάρτυρές ἐστε, hoc est, *testes estis*, scilicet per operam vestram. — *Consentitis*, συνευδοκεῖτε, id est, *una cum eis* hoc opus *probate*, et in eo *delectamini*. — *Aedificatis eorum sepulcra*, οἰκοδομεῖτε. — Idipsum, fortius adhuc, apud S. Matthaeum, reprehendi Dominus ([1]).

[5] Sapientia Dei est consilium, sive providentia Dei, quae cuncta in finem ordinat; sed est et ipse Christus, ut Deus est, qui est ipsa virtus et sapientia Patris ([2]): haec quippe interpretatio evidenter constat ex S. Matthaeo, ubi Christus de se ipse verba subnexa profert ([3]): *Ecce mitto ad vos prophetas*, etc.

[6] Sanguis omnium prophetarum, qui occisi sunt ab initio mundi, quantum ad culpam imputatur isti malorum generationi: sumpta generatione pro tota serie hominum malorum qui tunc Sanctum Dei, id est Christum, in suis prophetis et Apostolis persequuntur, ac ad necem quaerunt. — Notandum, verba: *A generatione ista*, regi a verbo: *Ut inquiratur*.

[7] Zacharias hic, apud S. Matthaeum ([4]), dicitur filius Barachiae. — *Inter altare et aedem*, μεταξὺ τοῦ θυσιαστηρίου καὶ τοῦ οἴκου, id est, inter altare holocaustorum, quod fuit extra templum in atrio illius ([5]). Apud S. Matthaeum habetur ([6]): *Inter templum et altare*, μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ θυσιαστηρίου, sumpto nomine ναός in oppositione ad nomen ἱερόν.

[8] Hoc repetit Christus in confirmationem suae sententiae. Por-

([1]) XXIII, 29, 30. Sect. CCLI. — ([2]) 1 Cor., I, 24. — ([3]) XXIII, 34. — ([4]) XXIII, 35. Sect. CCLII. — ([5]) Exod., XL, 27. — ([6]) Ibid., 37.

vem scientiae ; ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohibuistis [9]. Cum autem haec ad illos diceret, coeperunt Pharisaei et legisperiti graviter insistere, et os eius opprimere de multis, insidiantes ei, et quaerentes aliquid capere de ore eius, ut accusarent eum [10].

ro, cum dicitur, omnem sanguinem a Iudaeis antea effusum, requirendum esse ab hac generatione, non est sensus, patrum peccata esse filiis, quantum ad culpam, personaliter imputanda, cum unusquisque culpae reatum incurrat secundum proprii peccati mensuram ; sed cum Iudaei tunc viventes una cum patribus suis nationem efformarent, atque filii male viventes peccata patrum quodammodo approbarent, hinc una omnibus poena erat decernenda, scilicet nationis subversio.

[9] Doctoribus suis Hebraei clavem ac tabulas tradebant, quibus velut in muneris possessionem immittebantur. Isti igitur legisperiti propriam sibi vindicantes intelligentiam Scripturarum, cum Christo in eis promisso acriter contradicerent, nec alios sinerent illum pro vero Messia habere, ideo et ipsimet excludebantur ab intelligentia Scripturarum, et aliis, sophismis suis, aditum ad sacram illam doctrinam praecludebant. — *Tulistis*, ἤρατε, id est, *abstulistis*.

[10] In pluribus, iisque potioribus graecis codicibus, legitur : κἀκεῖθεν ἐξελθόντος αὐτοῦ, *cum exiisset inde* : unde videntur irati pharisaei Iesum domo exeuntem secuti fuisse. Ulterius, in graeco legitur : οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι, scribae et pharisaei. Hi igitur livore acti, verbis Christi minime correcti sunt ; sed magis indignabantur ac remurmurabant arguenti, haec enim est vis verbi graeci, δεινῶς ἐνέχειν, *irasci, stomachari ;* praeterea, animo Iesum in malum pertrahendi, multis quaestionibus confertim aggeratis eum fatigabant : hoc sibi vult graeca phrasis : ἀποστοματίζειν αὐτὸν περὶ κλειόνων, quod verti potest, *eum allicere ad loquendum de multis*. — Notanda vis graeci textus : ζητοῦντες θηρεῦσαί τι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ, *quaerentes venari aliquid ex ore eius*.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum onus legis mosaicae importabile fuerit ?*

Resp. Primo, distinguenda sunt ipsa praecepta Moysis, a superadditionibus pharisaeorum, quae certe onus erant importabile, tum ob earum multiplicitatem, tum ob frivolam earumdem indolem. Ipsa autem praecepta Moysis alia erant moralia, et haec

certe portabilia fuerunt, cum adhuc in Lege nova perdurent (1); alia erant caeremonialia et alia iudicialia: et huiusmodi dicuntur importabilia, non quia Iudaei illa exequi non possent, secus Deus ipse eis dedisset occasionem peccandi; sed quia nonnisi difficulter poterant impleri, cum et materialia forent, nec haberent gratiam sibi adnexam, sicut habent sacramenta aut sacramentalia Ecclesiae. Quocirca lex vetus vocabatur onus grave (2), aut etiam iugum servitutis (3). Hoc sensu igitur importabilia vocabantur onera huiusmodi: pro quo nomine, in graeco S. Matthaei, in pluribus codicibus legitur (4): φορτία... δυσβάσταχτα, id est, *onera... difficilia portatu.*

II. — *Utrum verba:* MITTAM AD ILLOS PROPHETAS, *etc., inveniantur in Sacra Scriptura?*

Resp. Dicunt aliqui, verba ista paraphrasim esse huius loci secundi libri Paralipomenon (5): *Mittebatque eis prophetas, ut reverterentur ad Dominum, quos protestantes illi audire nolebant;* volunt alii citari hic locum ex Scriptura aliqua deperdita, aut etiam apocrypha: at melius dicitur Dominum loqui more prophetarum, arcanum Providentiae consilium in ipso Deo cernentium et hominibus pandentium.

III. — *Utrum Abel dici possit propheta et martyr?*

Resp. Affirmative: licet enim ore non prophetaverit, in seipso tamen personam gessit Salvatoris, qui odio Iudaeorum, velut iniquorum fratrum, occidendus erat, ideoque propheta fuit, non verbo, sed facto; et quia ob iustitiam creditur interfectus, hinc vere quoque martyr dicitur.

IV. — *Quis fuit Zacharias hic nominatus?*

Resp. Censuerunt nonnulli, eum fuisse patrem Ioannis Baptistae, quem affirmabant a Iudaeis occisum, quia Christum iam natum asseruerat. Hoc tamen apocryphum est; unde merito a S. Hieronymo (6) et commentatoribus reiicitur. — Improbabilior adhuc est opinio dicentium, illum fuisse Zachariam, de quo fit mentio a Iosepho (7): patri enim huius Zachariae nomen erat Baruch, quod *benedictum* significat; Barachias vero aliud nomen est, significans *Dominus benedicet.* Praeterea, Zacharias hic exhibetur occisus in obsidione Hierusalem; Christus vero loquitur de praeterito eventu. Tandem, non constat Zachariam hunc illa sanctitate fuisse prae-

(1) S. Thom., I 2ae, Quaest. c, art. 8. — (2) Act., XV, 10. — (3) Gal., V. 1. — (4) Matth., XXIII, 4. — (5) XXIV, 19. — (6) L. IV Comment. in c. XXIII S. Matth. — (7) De Bello, l. IV, c. V, n. 4.

ditum, quam innuunt verba Christi. Quae cum ita sint, non restat nisi ut dicatur hunc Zachariam fuisse aut penultimum inter duodecim prophetas minores, aut virum illum, cuius mentio fit in secundo libro Paralipomenon (1). — Porro priori quidem opinioni suffragatur, quod illius Zachariae patri nomen esset Barachias (2); at vero, nullum, praeter hoc, potest aliud argumentum in huius sententiae favorem afferri. Nam, primo, vix credibile est Iudaeos, modo ab exilio redactos, statim post reaedificationem templi, tantum voluisse facinus committere: equidem, cum secundum templum completum fuerit sexto regni Darii anno, hic vero Zacharias incoeperit prophetare anno secundo a quo princeps iste regnum auspicatus est, credibile omnino est, prophetam hunc templi completionem propriis vidisse oculis: quod dicitur contra S. Hieronymum, gratuito asserentem, huius prophetae temporibus, vix ruinas templi extitisse (3). Adde, tanti criminis nullum prostare, apud suppares, vel subsequentes scriptores, vestigium. — Non restat ergo nisi ut dicatur Zacharias iste is esse, de quo legimus (4): *Spiritus itaque Dei induit Zachariam, filium Ioiadae, sacerdotem, et stetit in conspectu populi, et dixit eis: Haec dicit Dominus Deus: Quare transgredimini praeceptum Domini, quod vobis non proderit, et dereliquistis Dominum, ut derelinqueret vos? Qui congregati adversus eum, miserunt lapides, iuxta regis imperium, in atrio domus Domini.* — Hoc porro crimen valde abominabile fuit, tum ob sacram sacerdotis occisi personam; tum ob motivum, ob quod crimen perpetratum est, quod fuit zelus legis Domini; tum ob regis Ioas iussionem; tum ob locum ubi sacerdos fuit interfectus. — Nec obstat, apud S. Matthaeum (5), Zachariam, de quo loquitur Dominus noster, dici Barachiae filium, cum hic legatur filius Ioiadae: dici enim potest vir iste, sicut plures alii veteris et novi Testamenti, duobus nominibus designatus; vel, cum S. Hieronymo (6), adverti potest, Barachiae nomen positum fuisse, in Evangelio S. Matthaei, pro nomine Ioiadae, quod posterius nomen se legisse testatur in evangelio quo utuntur Nazareni. Ceterum, in S. Luca nihil de patre huius Zachariae dicitur; hinc suspicari possumus, nomen Barachia, in S. Matthaeo interpolatum fuisse. — Obiicienti ulterius, Christum Dominum complecti voluisse omnem sanguinem iniuste fusum a primo usque ad ultimum, cum tamen Zacharias ille, Ioiadae filius, octingentis fere annis Christum praecesserit, respondetur, satis fuisse ut Dominus duos insignes viros nominaverit a Iudaeis iniuste occisos, non habito respectu ad tempus quo id acciderit, maxime cum vellet Christus inculcare ul-

(1) XXIV, 20-22. — (2) Zach., I, 1. — (3) Loco cit — (4) 2 Paralip., XXIV, 20-21. — (5) XXIII, 35. — (6) Loc cit.

tionis divinae certitudinem: porro de duobus istis viris expresse refert Scriptura, Deum de eorum morte severam exacturum esse vindicationem: siquidem, de Abel dixit ipse Deus (1): *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra:* a Zacharia vero, Spiritu Sancto per os eius loquente, legitur dictum (2): *Videat Dominus et requirat* (3).

V. — *Utrum filii pro parentum culpis puniantur?*

Resp. Poena, secundum rationem formalem poenae, non debetur nisi peccato proprio, in quantum, scilicet, qui peccando nimis secutus est propriam voluntatem, aliquid contra suam voluntatem patiatur; at, accepta poena secundum quod est, non solum sanativa peccati praeteriti, sed etiam praeservativa a peccato futuro, vel promotiva in aliquod bonum, potest utique unus puniri pro alio, sic tamen ut nullus unquam puniatur in spiritualibus ob peccatum alterius, nisi hoc sit peccatum originis, quod fuit non Adae tantum, sed etiam totius generis humani. Sic igitur plures sunt praesentis vitae poenae homini, ob parentum suorum, vel societatis peccata inflictae, ad illius humiliationem vel probationem; maxime autem attendendum est quod, cum homines sociabiles sint, interdum unus homo punitur pro peccato alterius, sint pro peccato Cham, filius eius Chanaan maledictus est (4); similiter, Giezi peccante, legitur lepra transmissa ad posteros (5); Christi etiam sanguinis obnoxios poenae reddit successores Iudaeorum, qui dixerunt (6): *Sanguis eius super nos, et super filios nostros.* Videmus denique civitates et regna, ob peccata plurimorum, corruere, licet nonnulli sancti viri in eisdem vixerint. At vero, ista omnia diligentibus Deum cedunt in bonum (7); ideoque legitur apud Ezechielem (8): *Anima quae peccaverit, ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris* (9). Hoc igitur modo intelligenda sunt verba Christi: *Requiretur* (sanguis)... *ab hac generatione:* quod est, tota natio corporaliter punienda est, ob illorum Iudaeorum peccatum.

(1) Gen., IV, 10. — (2) 2 Paral., XXIV, 22. — (3) Cf. infra, Sect. CCLII. — (4) Gen., IX, 25. — (5) 4 Reg., V, 27. — (6) Matth., XXVII, 25. — (7) Rom., VIII, 38. — (8) XVIII, 20. — (9) Cf. S. Thom., 2 2ae, Quaest. CVIII, art. 4.

SECTIO CLXXIX.

(L. XII, 1-12).

Argumentum. — *Iubet Christus Dominus discipulos suos cavere a fermento pharisaeorum, solum Deum timere, in Deo confidere, Filium hominis confiteri; eosque docet quam grave sit peccatum, blasphemia in Spiritum Sanctum.*

Ratio Sectionis. — Quod alius sit sermo praesens a sermone quem supra ex SS. Matthaeo et Marco retulimus *, citato loco iam ostendimus: nimirum, sermo hic a Domino habitus est cum multae turbae illum circumstarent; alius vero sermo est factus in navi. Nec ratio est ulla disiungendi praesens argumentum ab iis quae praecedunt, cum etiam apud S. Lucam immediate subnectatur iis quae modo ex eodem retulimus. Verisimile quippe est, reprehensionibus ad pharisaeos et legisperitos occasione prandii factis, Dominum e domo illius pharisaei egressum fuisse **, et subito turba plurima fuisse circumdatum: tum, eis relictis, ad discipulos verba convertisse.

(*a*) MULTIS autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, coepit dicere ad discipulos suos [1]: *Attendite a fermento Pharisaeorum, quod est hypocrisis* [2].

(*a*) L. XII, 1-12.

[1] In graeco legitur: ἐν οἷς ἐπισυναχθεισῶν τῶν μυριάδων τοῦ ὄχλου, ὥστε καταπατεῖν ἀλλήλους, *interea, cum aggregati essent decem millia de turba, ita ut alii alios inculcarent:* quae quidem verba notionem iugerunt tumultuantis catervae, quibusdam videlicet Christum tanquam prophetam habentibus, aliis vero huic rei contradicentibus. Porro, non poterat esse, quin discipulorum animos percellerent severa Christi in superbos pharisaeos et legisperitos verba, eiusque praedictio de persecutionibus quae suos sequaces manebant: quocirca, vult nunc sapiens Magister eos spe divini auxilii confortare. — In graeco, post *discipulos suos,* additur πρῶτον, *primum:* quod quidem referunt aliqui ad subsequentia verba: *Attendite;* sed melius refertur ad antecedentia: id est, primum admonet discipulos, postea verba facturus ad turbas (1).

[2] Cum pharisaei Christo sub

* Matth., XVI, 6; Marc., VIII, 15; Sect. CXXXIII. — ** Vide Sect. praeced., n. 10.

(1) Luc., XII, 13, seq.; Sect. CLXXX, p. 494.

Nihil autem opertum est, quod non reveletur; *neque absconditum, quod non sciatur* [3]. *Quoniam quae in tenebris dixistis, in lumine dicentur; et quod in aurem locuti estis in cubiculis, praedicabitur in tectis* [4]. *Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius quid faciant* [5]. *Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis: hunc timete* [6]. *Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in*

specie sanctitatis insidiarentur, indeque multos in errorem inducerent, detexit Dominus eorum hypocrisim, ne talibus ducibus abducti, in foveam perditionis dilecti discipuli praecipitarentur. Comparat autem hypocrisim fermento: quoniam sicut fermentum massam, de qua fit panis, alterat et corrumpit ([1]); ita hypocrisis alterat et corrumpit cordium intentiones et affectiones, necnon vitae opera.

[3] Efficacissima haec est ratio ad hypocrisim vitandam: scilicet, nullum potest opus vitiosum tanta simulatione colorari aut tegi, quin aliquando illius pravitas aperiatur, cum in die iudicii cuncta a Christo iudice sint manifestanda. Vicissim, quamtumvis conetur quis occultare bona iustorum hominum opera, veniet tamen tempus, quo ea detegentur, et adversariorum calumnia pandetur.

[4] Loquitur hic Christus secundum morem Palaestinae, ubi plana sunt tecta, ita ut homines stent super ea ad loquendum. Ceterum, haec Christi prophetia iam partim verificata est: quae enim Apostoli in carceribus aut angustis locis egerunt ac praedicaverunt, ubique sunt praedicata, et publice in Ecclesiis iamdiu perleguntur.

[5] Cum Dominus discipulos suos alloqueretur, non erat necesse ut eos iterum interpellaret: hoc tamen facit, et quidem dulcissimis verbis, eo quod rem nunc magni momenti esset eis manifestaturus. Nimirum, discipulos portaturus ad martyrium ob sui amorem sustinendum, eos nomine amicorum cohonestat benignissimus Iesus, iubens ne coram persecutoribus timore carnali reformident, cum ultra huius vitae terminos molestiam illi inferre non valeant ([2]).

[6] Bis inculcat Dominus necessitatem timoris, scilicet reverentialis et filialis erga Deum, cuius vindicta intra limites huius temporis non continetur, sed in altera quoque vita exercetur, et quidem, in animas, ante resurrectionem; in animas vero et in corpora, post resurrectionem.

([1]) 1 Cor., v, 6. — ([2]) Cf. Io., xv, 15.

oblivione coram Deo [7] ? *Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere : multis passeribus pluris estis vos* [8]. *Dico autem vobis : Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei : qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei* [9]. *Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi ; ei autem,*

[7] *Passer*, στρουθίον : quo nomine generatim avicula nominatur ; adhibetur tamen specialiter ad designandum communissimum et vilissimum avium genus, passerem nempe. — Pro *dipondio*, graece est ἀσσαρίον δύο, quod est, non duobus assibus, sed duobus minutis assibus : vox enim ἀσσάριον, a recentioribus graecis ex latino *assis* formata, significat minutum assem. Eadem vox habetur apud S. Matthaeum ([1]). — Ἀσσάριον erat decima pars drachmae, aequivalens duobus solidis gallicis. — Quod autem hic dicitur : *Non est in oblivione coram Deo*, hyperbolicum non est, cum de cunctis individuis, etiam vilissimis, curam Deus gerat.

[8] En alia ratio cur persecutores timere non debeamus : scilicet, nihil in hac vita, Deo nolente aut prohibente, nobis potest obvenire. Nimirum, si passer, cuius pretium est nummus vilissimus, divinae providentiae moderamine gubernatur, et si vel de exiguis capillis curam Deus gerit, quanto magis hominem ipsum, ad imaginem suam factum, et cuius pretium est sanguis Christi, caelestis Pater reget atque tuebitur ? Quocirca edicendum est, magnam Deo inferri iniuriam, si quis se suaque omnia ipsi, devoti filii instar, non committat. — *Pluris estis vos*, διαφέρετε, quod est, *praestatis, excellitis*.

[9] Ostendit nunc Dominus nullo timore esse cuiquam a se recedendum, quod quidem ostendit ex ordine futurae retributionis. Scilicet, qui non omiserit, ex timore, pudore, aut simili causa, fidem suam verbis atque operibus profiteri, Christus in conspectu sanctorum Angelorum illum tanquam suum agnoscet, atque aeterna donabitur beatitudine ; qui vero vano timore verbis aut factis fidem christianam repudiaverit, tam in particulari, quam in generali iudicio, negabitur. Non dicitur : Christus illum negabit ; sed negabitur, cum suam ipsemet in se portet condemnationem. — Notandum, graece communiter legi, πᾶς ὃς ἂν ὁμολογήσῃ ἐν ἐμοὶ,... καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὁμολογήσει ἐν αὐτῷ : *quicumque confessus fuerit in me,... et Filius hominis confitebitur in ipso* ([2]) ; quod tamen re-

([1]) x, 29. — ([2]) Cf. Matth., x, 32.

qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non remittetur [10]. *Cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus et potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere* [11].

dit in Vulgatam nostram; sicut quod legimus ([1]): *In nomine tuo confitebimur,* idem est ac, *nomen tuum confitebimur.*

[10] Locus iste ita difficilis est, secundum S. Augustinum, ut vix aliquid in tota Scriptura canonica difficilius inveniatur. Porro, ex variis interpretationibus, sequens potest retineri: qui peccaverit ex ignorantia, quae opponitur sapientiae quae attribuitur Filio Dei, saf facile remissionem inveniet, cum ignorantia partim excuset a peccato, si non sit affectata; qui autem peccaverit ex malitia aut contemptu, quae opponuntur bonitati; quae attribuitur Spiritui Sancto, aut non inveniet, aut saltem non tam facile inveniet remissionem.

[11] Mirabilis Spiritus Sancti in docendo efficacia! In momento, in ictu oculi, rudiores quosque ita perfecte instruere potest, ut sapientiores illos reddat cunctis doctis et prudentibus huius saeculi; nec aliud requirit in discipulis, nisi cor rectum et docile. Quam abundanter ista promissio fuerit adimpleta, constat ex agendi ratione multorum Novi Testamenti virorum atque mulierum: ut puta, ex Apostolis, ex multis sanctis martyribus aut virginibus, ut Catharina, Agatha, Agnete, Ioanna ab Arco, Theresia a Puero Iesu, etc. Hi nimirum, tum responsis sapientia refertis, tum animi invicta fortitudine, iudicibus atque principibus admirationi extiterunt ([2]).

QUAESTIONES.

I. — *Cur dicit hic Christus, cavendum esse a fermento pharisaeorum, cum alibi dicat* ([3]) *regnum caelorum simile esse fermento, etc.*

Resp. Fermentum interdum sensu bono, interdum sensu malo accipitur. Sensu bono, fides et caritas per fermentum signantur: quia, sicut fermentum moderate sumptum bonum praebet pani saporem; ita fides et caritas opus meritorium dirigunt atque informant. Malo autem sensu fermentum signat corruptionem: sicut enim modicum fermentum massam cui iniicitur inflat et corrumpit;

([1]) Ps. XLIII, 9. — ([2]) Act., VII, 56-58; XII, 1. Cf. etiam infra, Sect. CCLV. — ([3]) Matth., XIII, 33.

ita perversitas doctrinarum aut etiam actionum corruptionem in populo christiano ingerit; similiter, prava intentio opus quodcumque inficit ac meritum tollit. — Nomen *fermentum,* bono sensu, bis in novo Testamento adhibetur (1); malo autem sensu pluries (2).

II. — *Utrum ex his Christi verbis:* NE TERREAMINI, *etc., inferri possit christianam sepulturam rem esse vanam et inutilem?*

Resp. Etsi Sancti ex carentia debitae sepulturae nihil in se detrimenti patiantur, cum corpus exanime nihil valeat sentire, unde vesana est impiorum perfidia, qui mortuis martyrum corporibus inhonorationes irrogare conati sunt, recta tamen exigit ratio, Ecclesiae praxi confirmata, ut corporibus eorum, qui in fide Christi decesserunt, honorabilis concedatur sepultura, quatenus homines, visis eorum monumentis, ad eorum virtutum imitationem excitentur, spe resurrectionis eorum corporum erigantur atque provocentur ad eorum patrocinium implorandum, si Dei quidem visione iam gaudere censeantur.

III. — *Quid intelligitur per gehennam?*

Resp. Per gehennam, scilicet ignis (3), intelligitur profunda vallis Hinnon, ad meridiem Montis Sion sita, cui alludit Isaias, sub nomine Thophet (4): *Praeparata est enim ab heri Thophet, a rege praeparata, profunda et dilatata. Nutrimenta eius ignis et ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam;* illam autem sic describit Iosue (5): *Descenditque in Geennom, id est, vallem Ennom, iuxta latus Iebusaei ad austrum.* Porro, cum sub Achazet Manasses, horrendi ritus inibi perficerentur, et victimae comburerentur in honorem idolorum Moloch et Chamos, hinc locus iste haberi coepit tanquam symbolum loci aeterni tormenti. Ad ingressum quippe convallis, collocata fuerat ingens aenea idoli statua, et quidem intus vacua, quae, camini instar, plurimum accendebatur, in cuius ferventibus brachiis Israelitae parvulos suos ponebant, dum stridens tubarum clangor erumpebat, ad illorum ululatus suffocandos. Tandem impiae superstitioni Iosias rex finem imposuit, iubens cadaverum ibi ossa comburi, unde vallem tanquam contaminatam idololatrae habuerunt: a quo tempore, factus est locus ille receptaculum immunditiarum, quae accensis iugibus ignibus absumebantur: unde vallis haec, olim superstionis et peccati theatrum, cum postea omnis generis purgamentis, quae igne perenni absumabantur, foedata maneret, hinc ad aeterna damnatorum tormenta significanda apte translata est.

(1) Sc. Matth., loc. cit.; Luc., XIII, 20, 21. — (2) Cf. etiam Matth., XVI, 12; 1 Cor., V, 6; Gal., V, 9. — (3) Cf. Matth., V, 22; XVIII, 9; Marc., IX, 42, 46. — (4) XXX, 33. — (5) XVIII, 16.

IV. — *Quomodo hic dicuntur quinque passeres venum iri dipondio, cum apud S. Matthaeum* (1) *legantur duo passeres asse venum iri?*

Resp. Dici potest quinque passeres proportionaliter minoris constitisse quam duos. Equidem dipondium duobus assibus aequivalet; unde si duo passeres asse veneunt, quinque constare deberent dipondio cum dimidio. At, quod nunc est apud nos, scilicet, quo plura emuntur obiecta, eo minoris proportionaliter constare pretii, apud Hebraeos quoque, Christi tempore, obtinuisse dicendum est.

V. — *Quomodo externa fidei confessio necessaria est ad salutem?*

Resp. Confessio fidei, cum sit quid affirmativum, nonnisi sub affirmativo cadit praecepto. Porro praecepta affirmativa obligant semper, sed non ad semper: imo obligant solum pro loco et tempore, et secundum alias circumstantias ad actum virtutis requisitas. Itaque fidem seu Christum confiteri coram incredulis, tunc solum est necessarium ad salutem, quando per huius actus omissionem, honor Dei subtraheretur, aut proximorum utilitas. Si autem fides videretur periclitari, tunc quilibet tenetur fidem publice confiteri. Quod si ex fidei confessione maior oriretur seditio, aut infidelium irrisio, et nulla proximorum utilitas, tunc non esset laudabile fidem confiteri, ne canibus sanctum detur (2).

VI. — *Quaenam dicuntur peccata in Spiritum Sanctum?*

Resp. Sex sunt peccata in Spiritum Sanctum, videlicet: desperatio, praesumptio, impugnatio veritatis agnitae, invidentia fraternae gratiae, impoenitentia et obstinatio: quorum distinctio sumitur penes contemptum eorum per quae homo a peccati electione retrahitur. Quorum quaedam sunt ex parte divini iudicii, quaedam ex parte donorum Dei, quaedam ex parte peccati. Avertitur namque homo a peccato, considerando iudicium Dei, in quo comprehenduntur misericordia atque iustitia: et ex consideratione misericordiae oritur spes; ex consideratione autem iustitiae, timor. Cum ergo peccator tollit a se spem, de misericordia Dei diffidendo, dicitur desperatio; cum vero timorem abiicit, dicitur praesumptio, dum aut praesumit gloriam sine meritis, aut veniam sine poenitentia, adipisci. Dona vero Dei, quibus a peccato retrahimur, sunt duo, videlicet: agnitio veritatis, contra quam est impugnatio veritatis agnitae, dum homo agnitam fidei veritatem impugnat, ut licentius peccet; aliud est gratiae interioris auxilium, contra quod est invidentia gratiae fraternae, dum homo, non solum personae

(1) x, 29. — (2) Dion. Cartus., ad litter., in Matth., VII, 6.

proximi sui, sed gratiae Dei in eo est invidens. Ex parte denique peccati, sunt duo, per quae homo a peccato retrahitur: primum est inordinatio seu turpitudo peccati: et contra hoc est impoenitentia, non secundum quod dicit permanentiam in peccato usque in finem, quia sic est communis circumstantia culpae; sed prout dicit propositum non poenitendi; aliud est parvitas ac brevitas boni quod in peccato optatur: et hoc removetur per obstinationem, qua quis in se firmat propositum inhaerendi peccatis (1).

VII. — *Utrum ex verbis Christi:* NOLITE SOLLICITI ESSE QUALITER AUT QUID RESPONDEATIS, *inferri possit superfluam esse, in concionatoribus aut doctoribus, curam praemeditandi quid dicturi sint?*

Resp. Negative: illa enim verba iis dicta sunt qui ad tribunalia producendi erant, nec scire antea potuerant quae essent responsuri. At, qui aut concionaturi sunt ad populum aut docturi discipulos, id praetermittere non debent, quod ex ipsa rei natura exigitur, scilicet praemeditationem eorum quae in publicum debent proferre. Isti tamen, non secus ac illi, fiduciam in Deo reponere debent, a cuius amabili providentia in omnibus pendemus; unde, sic studere debent sacrorum ministri, ut tamen a divino auxilio fructum exspectent suorum laborum (2).

(1) Dion. Cartus. Cf. supra, Sect. XCII, quaest. 1, p. 53. — (2) Cf. S. Gregor. Magnus, Ep. ad Natalem episc. Ep. l. II, 52.

SECTIO CLXXX.

(L. XII, 13-21).

Argumentum. — *Renuit Iesus hereditatem inter geminos fratres dividere; ubi etiam recitat parabolam divitis, qui, ingenti collecta fortunarum copia repente sublatus est e vita: unde omnem docet avaritiam esse vitandam.*

Ratio Sectionis. — Licet sequens factum, et quae ei subnectitur parabola, a solo S. Luca narrentur, moralia tamen documenta, quae hic et sequentibus sectionibus, ex eodem S. Luca referuntur, etiam apud S. Matthaeum in Sermone in Monte, aliis licet verbis expressa, leguntur; at, licet res eaedem sint, diversa tamen sunt tempora, diversae quoque circumstantiae, in quibus istae prolatae sunt. Nec mirum videri debet, a Domino nostro easdem monitiones bis fuisse propositas; cum discipulorum menti vellet Christus alte insculpi principium quod in lege sua fundamenti instar habetur, divitias scilicet esse contemnendas, plenamque in Dei providentia fiduciam reponendam, in ordine ad regni caelestis, quod quidem unice interest, adeptionem.

(*a*) Dixit autem ei quidam de turba: *Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem* [1]. At ille dixit illi: *Homo, quis me constituit iudicem, aut divisorem super vos* [2]? Dixitque ad illos: *Videte, et cavete ab omni avari-*

(*a*) L. XII, 13-21.

[1] *Quidam de turba*, id est, non unus de discipulis quos Iesus modo allocutus fuerat, sed de circumstantibus turbis, de quibus paulo ante sermo fuit (1). Igitur, cum hic homo Christum excellentem rabbi esse videret, ad rabbinos autem pertineret lites de hereditatibus dirimere, ideo eius iudicio causam suam subiiciendam putavit. — Secundum mosaicam legem, patris bona inter filios ita dividebantur, ut primogenito duplex portio obtingeret, cum ipse matri et nubilibus sororibus providere deberet. Similiter et matris bona dividebantur (2).

[2] Rite hunc hominem redarguit Dominus, non solum quia praedicationem suam de rebus divinis pertractantem, per propositionem de causa terrena, intempestive interrumpebat; sed maxi-

(1) Sect. praec., n. 1. — (2) Deut., XXI, 17.

tia [3], *quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his quae possidet* [4]. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens [5]: *Hominis cuiusdam divitis uberes fructus ager attulit* [6]. *Et cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo quo*

me quia illum de negotio postulabat, ad quod missus a Patre non fuerat. Habebant scilicet Iudaei tribunalia, a quibus mundanae lites dirimi ac componi possent. Unde, ut nos divitiarum contemptum doceret Christus, lites de possessione temporali dirimere noluit: in quo quidem Ecclesiae praelatos sui imitatores esse voluit, iuxta illud S. Pauli ([1]): *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus*. Notandum, hoc solo exemplo referri petitum esse a Domino ut rem ad pecuniam spectantem componeret, cum alias semper ageretur de rebus altioris ordinis, puta, de liberatione a morbo aut a daemone. — Ulterius notandum, alium esse iudicem, alium divisorem: nam iudici potestas est iudicandi; divisori autem rei dividendae executio a iudice demandatur.

[3] Ex petitione hominis illius, occasionem sumit Christus salubria documenta tradendi de illo capitali vitio, quod est avaritia, quae, quam sit fugienda, monet Apostolus ([2]): *Radix omnium malorum est cupiditas*, quae videlicet est immoderatus amor temporalium divitiarum, et quae interdum idolorum servitus nominatur ([3]). — Pro *avaritia*, graece est πλεονεξία, quae immoderatam cupiditatem plus habendi significat. — Praecipua huius vitii exempla, in veteri Testamento, sunt Balaam, Achan et Giezi; in novo vero, Iudas, pharisaei et Ananias.

[4] Sibivult Dominus, opulentia rerum temporalium, hominis vitam minime longiorem reddi; cum potius divites, crapulae indulgentes, vitam sibi saepius brevient. — *Non in abundantia cuiusquam,* οὐκ ἔν τῷ περισσεύειν τινί, id est, non *in eo quod quis abundet*, seu, *etsi quis abundantiam habeat*: quod sibivult abundantiam nihil conferre ad maiorem longaevitatem, cum hominis vita minime dependeat ex abundantia possessionum, sed ex usu: ad usum autem pauca sufficiant, iuxta illud: Natura paucis contenta est.

[5] Quoniam audientium corda magis moventur particularibus exemplis quam communibus monitis, ideo Salvator sequentem proponit parabolam, quae utique potuit etiam esse res gesta. — *Similitudinem*, graece παραβολήν.

[6] Pro nomine *ager*, graece non est τὸ χωριόν, sed est ἡ χώρα, quod est non unus tantum agellus, sed regio, vel latifundium, quale fit cum possessor

([1]) 2 Tim., II, 4. — ([2]) 1 Tim., VI, 10. — ([3]) Eph, V, 5.

congregem fructus meos [7] ? *Et dixit : Hoc faciam : destruam horrea mea, et maiora faciam ; et illuc congregabo omnia quae nata sunt mihi, et bona mea* [8] ; *et dicam animae meae : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare* [9]. *Dixit autem illi Deus* [10] : *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quae autem parasti, cuius erunt* [11] ?

agrum agro copulat (1). Huius autem agri magna fuit fertilitas: adeo ut plus hominem illum turbaret copia, quam inopia.

[7] Plura hic notanda veniunt: primo, Dei liberalitas, qui iniquis quoque temporalia bona largitur, ut scilicet eos ad sui amorem pertrahat; secundo, anxia divitis huius sollicitudo, cui multiplicata bona non quietem, sed perturbationem afferunt; tertio, illius obcaecatio, cum Dei immemor, de se tantum cogitet. Quod si illuminatae mentis fuisset, scivisset utique ubi fructus suos saluberrime colligere debuisset, scilicet in sinu pauperum. At ex abundantia divitiarum, in oblivionem devenit proximi, animae propriae ac Dei.

[8] Distinguit dives iste ea quae sibi nata erant, anno scilicet praeterito, a bonis quae antea accumulaverat: quae quidem sua vocat, saepius repetito μου, et nullo habitu respectu sive ad Deum, a quo illa acceperat, sive ad bona spiritualia et divina, quae sola sunt hominis, ut homo est. — *Quae nata sunt mihi*, id est, messes recentiores : *bona mea*, id est, opes quas antea iam possidebam.

[9] Veridica haec est hominis mundani descriptio, in quo quatuor deprehenduntur vitia, ex divitiarum abundantia derivata : otiositas, gulositas, ebrietas et comessationis frequentia. Qui spirituales ignorant delicias, summum solatium reponunt in carnalibus oblectamentis, quo fit ut bestiis simillimi existant. — *Epulare*, graece est εὐφραίνου, id est, *iucundare*.

[10] Cum haec sit parabola, non est minutius inquirendum quomodo Deus sit diviti locutus ; potest tamen dici, vocem Dei fuisse gravem et mortiferum immissum morbum, qui proximae mortis foret nuntius.

[11] Vere stultus est homo qui immortalem se fingit, aut saltem confidit se diutius posse vivere, cum repente e vita revocari valeat. Augentur autem moribundi divitis angustiae, dum cogitat intra se, quonam sint suae divitiae perventurae, aut quisnam sit futurus illarum usus. Huc facit illud quod in Psalmo de divite dicitur (2): *Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea.* Sola virtus defunctis comes est, solaque eos sequitur misericordia, quae aeterna eis tabernacula pandit. —

(1) Cf. Is., v, 8. — (2) XXXVIII, 7.

Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives [12].

Signanter dicitur *repetunt:* quasi ab invito avaro anima vi rapi debeat, cum iustus, e contra, illam sponte in manibus Dei commendet. — Numerus pluralis ponitur pro impersonali.

[12] En parabolae finis, hominem docere cor divitiis non apponere, sed potius exercitium virtutum et bonorum operum vacare. Simile huic parabolae documentum prostat in illo loco Ecclesiastici ([1]): *Est qui locupletatur... et dicit: Inveni requiem mihi, et nunc manducabo de bonis meis solus; et nescit quod tempus praeteriet et mors appropinquet, et relinquat omnia aliis, et morietur.* Verus sapiens de caelestibus divitiis congregandis sollicitus est.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum homo ille abuti voluerit auctoritate Iesu, ad suam cupiditatem explendam?*

Resp. Id plures quidem senserunt, maxime inspecta Domini responsione, et severa subsequenti admonitione de vitanda avaritia. Huiusmodi tamen conclusio ex verbis sacri Textus erui nequit, cum homo ille virtute simul iustitiae et religionis moveri potuerit ad talem Christo petitionem proponendam. Nam, primo quidem, fieri potuit, et ita revera evenisse videtur, ut petitor iure suo ab iniusto fratre excluderetur, quod quidem ius merito potuit repetere, forsan et debuit; praeterea, quod Christo Domino rem hanc dirimendam subiecerit, ex magna eius in eum, ob compertas eius insignes virtutes, provenire potuit: unde ait S. Augustinus ([2]): *Miser ergo, et paternis opibus destitutus, tali ac tanto iudice invento accedit... causa iusta, causa brevis.* Quod autem Dominus mox avaritiam denuntiaverit, non certum signum est, hominem hunc bonis huius mundi plus aequo adhaesisse; sed occasio esse potuit potius fratris illius iniusta bonorum alienorum detentio.

II. — *Utrum ex verbis Christi:* QUIS ME CONSTITUET, *etc., inferre liceat Ecclesiae non competere potestatem iudiciariam?*

Resp. Ita quidem commenti sunt haeretici anabaptistae: perperam tamen, cum Christus, vere a Deo constitutus rex regum et iudex omnium, potestatem hanc Ecclesiae suae reliquerit. Sibivult igitur Dominus, se non posse a quopiam cogi ad temporaliter iudicandum, sed nec sibi quidem convenire forensibus negotiis impli-

([1]) XI, 18-20. — ([2]) Sermo CVII.

cari, ne videlicet falsam Iudaeorum de politico Messiae regno opinionem confoveret, et ne facto suo homines avocaret a salubriter cogitando, se hereditatem caelestem unice anhelare debere.

III. — *In quonam consistit avaritiae peccatum?*

Resp. Avaritiae peccatum consistit in immoderato amore habendi vel desiderio acquirendi possessiones, quae nomine pecuniae designantur. Recta quidem ratio dictat moderate quaerendas esse divitias, prout sunt ad vitam honeste traducendam necessariae vel utiles; sed quod quis supra debitum modum eas velit acquirere vel retinere, pertinet ad avaritiam, quae formaliter in hoc consistit, ut ultra quam debeat homo divitias amet, aut desideret, aut in eis delectetur. Per extensionem autem avaritiae nomen usurpatum est ad significandum omnem immoderatum appetitum habendi quamcumque rem; unde S. Gregorius dicit (1) quod avaritia est *non solum pecuniae, sed etiam altitudinis, cum supra debitum modum sublimitas ambitur.*

IV. — *Cur iubet Dominus noster carere nos ab* OMNI *avaritia?*

Resp. Quia avaritiae plures sunt formae; quarum aliae se habent ut filiae, aliae autem ut species. Et quidem, avaritiae filiae assignantur a S. Gregorio (2), *proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentiae* et *contra misericordiam obduratio.* Eius quoque plures sunt species, secundum quod eadem uno vel altero modo se prodit: potest enim quis dici avarus vel illiberalis ex eo quod deficit in dando; et si quidem parum det, vocatur *parcus;* si autem nihil, *tenax;* si autem cum magna difficultate det, vocatur *cuminibilis,* quasi *cumini venditor,* quia de parvis magnam vim facit. Quandoque autem aliquis dicitur illiberalis vel avarus, quia excedit in accipiendo, et hoc dupliciter: uno modo, quia turpiter lucratur, vel vilia et servilia opera exercendo per illiberales operationes, vel quia de aliquibus vitiosis actibus lucratur, sicut de meretricio, vel de aliquo huiusmodi, vel quia lucratur de eo quod gratis oportet concedere, sicut usurarii, vel quia lucratur parva cum magno labore: alio modo, quia iniuste lucratur, vel vivis vim inferendo, sicut latrones, vel mortuos spoliando, vel ab amicis auferendo, sicut aleatores (3).

V. — *Quomodo opponuntur haec duo: sibi thesaurizare et esse in Deum divitem?*

Resp. Sibi thesaurizare est opes vel in nullum, vel in immoderatum thesaurizantis usum congerere; esse in Deum divitem est

(1) Homil. XVI in Evang. — (2) L. c. XXXI Moral., 45. — (3) S. Thom., 2 2ae, Quaest., CXVIII, art. 8, ad 4m, ad litt.

divitiis uti, vel in Dei gloriam, vel in proximi aut reipublicae utilitatem, vel etiam in rectum et moderatum usum eius qui illas possidet. Igitur sibi thesaurizat, qui opes et pecunias accumulat ut voluptatibus, deliciis aut honoribus indulgeat, eas expendendo in numeroso famulitio, in copiosa et superflua suppellectili, in superbis aedificiis, etc. Est autem in Deum dives, qui opes in Dei cultum refert, in necessitates proximorum, in sublevamen egenorum, etc. Huc facit illud Horatii (1):

Nullus argento color est avaris
Abdito terris, inimice lamnae
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.

(1) Ode ad *Crispum Sallust.*

SECTIO CLXXXI.

(L. XII, 22-34).

Argumentum. — *Dominus noster, sumpto exemplo de corvis et de liliis, discipulos suos adhortatur, ut relicta superflua rerum huius vitae cura, regnum Dei et iustitiam eius unice quaeritent.*

Ratio Sectionis. — Huius capitis doctrina pleno ex anteactis alveo fluit: nimirum, postquam Christus docuit immoderatum affectum rerum temporalium esse vitandum, nunc docet etiam inordinatam eorum, quae necessaria sunt, sollicitudinem funditus esse extirpandam, cum divina providentia non cesset nobis fortiter ac dulciter adsistere. Porro, quae in hac Sectione continentur, usque ad verba: *Haec omnia adiicientur vobis,* parallela omnino sunt iis quae leguntur apud S. Matthaeum, in Sermone in Monte, capite VI, a versiculo 25 ad versiculum 33 *: unde bis a Domino prolata fuisse dicenda sunt.

(*a*) DIXITQUE ad discipulos suos [1]: *Ideo dico vobis: nolite solliciti esse animae vestrae quid manducetis, neque corpori quid induamini* [2]. *Anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum* [3]. *Considerate corvos, quia non*

(*a*) L. XII, 22-34).

[1] Cum praecedentia contra avaritiam monita Christus ad turbas direxisset, nunc convertit sermonem ad discipulos suos, qui specialiter instruendi erant de mundi contemptu; cum praedicatores evangelicae perfectionis oporteat, ante omnia, despectis huius saeculi curis, oculos semper in caelum intentos habere.

[2] Loquitur hic Christus de sollicitudine respectu alimentorum et vestimentorum, inquietudinem gignente in anima, quae scilicet ex quadam diffidentia proveniat et immoderationem includat, qua quis anxie circa aliquid occupetur, quasi divina non esset providentia: qua quidem sollicitudine, libertas mentis in Deo et quieta devotio, stabilisque profectus maxime impediuntur. — *Anima,* hic sumitur pro *vita,* scilicet, pro vita inferiori, seu animali.

[3] Qui absque sollicitudine nostra, corpus nobis et animam dedit, cibos etiam atque vestimenta

* Cf. supra, Sect. LIII, Vol. I, p. 326.

seminant, neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum; et Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis [4]*? Quis autem vestrum cogitando potest adiicere ad staturam suam cubitum unum? Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de ceteris solliciti estis* [5]*? Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant, neque nent; dico autem vobis: nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis. Si autem foenum, quod hodie est in agro, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos pusillae fidei* [6]*? Et vos nolite quaerere quid manducetis, aut quid bi-*

in se sperantibus dare non praetermittet. Argumentum igitur est a maiori ad minus: qui plus dedit, quod minus est non denegabit.

[4] Argumento iterum a fortiori suaviter insinuat Dominus, nimiam de rebus temporalibus sollicitudinem esse fugiendam. Si vilibus creaturis, quales profecto sunt corvi, de necessariis large Deus providet, quanto magis nobis, si immoderata sollicitudine spreta, in ipso sperantes fuerimus, necessaria ad vitam honeste traducendam benignus conferet? — Per hoc non excluditur quin homo debeat facere quod in se est, ut sibi de necessariis provideat: quandoquidem et corvi, circumvolando, escam quaerunt; sed ab his abstinere debet quae mensuram suam excedunt, quemadmodum et corvi a serendo et metendo se abstinent.

[5] Secundum proponit Dominus argumentum: si, quod in se quidem parvum, imo minimum est, Deoque facillimum, scilicet, cogitando, volendo et imperando, staturae augmentum facere, vel brevissimam horae morulam vitae apponere, vos agere non valetis, sed Creatori talem curam relinquere debetis, multo magis paternae eius providentiae vosipsos committere debetis. — *Cogitando,* μεριμνῶν, id est, omnem sollicitudinem et curam adhibendo. Idem verbum in graeco est pro, *solliciti estis,* μεριμνᾶτε.

[6] Tertium sequitur argumentum, desumptum ex decore ac venustate florum, in quo genere, vere mirabilem sese prodit Pater caelestis, quem nullus hominum coaequare potest. Ubi apte petitur de Salomone exemplum, qui divitiis et deliciis affluit, ac sapientia ad excogitandum decora plurimum abundavit. Si ergo florem campi tanta Deus prosequitur cura, quanto liberaliorem se in hominem, quem ad imaginem sui condidit, exhibebit. — *Lilia,* τὰ κρίνα: quo nomine intelligi possunt multicolores flores, quibus Palaestinae campi exornantur: quam fuisse Domini intentionem, deducitur ex comparatione cum vestibus Salomonis. — *Pusillae fidei,* ὀλιγό-

batis, et nolite in sublime tolli [7]: *haec enim omnia gentes mundi quaerunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis* [8]. *Verumtamen quaerite primum regnum Dei, et iustitiam eius: et haec omnia adiicientur vobis* [9]. *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum* [10]. *Vendite quae possidetis, et date eleemosynam* [11]. *Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in caelis, quo fur non appropiat, neque tinea cor-*

πιστοι: nimirum, saepius exprobrat discipulis suis Dominus noster fidei tarditătem. — Per hoc autem non excluditur moderata et rationabilis cura: nam et lilia ea praestant quae a natura sua requiruntur: succum vitalem attrahunt, etc.

[7] Graece est, μὴ μετεωρίζεσθε, proprie, *ne suspenso animo estote,* scilicet, prae sollicitudine de temporalibus, licet id S. Augustinus de superbia intelligat, μεγάλα φρονεῖν ([1]). At videtur metaphora desumpta ex navibus, vento et fluctibus iactatis: unde sensus est: *Ne fluctuetis animo.*

[8] En conclusio anteacti discursus: ne scilicet anxia sollicitudo circa cibum et potum aut ceteras res temporales cor vestrum occuperet: haec enim, quae in hominibus, a Christo alienis, saepius invenitur, abesse debet a servulis eius, quos meminisse iugiter decet Patris caelestis providae curae: qui, quia sapiens est, omnia novit; quia omnipotens, omnia potest; quia pater, pie vult nobis prodesse.

[9] Ipsa regni caelestis beatitudo finis est noster ultimus, ad quem omnia alia ordinare debemus: cetera vero bona, ad vitam corporalem ordinata, tanquam minus necessaria, nobis ultro concedentur. — Notandum, in graeco simpliciter legi: πλὴν ζητεῖτε τὴν βασιλείαν αὐτοῦ, καὶ ταῦτα προστεθήσεται ὑμῖν, quod verti potest: *Potius quaerite regnum eius, et ista adiicientur vobis.*

[10] Superfluam sollicitudinem, ex inordinato timore procedentem, excludi vult Dominus a cordibus discipulorum suorum, consideratione boni summi eis a Patre conferendi, id est, praedestinationis ad gloriam.

[11] Hic continentur praeceptum et consilium: praeceptum, si ly *vendite* accipiatur sensu metaphorico, scilicet pro aversione mentis vel affectus a rebus temporalibus; consilium vero, si sumatur pro actuali venditione et elargitione omnium bonorum temporalium, quod pertinet vel ad perfectionem spiritus paupertatis, vel ad ipsum votum paupertatis, ab homine in religione approbata libere emissum.

([1]) L. XXI Quaest. Evangelic. Quaest. XXIX.

rumpit [12]: *ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit* [13].

[12] Pro *sacculos,* graece est βαλλάντια, id est *crumenas* vel *marsupia:* scilicet, in sacculis, marsupiis vel crumenis, pecuniae asservari et circumferri solebant. Huiusmodi autem sacculi usu consumuntur, ita ut pecunias retinere amplius non possint. Monet igitur Dominus discipulos, ut abiectis temporalibus curis, satagant merita copiosa et divitias interiores, per rectam intentionem, in caelo reponere, per quae ad regnum aeternum possint pervenire.

[13] Qui thesaurum in terra reponit, animam suam terrenis mergit; qui vero per studium aeternae beatitudinis animam caelestibus applicat, cor habet in Deo defixum, iamque videtur in caelis conversari.

QUAESTIONES.

I. — *Quare de corvis specialem hic facit Iesus mentionem?*

Resp. Cum in Sermone in Monte Dominus generaliter dixisset: *Respicite volatilia caeli,* hic expresse solos corvos nominat, quod non est sine speciali ratione. Primo enim in Sacra Scriptura saepius commendatur divina Providentia, argumento sumpto a cura quam in pullos corvorum exercere videtur: sic ([1]): *Quis praeparat corvo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quod non habeat cibos?* Et in Psalmo legitur ([2]): *Qui dat iumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.* Ratio autem cur corvi potius quam cetera animalia in hoc respectu recenseantur, desumitur ex instinctu parentum prolem deserendi, mox ac volitare coeperit, etsi ea nondum loca reperire sciat, ubi de cibo sibi conveniente provideat. Inde fluit conclusio: si pullos avis tam vilis ac despicabilis, qualis corvus est, Deus non deserit, sed liberalis depascitur, quanto magis credendus est, eis, quos suos filios nominare non dedignatur, de vitae necessariis benigne provisurus?

II. — *Utrum exemplo hic a Salvatore proposito, de corvis quibus Dei providentia subvenit, adversetur Sapientis monitum* ([3]): VADE, AD FORMICAM, O PIGER?

Resp. Negative. Hoc enim monitum non ad omnes homines, sed solum ad pigros, inertes et otiosos formaliter dirigitur, quos Sapiens ad opus exstimulat, exemplo formicae; exemplum autem de corvo omnibus hominibus generaliter proponitur, cum indebita

([1]) Iob., XXXVIII, 41. — ([2]) CXLVI, 9. — ([3]) Prov., VI, 6.

sollicitudo, quam hic excludendam vult Dominus, in hominum genere valde late pateat, quos ita rerum suarum cura sollicitos facit, ut pene divinae erga se Providentiae obliviscantur.

III. — *Utrum, quod ait Christus de statura, intelligi possit de vitae longitudine?*

Resp. Licet utrumque verum sit, scilicet, non posse hominem addere, vel ad staturam suam unum cubitum, vel minimum tempus ad vitae longitudinem, cum graeca vox, ἡλικία, utrumque significet, scilicet, staturam et aetatem; tamen, probabilior et contextui conformior est secundus sensus, quo significatur nequaquam posse hominem vitae cursum uno cubito longiorem reddere: quod quidem hic a Christo specialiter respici videtur, cum hoc in multorum votis positum sit, ut vita sua semper ulterius producatur. Enimvero, hinc quidem additio cubiti unius ad staturam nostram dici nequit *minimum quid,* ἐλάχιστον; illinc vero, in more Scripturae est temporis longitudinem lineae comparare, ut in hoc ([1]): *Ecce mensurabiles posuisti dies meos:* ubi, in hebraeo, pro *mensurabiles,* legitur *palmares,* quasi palmae comparari debeant ([2]).

IV. — *Quid per pusillum gregem hic intelligitur?*

Resp. Per pusillum gregem nonnulli hic significatos volunt solos discipulos quos Dominus tunc alloquebatur; at rectius dicitur, intelligi totam electorum congregationem, cum ad omnes extendi debeant Christi ad discipulos verba. Cur autem gregem hunc Salvator pusillum nominet, pulcre exponit Ven. Beda ([3]): *Pusillum gregem electorum, vel ob comparationem maioris numeri reproborum, vel potius ob humilitatis devotionem nominat: quia videlicet Ecclesiam suam, quantalibet numerositate iam dilatatam, tamen usque ad finem mundi humilitate vult crescere, et ad promissum regnum humilitate pervenire.*

([1]) Ps. xxxix, 6. — ([2]) Cf. Sect. liii, n. 8. Vol. i, p. 327. — ([3]) L. iv in Luc., cap. 54, n. 12.

SECTIO CLXXXII.

(L. XII, 35-40).

Argumentum. — *Exemplo domini a nuptiis revertentis, docet Christus Dominus hominem semper debere esse paratum ad Filium hominis suscipiendum, cum nemo scit qua ora siat ille venturus.*

Ratio Sectionis. — Inchoatum de regno caelesti sermonem praesens historia e vestigio suscipit, qua monet Christus discipulos, quo pacto suum adventum exspectare, quo studio, qua vigilantia, se ad illum praeparare debeant: unde dubitandum non est, praesenti sermone praecedentem sermonem logice et chronologice continuari. Utique plura, quae hic parabolice dicuntur, a sanctis etiam Matthaeo et Marco alio loco recitantur *: at nihil officit quin dicatur Christus Dominus eadem, utpote summi momenti, bis protulisse **.

(*a*) SINT *lumbi vestri praecincti* [1], *et lucernae ardentes in manibus vestris* [2]; *et vos similes hominibus expe-*

(*a*) L. XII, 35-40.

[1] Desumitur haec figura ex Orientalium more, longas deferendi vestes, quas itinerantes, aut qui ministerio sunt addicti, cingulo sublevare solebant, ut expeditius ambularent vel ministrarent. Nos ergo vult Dominus semper paratos esse ad obsequium Deo praestandum, adventum eius fiducialiter exspectantes. Lumbi autem hic sumi possunt tum proprie, tum metaphorice: proprie, pro lumbis corporis, qui utpote sedes concupiscentiae refrenandi sunt per disciplinae rigorem ac temperantiae virtutem; metaphorice, pro intellectu et affectu, animae facultates quae praecingendae sunt spirituali cinctorio, scilicet assidua cordis custodia, et continua divinae Scripturae meditatione. Non semel autem Apostoli hoc Christi praeceptum inculcarunt: sic S. Paulus ([1]): *State ergo succincti lumbos vestros in veritate;* et S. Petrus ([2]): *Propter quod succincti lumbos mentis vestrae,* etc.

[2] Per lucernas intelliguntur discretio rationis in agendis et eruditio aliorum, verbo aut facto. Ardentes autem esse debent huiusmodi lucernae per caritatis fervorem; quia veritatis cognitio absque dilectione informis est. — In graeco textu desunt verba *in manibus vestris,* quae nec habent S. Ambrosius ([3]) et S. Gregorius, dum hanc sententiam ([4]) recitant.

* Cf. Matth., XXIV, 42-44; Marc., XIII, 33-37. — ** Cf. infra, Sect. CCLXIII.

([1]) Eph., VI, 14. — ([2]) I Ep., I, 13. — ([3]) In Luc., h. l. — ([4]) L. XXVIII Moral., c. 4; l. XXII, c. 4.

ctantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis, ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei [3]. *Beati servi illi, quos cum venerit dominus invenerit vigilantes* [4]: *amen dico vobis, quod praecinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis* [5]. *Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi* [6]. *Hoc autem scitote, quoniam si sciret pater familias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam* [7]. *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet* [8].

[3] Sicut boni servi diligenter ac patienter praestolantur reditum eorum domini, semper parati ad ostium ei aperiendum; ita et vos, cum omni diligentia ac patientia, meum exspectate adventum, qui erit in hora mortis vestrae, ut me iudicem securi ac hilares suscipiatis.

[4] Mos olim erat nuptias sub vespere celebrare; quocirca nocte ponitur reditus domini, ad quem condigne suscipiendum, et servos vigiles esse oportet et lucernas accendi. Igitur, non pigros aut somnolentos, sed in divino obsequio diligentes ac perseverantes, vult nos Dominus esse, paratus congruam nobis mercedem rependere, in plena caelestis felicitatis fruitione, quae consistit in visione faciali divinae essentiae.

[5] Ministratio, hic posita, non est ministratio obsequii aut subiectionis, sed suffragii et caritatis, ut quando pater filiis ministrat expensas, aut Angeli sancti nobis miseris peccatoribus subveniunt, licet sint domini ac principes nostri.

[6] Vigilantes in moeniis civitatum aut castris, noctem in quatuor vigilias dividere consueverunt, ut sibi invicem in vigilando succederent. Nos igitur admonet Dominus ut semper vigilantes, illius adventum in vitae sanctitate praestolemur.

[7] Exemplo patrisfamilias, indesinenter vigilantis ne domus sua a fure perfodiatur, hortatur nos Dominus ut iugiter in caritate permaneamus, ne mors imparatos nos adinveniat. — *Scitote,* γινώσκετε, verti etiam potest, *scitis.* — *Perfodi,* διορυγῆναι. Hebraeorum domibus saepe muri erant ex creta, qui proinde facile poterant perfodi.

[8] Haud obscure protestatur Dominus, se venturum esse ut furem: sic expresse ait ([1]): *Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem eius* ([2]). Notandum vero, recte dici Filium hominis venire, quotiescumque aliquis moritur, cum tunc omnis anima ante eius tribunal sistatur.

([1]) Apoc., xvi, 15. — ([2]) Cf. Ibid., iii, 3.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum, in eo quod dicitur:* SINT LUMBI VESTRI PRAECINCTI, *castitatis virtus specialiter commendetur?*

Resp. Affirmative: etsi enim, ex indole metaphorae, mentis impigritas ad laborem et promptitudo ad omne opus bonum primo significentur, cum tamen maximum huic rei impedimentum luxuria paret, ideo mentis et corporis integritas, secundario et velut ex consequenti, a Domino commendatur.

II. — *Quonam sensu intelligendum est id quod dicitur, Christum venire a nuptiis?*

Resp. Prima facie dicendum videretur, verba haec intelligenda esse, non de propriis Christi nuptiis, quas ipsemet celebrasset, cum nuptiae in domo sponsi haberi solerent, sed de alienis nuptiis, ad quas fuerat invitatus. At, cum de parabola hic agatur, non sunt omnia in ea contenta tam formaliter intelligenda: ideoque melius dicitur Christus venire a propriis nuptiis, quas in caelo cum Ecclesia triumphante contraxit, eam, tanquam plene illibatam ac dilectissimam sponsam, sibi perfecta unione copulans. Et quidem, ab his nuptiis reverti dicitur Christus, non quasi illis finis utcumque imponatur; sed quatenus, a loco illius purissimae voluptatis, ad hunc mundum, homines indicaturus, venit.

III. — *Cum quatuor noctis vigilias distinguerent Iudaei, cur nec de prima, nec de quarta fit mentio?*

Resp. Dicunt aliqui, primam vigiliam omitti, quia eo tempore nuptiale convivium instrui solebat; at melius dicitur, de ea sermonem esse in prima parte parabolae, ut infertur ex subsequentibus verbis: *Et si venerit in secunda vigilia.* De quarta autem vigilia mentio non fit, quia non decuerit dominum differre reditum suum a nuptiis ultra tertiam vigiliam. Attamen, rectius advertitur, in hac, sicut in omnibus parabolis, attendendum esse ad scopum Christi, qui in praesenti fuit ut nobis inculcaret necessitatem perseverantiae in vigilando, ne taedio morae affecti, in lethalem torporem incidamus: ad quod sat erat ut de secunda et tertia vigilia mentio fieret.

IV. — *Quare diem adventus sui Christus comparat adventui furis?*

Resp. Primo, ut nos doceat hunc adventum fore omnino incertum: sic quippe tunc conantur fures in domum penetrare, cum

sciunt incolas alto somno mergi et eorum incursum minime suspicari; secundo, ut ostendat quale detrimentum illi pati debeant, quos impraeparatos eius adventus repererit, quo modo damnum patiuntur, quorum domus a furibus diripiuntur.

V. — *Quare nos celavit Dominus horam mortis nostrae atque extremi iudicii?*

Resp. Dominus horam mortis et extremi iudicii nos celare voluit, ut diligentius ac indesinentius ad eius adventum nos praeparemus: quo enim praefinitum tempus minus cognoscimus, eo magis timere possumus, ne nos impraeparatos Dominus inveniat. Unde et Seneca haec sapienter edixit: *Quoniam diem mortis nescimus, quilibet vitae nostrae dies ordinandus est tanquam ultimus dies.* Hoc quidem secundum legem communem: nam quibusdam Sanctis, ex singulari Dei gratia, dies mortis per revelationem manifestatus est (1).

(1) Cf. infra, Sect. CCLXIV, Quaest. II.

SECTIO CLXXXIII.

(L. XII, 41-48).

Argumentum. — *Christus, distinctione instituta inter servum fidelem et infidelem, diversum concludit futurum esse iudicium inter unum et alterum.*

Ratio Sectionis. — Ex verbis, quibus huic Sectioni initium datur, aperte colligitur chronologica continuatio historiae: huc vero praecise ordinatur praesens documentum, ut admoneamur quonam differant novissima hominis iusti et iniusti. Porro, Petri quaestionem solus S. Lucas refert; Christi autem responsio, usque ad verba: *Cum infidelibus ponet,* fere ad textum invenitur penes S. Matthaeum *.

(*a*) Dixit autem ei Petrus: *Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes* [1]? Dixit autem Dominus: *Quis, putas, est fidelis dispensator, et prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram* [2]? *Beatus ille servus, quem cum venerit do-*

(*a*) L. XII, 41-48.

[1] Petrus, cui iam commissa fuerat Ecclesia, quasi omnium curam gerens, inquirit an ad omnes Dominus praeinductam parabolam protulerit. Dubitandi autem ratio ex eo ducebatur, quod, hinc quidem Christus ultima verba ad discipulos suos converterat (1); illinc vero Apostolos non consueverat in parabolis erudire.

[2] Petri quaestioni Dominus directe non respondet, sed implicite declarat praefatam parabolam omnes quidem respicere; ad discipulos tamen suos speciaLiter pertinere, quos dispensatores constituerat spiritualis alimoniae, in praedicatione verbi, in virtutis exemplo, in sacramentis salutis. — *Super familiam suam*, graece ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ, id est, *super famulitium suum.* — *Tritici mensuram*, τὸ σιτομέτριον, id quod unicuique servorum mensuratur. — Notanda sunt duo adiectiva hic posita, scilicet, *fidelis*, et *prudens*: ille quidem est fidelis servus, qui heri voluntatem accurate exequitur; prudens vero, qui ra-

* XXIV, 45-51.

(1) Sect. CLXXXI, p. 500.

minus, invenerit ita facientem. Vere dico vobis, quoniam supra omnia quae possidet, constituet illum [3]. *Quod si dixerit servus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus venire, et coeperit percutere servos et ancillas, et edere, et bibere, et inebriari* [4]: *veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit, et dividet eum, partemque eius cum infidelibus ponet* [5]. *Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non praeparavit, et non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis; qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis* [6]. *Omni autem cui multum*

tionem habet personarum, temporis, locorum, etc. — Non immerito hic a quibusdam allusio facta videtur ad Romanorum morem quaternos frumenti modios quolibet mense singulis servis admetiendi.

[3] Solent domini temporales fidelium famulorum obsequia praemiari, illos totius domus et omnium bonorum oeconomos constituendo. Plus autem facit Deus, qui sibi fideliter servientibus non solum tradit omnia quae possidet, verum etiam seipsum dat in mercedem, iuxta illud ([1]): *Ero... merces tua magna nimis* ([2]).

[4] Ex quo videtur protrahi Christi adventus qui est vel per mortem pro unoquoque, vel per iudicium finale pro omnibus, homines frequenter sibi illudunt, seque perinde gerunt ac si aeternaliter essent in hac vita mansuri. Homo sic excaecatus facile fit crudelis in inferiores, atque carnalitati vacat, quae hominem dementem reddit.

[5] Per repentinum Christi adventum, duplex effectus in servum malignum inducitur: primo, ille irreparabiliter excluditur a consortio Sanctorum et a gratia Spiritus Sancti; secundo, cum infidelibus damnatur. — *Moram facit dominus meus venire:* in hoc videtur indicata praesumptio in peccando: qua sibi homines persuadent, post vitam in sceleribus ductam, posse se agere poenitentiam: ideoque Dei longanimitate abutuntur. — *Dividet eum*, διχοτομήσει αὐτόν, id est, *in duas partes dissecabit*, similitudine desumpta ex tyranno, qui infidelem servum, absque ulteriori processu, trucidandum iubet. — Infidelium autem pars in Apocalypsi describitur: haec scilicet est stagnum ignis ardentis et sulphuris ([3]). Apud S. Matthaeum ([4]), pro *infidelibus*, est *hypocritis*: enimvero, de hypocrisi saepius Dominus noster Iudaeos reprehendit.

[6] Eruditi, sed vitiosi, qui ad bene agendum non se disponunt, et Dei imperio minime obediunt,

([1]) Gen., xv, 1. — ([2]) Cf. Luc., xxii, 29, 30. — ([3]) Apoc., xxi, 8. — ([4]) xxiv, 51.

datum est, multum quaeretur ab eo; et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo [7].

pluribus et gravioribus punientur suppliciis: nam, ubi maius scientiae donum est, ibi maiori culpae subiacet transgressor; minoribus autem subiacebit poenis, utpote saltem in parte excusabilis, cui peccanti tam abundans scientia defuerit ([1]). — Cum dicat Dominus: *Qui non cognovit, et fecit digna plagis*, supponi hic debet servus cognovisse se male agere: ideoque videtur Christus respicere ad differentiam cognitionis ex revelatione, et ex ratione naturali: nempe cum lux illa longe maior et potior sit quam ista, hinc prioris culpa gravior evadit eiusque poena severior.

[7] Quanto plura beneficia Deus homini largitus fuerit, sive naturae, sive gratiae, tanto districtiorem ab eo exiget rationem; pariter, cui maior animarum cura commissa est, plus ab eo requiretur. Unumquemque igitur tanto oportet esse Deo subiectiorem, atque de divino iudicio amplius timoratum, quanto plura desuper sortitus est dona, et maior animarum copia ei commissa manet. — Notandum est, in ultimo membro, adverbium *plus*, περισσότερον, quo evidenter alluditur lucro quod de traditis talentis Dominus fieri iubet: quo etiam sensu intelligendum est ly *multum*, in parallelo praecedenti membro positum.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum Christi verba:* DOMINE, AD NOS DICIS HANC PARABOLAM, AN AD OMNES, *referenda sint ad parabolam immediate praemissam, an ad documenta vitae caelestis superius posita, scilicet* ([2]): VENDITE QUAE POSSIDETIS, *etc.?*

Resp. Venerabilis Beda et quidam illum sequentes affirmant Petri quaestionem ad precedentem parabolam non referri, sed ad subtilia illa vitae caelestis instituta, a Salvatore proposita, quando ait: *Vendite quae possidetis: facite vobis sacculos*, etc. — At magis videtur dicendum, secundum seriem textus, Petrum de parabola immediate praehabita Dominum sciscitatum fuisse, cuius praesens sermo non est nisi explicitior declaratio: aliunde superiora illa verba non videntur parabolam continere, quamvis nonnulla ibi metaphorice dicta proponantur.

II. — *Utrum verba:* BEATUS ILLE SERVUS, *etc., a Domino nostro dicta sint de S. Petro?*

Resp. Ita censent nonnulli, propterea quod ipsemet Iesum

([1]) Cf. Rom., II, 12, seq. — ([2]) Luc., XII, 23.

interrogaverit, qui illi claves regni caelorum, quibus eum super domum suam constituabat, iam tradiderat. At melius dicitur Christi verbis generalem inesse applicationem, ut ex eius scopo eruitur, qui erat dispensatorem fidelem et prudentem commendare: aliunde, nondum erat Petro spiritualis familia, cui Christi bona distribueret.

III. — *Quo pacto potest dici omnis fidelis et prudens christianus dispensator constitutus super familiam Domini?*

Resp. Imprimis, omnis homo rite vocari potest Dei dispensator, cum bona multiplicia administranda ab eo acceperit: cuiusmodi sunt naturales facultates, dona supernaturalia, sanitatem, opes, tempus, etc., quibus sibi et aliis prodesse potest. Quod si iis bene usus fuerit, merito dici potest constitui supra Dei familiam, quatenus, primo, bono exemplo alios ad virtutem trahit; secundo, meritis suis ditat Ecclesiam; tertio, vim habet et efficaciam aliis bona a divina largitate impetrandi.

IV. — *Quomodo ignorantia excusat a peccato?*

Resp. Duplex est ignorantia, scilicet facti et iuris. Ignorantia autem facti iterum duplex est: interdum adhibetur debita diligentia, et tunc ignorantia excusat a toto, ut patet de concubitu Iacob cum Lia (1); interdum vero non adhibetur diligentia debita: et tunc excusat a tanto, non a toto, ut patet in homicidio quo Lamech occidit Cain, putans eum esse bestiam (2). Ignorantia iuris pariter duplex est: scilicet vincibilis, et invincibilis. Rursus, ignorantia vincibilis duplex est: quaedam est affectata, quae a nullo excusat, neque a toto, neque a tanto: ut dum quis non vult aut spernit ius scire, quo peccet liberius; quaedam vero est non affectata, quae excusat a tanto. Ignorantia quoque invincibilis duplex est: quaedam enim accidit sine culpa, sicut dum homo operam dando rei licitae, efficitur furiosus: et haec excusat a toto; alia accidit ex culpa: unde de hac ignorantia aliqui dicunt, quod excusat a tanto (3).

(1) Gen., xxix, 21, seq. — (2) Ibid., iv, 23. — (3) Dion. Cartus., in h. l., ad litt.

SECTIO CLXXXIV.

(L. XII, 49-53).

Argumentum. — *Complet Dominus sermonem de regno caelesti in terra, quod est Ecclesia, testatus se baptismo habere baptizari, atque non pacem, sed separationem venisse dare in terram.*

Ratio Sectionis. — Cum Iesus de vita aeterna ampla documenta tradidisset, totus nunc est in ostendendo quomodo praeinducta sua praecepta aut consilia potius ex amore quam poenarum timore sint adimplenda : cum multo perfectius sit omittere mala et agere bona ex iustitiae zelo, quam ex terrore suppliciorum. Igitur, per verba hic posita, perstringit Salvator summam de regno caelorum, quod est Ecclesia, rationem : quae est, ut sicut ipse non in voluptatibus, sed in summis doloribus vitam pertransivit, ita et fideles sui, per bella et persecutiones, perveniant ad aeternam felicitatem. Secundae huius Sectionis parti parallelum est quod in S. Matthaeo legitur, capite X *.

(*a*) IGNEM *veni mittere in terram; et quid volo nisi ut accendatur* [1] ? *Baptismo* [1] *autem habeo baptizari; et*

(*a*) L. XII, 49-53.

[1] En totus Incarnationis scopus : caritate, ceu igne consumente ([1]), hominum peccata delere, iuxta illud ([2]) : *Ipse quasi ignis conflans, et sedebit conflans et emundans argentum et purgavit filios Levi;* item, flammam divini amoris in cordibus hominum accendere : hoc autem fecit Christus, tum flagrantis Cordis sui amoris, quo pulsus mortem pro nobis pati dignatus est, exhibitione ; tum evangelicae legis, quae lex est caritatis, promulgatione ; tum Spiritus Sancti, post suam Ascensionem, in fideles missione. — Tertulliano ([3]) videtur, ignem hic accipi pro persecutionum ardore et impetu, quas suo adventu Christus in mundo accendit : qui quidem sensus cum consequentibus plane

* 34-35. Cf. supra, Sect. CX, p. 137.

([1]) Deut., IX, 3. — ([2]) Mal., III, 2, 3. — ([3]) Contra Marc., IV, 29.

quomodo coarctor usquedum perficiatur [2]? *Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, sed separationem* [3]. *Erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duos, et duo in tres dividentur* [4]: *pater in filium, et filius*

cohaeret, ubi dicitur: *Putatis, quia pacem veni dare in terram?* — Pro eo quod in Vulgata legitur: *Quid volo nisi ut accendatur*, in graeco est, τί θέλω εἰ ἤδη ἀνήφθη; id est, *quid volo, si iam accensus est?* Porro, cum particula εἰ interdum *utinam* significat, ut in hoc ([1]): *Si cognovisses et tu*, sensus reddi potest: utinam iamiam ille ignis accendatur: qui sensus cohaeret cum iis quae immediate subsequuntur.

[2] Antequam ignis, de quo loquor, accendatur, iuxta divinam praeordinationem, proprio debeo cruore perfundi: qua cogitatione intimo dolore continuo afficior: iugi enim memoria futurae passionis suae angebatur Christi anima. Simul autem ardenti desiderio tenebatur dulcissimum Cor Iesu maturandae illius passionis, ob ardentem dilectionem qua tum in Patrem, tum in genus humanum flagrabat. Tanta quippe fuit Christi Domini caritas, ut vehementi teneretur citius patiendi desiderio, cum illius caritatis ardor nonnisi per passionem esset explendus. *Contendunt passio et caritas,* ait S. Bernardus ([2]): *illa, ut plus ardeat; ista, ut plus rubeat* ([3]). — *Coarctor,* graece, συνέχομαι, *constringor, vexor* aut *affligor.*

[3] Duplex est pax: interna, quae est quies mentis in Deo, seu ordinata concordia, quam Dominus discipulis suis reliquit ([4]); externa, quae est falsa impiorum pax, de qua ait Psaltes ([5]): *Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Prior, quae vocatur pax pectoris, et est incohatio et praegustatio quaedam pacis Sanctorum in patria, haberi nequit, nisi cum iactura pacis peccatorum; et ideo protestatur Dominus, se non hanc pacem venisse dare in terram: unde iam dixerat Christus ([6]): *Non veni pacem mittere, sed gladium*: regnum enim eius esse debet, usque in finem saeculorum, signum cui contradicetur. Princeps pacis nequit praevalere, nisi praevio bello.

[4] Verbum hoc, *dividentur*, rectius videtur ad praecedentia, quam ad subsequentia pertinere, licet in Vulgata, initio versiculi 53 positum, magis ad subsequentia referri videatur. Coniiciunt quidam legendum esse numero singolari *dividetur.*

([1]) Luc., XIX, 42. — ([2]) L. de Pass. Dom., cap. 41. — ([3]) Cf. infra, XXII, 15, 42. — ([4]) Io., XIV, 27. — ([5]) Ps. LXXII, 3. — ([6]) Matth., X, 34.

in patrem suum; mater in filiam, et filia in matrem; socrus in nurum suam, et nurus in socrum suam [5].

[5] Ob Christi amorem et adhaesionem legi evangelicae, divisiones habebuntur in familiis: filius potius volens adhaerere Deo quam homini vitioso, quantumcumque propinquo, ab eo separabitur; sic filia quoque a matre dividetur: in electis enim gratia praevalebit naturae, et amor spiritualis amori carnali dominabitur. — Notandum, in graeco, *in patrem*, legi ἐπὶ πατρί; *in filiam* vero ἐπὶ θυγατέρα: qua casus differentia censeri potest expressus excessus odii muliebris supra odium virile.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum per ignem significari hic possit simul caritas Spiritus Sancti, et impetus persecutionum?*

Resp. Affirmative: sic tamen, ut in primo et principaliori sensu significetur Spiritus Sancti caritas, et in secundario impetus persecutionum, quatenus hae scilicet ex lege Christi et ardore pietatis, indirecte, originem ducunt. Nec hoc inconvenit ut dicatur, cum sub una littera Scripturae plures sensus, et quidem litterales, utique coordinati, contineri possint (1).

II. — *Quare caritatem Christus sub specie ignis significari voluit?*

Resp. Caritas apte sub ignis specie designatur, eo quod per ignis proprietates maxime cognoscitur: sicut enim ignis aerem illuminat, lignum inflammat, metalla liquefacit simul et consolidat, sordes destruit, ac undequaque se dilatat; ita caritas mentem hominis illustratione perfundit, cor ad bonum omne peragendum excitat, voluntatem emollit ac simul in bono proposito roborat, peccatorum maculas abluit, ac sese quaquaversus mirifice propagat.

III. — *Quotuplex distinguitur baptismus?*

Resp. Primo distinguitur baptismus proprie dictus a baptismo improprie accepto. Et ille quidem, qui ad peccatum originale delendum est ordinatum, alius est fluminis, alius flaminis, alius sanguinis (2). Alius vero, seu improprie vel metaphorice acceptus, est ardor tribulationis, qualem martyres patiuntur; et de huiusmodi baptismo hic loquitur Dominus noster.

(1) Cf. tr. DE DEO UNO, P. I, Quaest. I, art. I, n. 8, p. 100. — (2) Cfr. tr. DE BAPTISMO, Quaest. LXVI, art. 12, n. 2, p. 86.

IV. — *Utrum in verbis :* QUOMODO COARCTOR, *etc., exprimatur ingens Christi patiendi desiderium ?*

Resp. Affirmative. Esto enim verbum συνέχομαι proprie significet sensum angustiae et afflictionis, tamen, cum ex ingenti desiderio, nondum expleto, anima hominis magnoque affligatur, iuxta illud (1): *Spes quae differtur affligit animam,* ideo verbis praedictis significatur etiam ardentissimum desiderium, quo Iesus ad subeundam passionem impellebatur.

V. — *Cur, ubi de familiarum separatione agit Dominus, ait quinque in domo una esse divisos, et tamen, sex revera ab eo personae exprimuntur ?*

Resp. Cum realiter eadem persona sit mater filii et socrus uxoris filii, et similiter, filia possit esse etiam nurus, secundum veritatem non sex revera a Christo personae recensentur, sed tantummodo quinque, quo modo et apud S. Matthaeum computari debent (2).

(1) Prov., XIII, 12. — (2) Matth., X, 35.

SECTIO CLXXXV.

(L. XII, 54-59).

Argumentum. — *Claudit Dominus orationem suam, monens turbas, quomodo tempus gratiae sit diiudicandum, et docens qualiter conari quisque debeat ut se ab adversariis liberet.*

Ratio Sectionis. — Hic est finis discursus quem habuit Dominus, cum turbae multae illum circumstarent *, cuius quidem maiorem partem ad dilectos discipulos direxit, licet eius verba turbae etiam audire potuerint. — Notandum, quae hic dicuntur de signis temporum, confundi minime debere cum eis quae de eodem argumento habet S. Matthaeus **: siquidem, in primo Evangelio, color caeli assignatur tanquam signum bonae vel malae temperiei, et sermo Domini dirigitur ad pharisaeos et sadducaeos; hic autem signa sunt nubes et ventus, et verba sua Christus ad turbas facit. Pariter, alia est huius S. Lucae capitis ultima pericope, a simili pericope, qualis recurrit in Sermone in Monte ***: quandoquidem diversae sunt circumstantiae, quibus illa et ista prolatae referuntur.

(*a*) DICEBAT autem et ad turbas: *Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbus venit; et ita fit. Et cum austrum flantem, dicitis: Quia aestus erit; et fit* [1]. *Hypocritae, faciem caeli et terrae nostis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis* [2]? *Quid autem et a vo-*

(*a*) L. XII, 54-59.

[1] *Ab occasu,* ἐπὶ δυσμῶν, id est, respectu Hebraeorum, a regione maritima, seu a mari (1). — Pro *nimbus,* graece est ὄμβρος, quod est *imber, pluvia.* — Pro Iudaeis, nubes ab occasu surgens demonstrat vapores aqueos e mari mediterraneo solis virtute formatos et mox in pluviam, ut plurimum, resolvendos. Auster, a plaga meridionali flans, eisdem Hebraeis, per siccas et calidas regiones involat. — *Aestus,* καύσων, quo nomine etiam vocatur eurus.

[2] Reprehensionem hanc, quam antea pharisaeis et sadducaeis fecerat Dominus (2), nunc ad turbas generaliter dirigit, nec abs re hic denuo ponitur: cum

* Vide supra, Sect. CLXXIX. — ** XVI, 2-4. — *** Matth., V, 25, 26. Vol. I, Sect. XLVII, n. II, p. 296.

(1) Cf. 3 Reg., XVIII, 44. — (2) Matth., XVI, 1. seq.

bis ipsis non iudicatis quod iustum est [3] ? *Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad iudicem, et iudex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem* [4]. *Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas* [5].

enim de fine sui in mundum adventus disseruisset Iesus, ad turbas nunc se convertit, inter quas erant et pharisaei, quos hypocritas merito vocat. Cum enim nossent aeris tempestatem, visis quibusdam exterioribus signis, discernere, Messiae tamen adventum, tam clare in prophetis promissi, ignorare minime debuissent. — *Probare* hic est δοκιμάζειν, quasi *explorare*.

[3] Ex his verbis clare patet, naturaliter homini inesse vim iudicatoriam, vel discretivam, quae veritatis criterium interdum appellatur, et consistit, generaliter loquendo, in recto et legitimo usu facultatum naturalium, sub recto rationis dictamine, utique non sine divinae gratiae adiutorio, quae nemini unquam denegatur. Enimvero, nequit homo, rationem sequens et gratiae non contradicens, ad veritatis cognitionem non pervenire. — *Non iudicatis,* οὐ κρίνετε, quod est, *non discernitis.* — *Quod iustum est,* τὸ δίκαιον, in subiecta materia, significat poenitentiae opera, quibus homines Messiae adventum suscipere debebant.

[4] Magis obvia et communior interpretatio est, qua per adversarium hic intelligitur conscientia hominis christiani, aut etiam lex Christi, cum secundum utramque iudicari debeamus ; princeps autem, vel ut in graeco habetur, *magistratus,* ἐπ᾽ ἄρχοντα, est Deus ipse ; iudex est Filius hominis ; denique exactor est diabolus, qui minister est divinae iustitiae. Sensus ergo est : Cum adhuc in hac vita mortali versaris, et examine instituto, deprehendis conscientiam tibi aliquid remordere, festina eius dictamini acquiescere, ac ab eius accusatione liberari, cum praesens tempus, tempus sit poenitentiae et misericordiae : secus compelleris, accusante te ante iudicem Christum diabolo, poenas in inferno aeternaliter dare. — *Da operam,* graece, more tamen latinorum, δὸς ἐργασίαν, quod est, *satage.* Attamen, cum nomen hoc significet etiam quaestum qui fit ex opificio, alii interpretantur : de adversario unde quaestum ille faciat, quatenus te sic ab omni vexatione liberes.

[5] *Novissimum minutum,* τὸ ἔσχατον λεπτόν, cum tamen apud S. Matthaeum ([1]) legatur *novissimum quadrantem :* porro continebat quadrans duo minuta ([2]). Sensus autem idem est, scilicet pro minimo quoque debito vel peccato, satisfaciendum esse ad rigorem iustitiae ([3]).

([1]) v, 26. ([2]) Cf. Marc., xii, 42. — ([3]) Ibid.

QUAESTIONES.

I. — *Quomodo connectitur praesens Sectio cum praecedentibus?*

Resp. Negant plures aliquam adesse connexionem inter ea quae hic traduntur et praecedentia: unde huic Christi sermoni nullum fixum locum assignant; at melius dicitur rite haec praecedentibus subnecti, hoc pacto quod, cum Dominus antea homines ad vigilandum excitasset (1) et servi infidelis sortes descripsisset (2), nunc et negligentiam arguit et Iudaeis viam ostendit mala evadendi quae Salvator fuerat minitatus.

II. — *Utrum Iudaei certo scire potuerint tempus adventus Messiae?*

Resp. Affirmative, cum omnes scire potuerint sceptrum a Iuda ablatum fuisse, atque omnibus etiam comperta esse quiverit Danielis prophetia de septuaginta hebdomadibus (3), omnes quoque videre vel saltem cognoscere valuerint testimonia Ioannis, necnon stupenda miracula quae Salvator quotidie edebat ad suam comprobandam missionem, et quae sufficiebant ut de illius missione certiores omnino redderentur. Sed nec silenda communis illa exspectatio Messiae, quae tempore illo vigebat: unde nec mirari debebant, audientes sibi frequenter dictum: *Appropinquavit in vos regnum Dei* (4).

III. — *Quomodo Iudaei, ex seipsis, iudicare potuissent quod iustum est?*

Resp. His verbis, non excludit Dominus divinae gratiae auxilium, sine qua nequit homo quidquam facere, quo ad vitam aeternam perveniat; sed significat potuisse Iudaeos, dummodo conscientiae dictamini obsecundassent, adiuvante gratia Dei, in notitiam et fidem devenire eorum quae ipsemet annuntiabat.

IV. — *Quo sensu accipiendum est id quod dicitur:* DONEC ETIAM NOVISSIMUM MINUTUM REDDAS?

Resp. Si agatur de peccato mortali, particula *donec* accipitur sensu exclusivo, sicut cum dicitur: Hic non recessit a suo errore, donec obiit; aut (5): *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri:* nunquam enim plenarie debitum peccati mortalis persolvetur, cum poena aeterna eidem directe debeatur. Si vero agatur de solo peccato veniali, particula *donec* accipi debet sensu inclusivo, cum venialibus peccatis non debeatur per se poena aeterna, sed tantum ratione adiuncti, id est, peccati mortalis sibi adnexi.

(1) Sect. CLXXXII, p. 505. — (2) Sect. CLXXXIII, p. 509. — (3) Cf. tract. DE INCARNATIONE VERBI, Vol. I, Append. ad Quaest. I, § VI, pp. 69, seq. — (4) Cf. Matth., III, 2; IV, 17; X, 7; Marc., I, 15; Luc., X, 11, etc. — (5) Ps. CXXII, 2.

SECTIO CLXXXVI.

(L. XIII, 1-9).

Argumentum. — *Ex adstantibus quidam nuntiant Iesu de occisione quorumdam Galilaeorum ; qua sumpta occasione, Iudaeos Dominus instruit de poenitentiae necessitate, doctrinam suam confirmans parabola de ficu infructuosa.*

Ratio Sectionis. — Cum praesentem historiam Evangelista S. Lucas anteactae narrationi subnectat verbis, *ipso in tempore,* nemini fas est aliam eidem sedem constituere, maxime cum adsit et logica sequela : siquidem, cum Salvator, in praecedentibus Sectionibus, fecisset de poenis peccatorum mentionem, hinc rationabiliter infertur, eos qui anteactum sermonem audierant. praesentem eventum statim recolentes, illum Iesu retulisse.— Continet autem narratio praesens triplicem exhortationem ad poenitentiam : primam, quae fundatur in misera sorte aliquorum Galilaeorum ; secundam, in casu turris Siloe et occisionis decem et octo hominum ; tertiam, in sterilitate ficulneae.

(*a*) ADERANT autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilaeis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum [1]. Et respondens dixit illi : *Putatis quod hi Galilaei prae omnibus Galilaeis peccatores fuerint quia talia passi sunt* [2] ? *Non, dico vobis ; sed nisi poeniten-*

(*a*) L. XIII, 1-9.

[1] Adstantes narrant Christo de caede illorum Galilaeorum, ut eius de hac re sententiam exquirant ; Dominus vero, huiusmodi cladis occasione sapienter usus, argumentum ex ea desumit, auditores suos ad poenitentiam exstimulandi, ne alioquin iram Dei in se similiter desaevire persentiant. De huiusmodi caede, utpote re nova et nondum audita, frequens recurrebat in populo sermo. — Quod dicitur, Pilatum miscuisse illorum Galilaeorum sanguinem cum sacrificiis eorum, non videtur intelligendum quasi actu eorum sanguinem miscuerit cum sanguine sacrificiorum ; sed quod loco et tempore, quibus illi sacrificabant, occisi fuerint.

[2] Existimabant plerique, Galilaeos illos prae ceteris sceleratos ac Deo invisos fuisse, cum tanta eis poena contigisset. Iudicabant isti, sicut olim amici Iob, adversas res semper esse poe-

tiam habueritis, omnes similiter peribitis [3]. *Sicut illi decem et octo, supra quos cecidit turris in Siloe, et occidit eos; putatis quia et ipsi debitores fuerint praeter omnes habitantes in Ierusalem* [4]? *Non, dico vobis; sed si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis* [5]. Dicebat autem et hanc similitudinem: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quaerens fructum in illa, et non invenit* [6]. *Dixit autem ad cultorem vineae: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quaerens fructum in ficulnea hac, et non invenio* [7]:

nam condignam peccatorum ([1]): quae etiam videtur fuisse sententia discipulorum ([2]).

[3] Tria hic praestat Christus Dominus: primo, vulgi errorem corrigit, existimantis omnes huius vitae poenas ex peccato praecedenti oriri, et huius gravitatem ex illarum acerbitate pensandam esse; secundo, poenitentiae necessitatem pro omnibus hominibus inculcat; tertio, declarat, hac absente, omnes similiter perituros: quod adverbium *similiter*, non ad idem mortis genus designandum ponitur, cum non omnes qui poenitentiam non egerint, talia passuri sint, sed significat omnes impoenitentes male perituros, poenas, scilicet vel temporales, vel certo aeternas, daturos.

[4] Siloe fons erat, prope Hierusalem ([3]), ad australem urbis partem situs, in loco ubi vallis Tyropoeon cum valle Cedron congreditur. Porro, iuxta fontem hunc turris aedificata fuerat, quae Christi tempore terraemotu vel ventorum vi corruit et sua ruina octodecim homines oppressit. De hoc eventu nihil, praeter id quod hic legitur, innotescit.

[5] Punitur quidem quisque ob propria crimina; Deus enim peccatum inultum ire non patitur; hoc tamen fit aliis salutis materia, scilicet, ut *pestilente flagellato, stultus sapientior fiat* ([4]). Ex hoc quoque eruitur, ea quae casualiter evenire videntur, nutu et moderamine divinae Providentiae regi in salutem vel in poenam hominum.

[6] Sumitur haec parabola a consuetudine in calidis regionibus vigente arbores fici mediis in vineis plantandi: ad quam consuetudinem refertur id quod legitur in tertio libro Regum ([5]): *Habitabatque Iuda et Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua et sub ficu sua, a Dan usque Bersabee.* Ex prophetis accipimus, in ficulnea designari populum Dei ([6]).

[7] Alluditur ad naturam ficus, quae tertio tantum anno a quo plantata est, fructum ferre solet; quod si tunc fructus nondum pro-

([1]) Iob, IV, 7. — ([2]) Io., IX, 2. — ([3]) Is., VIII, 6. — ([4]) Prov., XIX, 25. ([5]) IV, 25. — ([6]) Ier., XXIV, 1; Os., IX, 10.

succide ergo illam; ut quid etiam terram occupat [8]? *At ille respondens, dicit illi: Domine, dimitte illam et hoc anno, usquedum fodiam circa illam, et mittam stercora* [9]; *et si quidem fecerit fructum* [10]: *sin autem, in futurum succides eam* [11].

ferat, censenda erit nunquam prolatura. — Notandum, in pluribus codicibus, deesse illud *ex quo*, ἀφ' οὗ: unde sensus esset: tres iam anni sunt ex quo arbor plantata est et iam fructum ferre deberet; venio ergo quaesitum in ea fructum. At cum in melioribus codicibus habeatur illud *ex quo*, dicendum videtur, voluisse Dominum nostrum Dei longanimitatem inculcare, qui non semel aut bis, sed usque ter, ad fructum quaerendum venisse perhibetur.

[8] Graece legitur τὴν γῆν καταργεῖ, quod est, terram inutili onere premit, ac inertem reddit et sterilem, tum umbra sua, tum radicibus quibus succum terrae vicinis vitibus praeripit.

[9] *Circumfossio arboris*, ait S. Augustinus ([1]), *est humilitas poenitentis. Omnis enim fossa humilis. Cophinus stercoris, sordes poenitentiae. Quid enim stercore sordidius? Et tamen, si bene utaris, quid fructuosius?* Vult igitur pius hortulanus cuncta opportuna media maiori, qua fieri potest, cura adhibere.

[10] Supple: *Bene erit, et salvabitur.* Est figura aposiopesis. — In graeco, his verbis coniunguntur subsequentia verba, *in futurum*, εἰς τὸ μέλλον, ita ut completus sensus sit: *Si quidem fecerit fructum in futurum, bene quidem; sin autem, succides eam.*

[11] Facilis est parabolae huius applicatio, et quidem duplex: primo, secundum allegoriam, pro tota Hebraeorum gente; secundo, moraliter seu tropologice, pro omnibus hominibus, vel singillatim vel collectim acceptis.

QUAESTIONES.

I. — *Quinam fuere Galilaei illi, quos Pilatus ita severe punivit?*

Resp. Probabiliter dici potest Galilaeos illos fuisse sequaces illius Iudae Galilaei, cuius mentio fit in Actibus Apostolorum ([2]), qui sub Christi tempora, rebellem se Caesari ideo exhibuit, quod existimaret non licere populum veri Dei cultui addictum homini gentili subesse, ac ei tributum solvere. Igitur asseclae huius viri

([1]) De Verbis Domini, Serm. XII, c. II. In Evang. sec. Matth., super illud: *Aut facite arborem bonam.* — ([2]) V, 37.

seditiosi, cum in monte Garizim, qui situs est in Samaria, sacrificandi causa convenissent, Pilatus, Iudaeae praeses, per immissos satellites, trucidavit: quo modo dicitur eorum sanguis permixtus sacrificiis quae illi offerebant.

II. — *Quo pacto, relate ad Iudaeos, verificata est Christi comminatio:* NISI POENITENTIAM HABUERITIS *etc.?*

Resp. Quadraginta post Christi passionem annos, milites Romani venientes, et incipientes a Galilaea, unde dominica praedicatio ortum habuerat, impiam gentem ita deleverunt, ut multi in ipso templi atrio, quo, ex multis regionibus hostias oblaturi venerant, interfecti ceciderint, ita ut ex eorum sanguine stagna hic illic efformarentur (1).

III. — *Quare quorumdam peccata Deus in hac vita ulciscitur, quorumdam vero, minime?*

Resp. Deus quorumdam peccata in praesenti vita ulciscitur, ut suam iustitiam providentiamque ostendat, atque ut ceteri terreantur vitamque emendent, vel ut per ultionem vitae praesentis, a gravioribus futuris suppliciis eruantur, vel ne diutius hic vivendo, gravius peccent, et duriora sibi parent tormenta. Quorumdam vero peccata, quamvis maiora, non vindicat Deus in praesenti, ut suam ostendat longanimitatem, patientiam, pietatem, et ut diu peccantes sic tolerati, tandem ad cor revertantur: quod si facere neglexerint, iustius postea condemnabuntur, graviusque aeternaliter punientur. In quibus, sicut in ceteris multis, apparet quam imcomprehensibilia sint Dei iudicia (2).

IV. — *Quo pacto parabola de ficu infructuosa Hebraeorum populo applicatur?*

Resp. Cum Iudaeorum populum, per Moysen, Deus in vite sua, id est, in societate Sanctorum, plantaverit, ad eum venit Christus, per Incarnationem, vineam et ficum suam sic per praedicationem exculturus. Cum igitur per tres iam annos in praedicando, verbo et opere, frustra desudasset, Deus autem fructus fidei ac bonorum operum, in Iudaeis, ob eorum pervicaciam, minime invenisset, pie pro eis intercessit Christus Dominus, ut uno adhuc anno, saltem partiali, concesso, ulterius illos excoleret, revocatis in eorum memoriam sordibus, id est, gravibus eorum peccatis, hoc quidem pacto, ut si deinceps fructum non edidissent, exciderentur. Quod quidem factum est; nam Iudaei, quarto praedicationis Christi anno, in Paschate, nullo modo meliores effecti, Salvatorem occiderunt;

(1) Ios., de Bell. Iud., l. v, 1, 3. — (2) Dion. Cartus., in h. l., fere ad litt.

unde post paucos annos, Titus ultor a Deo immissus gentem eorum subvertit. — Possunt etiam, per tres annos, intelligi tria tempora condistincta, scilicet ante captivitatem babylonicam, post reditum Iudaeorum de Babylone, et durante Christi vita publica. — Cum autem dicitur dominus vineae fructum in ficulnea non invenisse, non excluditur quin aliquo tempore bene se gesserit Synagoga, sicut tempore Iosue et Seniorum (1), qui Domino servierunt, aut tempore David, aliisve quibusdam temporibus.

V. — *Quomodo haec parabola hominibus christianis applicatur?*

Resp. Sicut arbor illa ficulnea fructus non edebat, ita homines christiani, sive individualiter, sive etiam collectim sumpti, interdum dignos poenitentiae fructus facere negligunt; et sicut vineae cultor patienter adhuc exspectavit, antequam arborem succideret, sperans fore ut novis additis curis, aliquem demum ficus illa fructum ederet, sic longanimis Deus decretum saepe mortis suspendit, christianum hominem vel communitatem, missis praedicatoribus, suaviter simul ac fortiter ad poenitentiam provocans: qua tandem deficiente, venit repente interemptionis decretum.

(1) Iudic., II, 7.

SECTIO CLXXXVII.

(L. XIII, 10-17).

Argumentum. — *Mulierem, quae decem et octo annos incurvata manserat, sanat Dominus die sabbato: ex quo murmurandi occasionem Iudaei accipiunt, quos Salvator clara ratione confutat.*

Ratio Sectionis. — Praesens miraculum solus S. Lucas commemorat, quin tempus determinate indicet, quo illud advenerit. Quoniam autem nulla, ex chronologia, apparet ratio cur huic historiae alia sedes sit rationabiliter assignanda, ideo illam hoc loco ponimus, ipsummet Evangelistae S. Lucae ordinem observantes.

(*a*) ERAT autem docens in synagoga eorum sabbatis [1]. Et ecce mulier, quae habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo [2]: et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere [3]. Quam cum videret Iesus, vocavit

(*a*) L. XIII, 10-17.

[1] Sabbato frequentius docere solebat Iesus, eo quod dies illa celebris esset Iudaeis, qui ad synagogam convenire solebant legem audituri. Hoc tempus et hunc locum elegit Dominus, ut publicum esset miraculum, et ut pharisaeos melius posset confutare. — *In synagoga eorum sabbatis,* graece est ἐν μίᾳ τῶν συναγωγῶν ἐν τοῖς σάββασιν, *in una synagogarum in abbatis:* ubi numerus pluralis valet pro singulari indeterminato, *in uno sabbato.*

[2] Infirmitas ista erat mulieri ex diabolico spiritu inflicta, ut constat ex subsequentibus verbis Christi: *quam alligavit Satanas;* eiqué, Deo permittente, obvenerat, vel propter illius peccata, vel propter maiorem illius in virtute exercitationem, vel denique ut ex illius miraculosa sanatione, Christi potentia clarior patesceret, Deusque glorificaretur. Diuturnitas etiam infirmitatis illam difficiliorem curatu reddiderat.

[3] Cernua erat haec misera mulier, et contra naturalem hominis figuram situmque dorso et capite terram versus adeo depressa, ut caelum intueri minime valeret. — *Nec omnino poterat sursum respicere,* μὴ δυναμένη ἀνακύψαι εἰς τὸ παντελές, *non valens sese erigere in perfectum.*

eam ad se [4], et ait illi: *Mulier, dimissa es ab infirmitate tua* [5]. Et imposuit illi manus, et confestim erecta est [6], et glorificabat Deum [7]. Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Iesus, dicebat turbae: *Sex dies sunt, in quibus oportet operari; in his ergo venite, et curamini, et non in die sabbati* [8]. Respondens autem ad illum Dominus, dixit: *Hypocritae* [9], *unusquisque vestrum*

[4] Non solum corporali intuitu, sed maxime internis miserationis et clementiae oculis, vidit Iesus infirmam istam mulierem, quam ad se vocavit, ut cunctis pateret miraculum, quod ad Dei honorem ac hominum aedificationem mox erat patraturus. — *Vocavit,* προσεφώνησεν, idest, *allocutus est.*

[5] Dicit, *dimissa es,* ἀπολέλυσαι, quod graece est praeteritum perfectum, ad significandum hanc curationem non successive, sed instantanee factam, sicut in motibus instantaneis, simul verum est dicere, *fit,* et *factum est.* — Dicit autem Dominus, *dimissa es,* potius quam, *ego te dimitto,* ut ostendat fidei merito curationem hanc deberi, simulque ut significet efficaciam vocis suae: Christo enim dixisse, fecisse est: erat quippe in carne Christi virtus divina, quae in instanti mira operabatur.

[6] Tria simul in hac muliere completa agnoscimus: Christi manus ei imponuntur; verba super eam proferuntur: *Dimissa es;* ab infirmitate ita liberatur, ut sponte se erigat. — Ambas manus imposuisse Christum ex graeco infertur: ἐπέθηκεν αὐτῇ τὰς χεῖρας.

[7] Fortasse nondum cognovit haec mulier, quod ille qui eam sic sanaverat, Deus esset; attamen anceps non haesit quin illum crederet divina potestate ita egisse: ideo gratias Deo retulit, nec dubium quin et Christum, tanquam hominem sanctissimum, reverentiae et obsequii signis prosequeretur.

[8] Non ad aliquam interrogationem, sed ad Christi miraculosum opus respondet princeps iste synagogae, qui etiam non audet Christum ipsum improperare, sed ad multitudinem verba dirigit. Porro, in eius verbis plura patescunt vitia: primo, ingratitudo, cum potius Christo debuisset gratias agere, quod suam synagogam tanto miraculo honorasset; ignorantia, quia praeceptum de observantia sabbati non intellexit; invidia, quia non indignabatur ob sabbati violationem, sed propter Christi glorificationem; indiscretio, quia zelum habuit, sed non secundum scientiam.

[9] Bene principem hunc hypocritam vocitat Dominus, qui invidiam suam sub specie zeli religionis et observationis sabbati retegere conabatur. Pluraliter autem dicit *hypocritae,* cum plu-

sabbato non solvit bovem suum aut asinum a praesepio, et ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahae, quam alligavit Satanas, ecce decem et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati [10]? Et cum hoc diceret, erubescebant omnes adversarii eius; et omnis populus gaudebat in universis, quae gloriose fiebant ab eo [11].

res e turba sciret hypocrisi archisynagogae consentire.

[10] Archisynagogus ausus non fuerat Christum directe arguere, sed indirecte tantum, populum scilicet alloquendo. Christus autem Dei iniuriam et populi offensionem non sustinens, aperte illum eiusque fautores redarguit, ostendens, argumento a fortiori, hanc mulieris sanationem non esse opus servile, sed liberale et divinum, ideoque dignum quod sabbato compleretur. Multiplicem, in sua responsione, antithesim Dominus signat: nempe, opponit, primo, mulierem, quasi Abrahae filiam, bruto animali, scilicet, bovi aut asino; secundo, vinculum spirituale quo illa tenebatur a daemonio ligata, vinculo materiali iumenti; tertio, diuturnitatem vinculi mulieris, temporaneo bovis vinculo; quarto, laborem haud exiguum necessarium ad solvendum animal, et illud ducendum adaquatum, minimae operae a se praestitae, qua manus imposuit et dixit: *liberata es;* quinto, finem solutionis vinculi spiritualis, qui est ut homini reddatur libertas filiorum Dei, scopo solutionis bruti animalis, qui est ut haustus aquae ei praebeatur; denique, nobilitatem operis beneficentiae in illam rationalem creaturam, vulgaritati ministerii circa bovem aut asinum.

[11] Adversarii Christi erant scribae et pharisaei qui, humanae gloriae percupidi, illius honorationem ferre non poterant, et ab eo reprehensi, cum non resipiscerent, magis in malitia obdurabantur; populares vero et simplices homines, magis in fide fundabantur, Christum agnoscentes, tanquam a Deo missum in salutem Israel et mundi redemptionem, et gaudentes in magnificis eius operibus, τοῖς ἐνδόξοις.

QUAESTIONES.

I. — *Quomodo ea Christus in spirituali impiorum sanatione adimplet, quae corporaliter egit in huius mulieris curatione?*

Resp. Quinque sunt quae Christus in corporali huius mulieris curatione praestitit, et quae spiritualiter in cuiusque impii conversione quotidie peragit: scilicet, videt, vocat, sanat, tangit atque erigit. Mulier quippe incurvata typus est hominis peccatoris, quem

alligat Satanas vitiorum funibus, et qui proinde toto affectu terrenis rebus immersus, oculos sursum nequit attollere ut divina sapiat. Quem Dominus, misericorditer curaturus, primo quidem oculis misericordiae benignus aspicit; tum vocat per inspirationem internam; tertio, sanat per peccatorum remissionem; quarto, tangit per virtutum infusionem et excitationem mentis ad qualibet opera bona; quinto, erigit ad caelestia per aeternorum contemplationem atque fervidum amorem.

II. — *Quot modis Christus adversarios suos convicit?*

Resp. Variis modis Christus adversarios suos convincere consuevit: primo, per operationem miraculorum; secundo, per allegationem Scripturarum; tertio, per propositionem parabolarum; quarto, per efficaciam testimoniorum, puta, Ioannis Baptistae; quinto, per subtilitatem quaestionum; sexto, per exhibitionem exemplorum.

III. — *Quibusnam rationibus Iudaeos convicit Christus, sabbatum se minime transgressum fuisse?*

Resp. Multipliciter Iudaeos convicit Christus, sabbatum se non fuisse transgressum: primo, ex hominis dignitate, ut cum ait (1): *Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter sabbatum.* Secundo, ex sua maiestate, cum dixit (2): *Dominus est Filius hominis etiam sabbati.* Tertio, ex legis auctoritate, dum ait (3): *Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi,* etc. Quarto, ex sacerdotum operatione, quoniam sacerdotes sabbatum violabant, nec tamen se reos putabant (4). Quinto, ex eorum cupiditate et perversitate, quoniam curam pecorum sanationi hominum praeferebant. Sexto, ex operis qualitate, quoniam solvere hominem a vinculo Satanae, opus est caritatis: et hi duo modi in praesenti loco tanguntur (5).

(1) Marc., II, 27. — (2) Matth., XII, 8. — (3) Ioan., VII, 23. — (4) Matth., XII, 5. — (5) Dion. Cartus., in h. l., ad litt.

SECTIO CLXXXVIII.

(L. XIII, 22-30).

Argumentum. — *Proposita sibi quaestione, utrum pauci sint qui salvantur, respondet Dominus contendere nos debere intrare per angustam portam, omnes vero operarios iniquitatis, in ultima die, a se esse eiiciendos.*

Ratio Sectionis. — Binam parabolam, scilicet, de grano sinapis et de fermento, a S. Luca, immediate post praecedentia relatam *, superius recensuimus et explicuimus **, prout nempe exigebat concordia sanctorum Matthaei et Marci cum eodem S. Luca. At vero dubium non est, quin profectio Christi per civitates et castella, de qua hic agitur, eadem sit ac ea cui superius allusit Sacer Textus, ubi dictum est Dominum designasse et alios septuaginta duos, et misisse eos in omnem civitatem et locum quo esset ipse venturus ***: nulla quippe est ratio alia confingendi itinera.

(*a*) Et ibat per civitates et castella, docens, et iter faciens in Ierusalem [1]. Ait autem illi quidam: *Domine, si pauci sunt, qui salvantur* [2]? Ipse autem dixit ad

(*a*) L. XIII, 23-30.

[1] Multas Iudaeae civitates et castella Dominus, post festum Scenopegiae ([1]) peragrarat, et usque in Peraeam venerat, ut evidenter ex Sectione sequenti eruitur ([2]); nunc autem ad urbem principem, Hierusalem, revertitur. Porro, cum ad locum suae passionis propinquaret, tristi hac cogitatione minime praepediebatur benignissimus Dominus ab opere homines erudiendi atque salvandi; ideoque tam urbanos quam villanos, tam doctos quam indoctos, ad salutem suaviter et fortiter inducebat.

[2] Dubium hoc multos quidem omni tempore agitatos tenuit; Dominus tamen illud solvere renuit: tantummodo inculcans necessitatem poenitentiae et bonorum operum. Ceterum, impervia, imo superflua erat huiusmodi quaestio, quae nihil aedificationis audientibus afferre poterat. Etenim, si quidem dicantur multi

* A vers. 18, ad vers. 21. — ** Scil. Sect. CI, pp. 94, 95. — *** Supra, Sect. CLXX, p. 433. Cf. Sect. CLXXII, Ratio Sect., p. 445.

([1]) Supra, Sect. CLII, p. 350. — ([2]) Luc., XIII, 31.

illos: *Contendite intrare per angustam portam* [3]; *quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt* [4]. *Cum autem intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis; et respondens, dicet vobis: Nescio vos, unde sitis* [5]. *Tunc incipietis dicere: Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis: Nescio vos unde sitis; discedite a me, omnes operarii iniquitatis* [6]. *Ibi erit fletus, et stridor dentium* [7]: *cum videritis Abraham, et Isaac, et*

salvari, inanis potest in hominum cordibus fiducia salutem sine operibus consequendi: si vero contrarium teneatur, potest debilis animus in desperationem induci. Utinam hoc intelligerent, qui quaestionem hanc tam saepe proponunt.

[3] Quaesierat unus; sed Christus ad omnes qui aderant dirigit responsionem, cum salutis documenta ad omnes spectarent. Porro, quam angusta porta, et arcta sit via, quae ducit ad vitam, et quam pauci inveniant eam, Dominus iam solemniter edixerat in Sermone in Monte ([1]). Idipsum hic repetit, validam addens exhortationem ad vincenda obstacula salutis ([2]). — Notanda est graeca vox, ἀγωνίζεσθε, quod est *conamini*, si opus sit, *usque ad mortem*.

[4] In regnum caeleste isti intrare non poterunt, quia non efficaciter quaesierunt, nec fervide optaverunt, sed pigre, negligenter et tarde, quemadmodum virgines fatuae ([3]).

[5] Tempore vitae praesentis elapso, nulla amplius remanet opportunitas veniae obtinendae. Enimvero, finito iam vitae mortalis tempore, quod tempus est merendi ac demerendi, et facta, per finale iudicium, segregatione electorum a reprobis, inutiliter qui foris erunt Christum deprecabuntur, ut sibi aperiat: eos quippe protestabitur se nescire, videlicet scientia approbationis, secundum quam Deus non cognoscit nisi iustos et ea quae sunt virtutis et gratiae. — Loco *intraverit*, graece est ἐγερθῇ, *surrexerit:* adventante scilicet iudicii tempore, Deus quasi e somno evigilare videbitur.

[6] Nihil ad salutem proderit vel ipsa cum Christo familiaritas, ubi defuerit caritas, quae esse non potest sine sincera cordis conversione et consortio bonorum operum. — Ultima verba: *Discedite à me, omnes operarii iniquitatis,* desumuntur ex Psalmo sexto ([4]).

[7] Cum his duobus tormentis coniungi debent et alia infernalium poenarum genera, de qui-

([1]) Matth., VII, 13, 14. — ([2]) Cf. supra, Sect. LV. Vol. I, p. 335. — ([3]) Matth., XXV, 10-12. — ([4]) V. 9.

Iacob, et omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras [8]. *Et venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Austro, et accumbent in regno Dei* [9]. *Et ecce sunt novissimi, qui erunt primi; et sunt primi, qui erunt novissimi* [10].

bus scriptum est (1): *Ignis, sulphur et spiritus procellarum, pars calicis eorum.*

[8] En praecipua causa fletus ac stridoris dentium: nempe, prolata finali sententia, reprobi ad suae calamitatis augmentum electos videbunt in caelum conscendere, a quo ipsimet aeternaliter exclusos se cognoscent. Tres hic insigniores patriarchae specialiter recensentur, eo quod illos Iudaei, tanquam fidei suae patres, sequi debuissent.

[9] Maior adhuc reprobis doloris causa: visio tot hominum ex quatuor orbis cardinibus venientium; quos, eo quod Christo obtemperaverint, videbunt reprobi salutem adeptos sempiternam.

[10] Iudaei, qui ante gentiles fuerant ad Christi fidem vocati, propter suam incredulitatem facti sunt ultimi, et sic conversis gentibus sunt postpositi. Ita saepe fit ut homines, pluribus Dei donis praeventi, ob suam pervicaciam, divinis abutentes beneficiis, et pristinum fervorem amittentes, simplicibus ac rudibus in regno caelorum postponantur. Pariter, viri in dignitate in hac vita positi, interdum invenientur a simplicibus et rudibus hominibus in regno caelorum superati. Verba haec pluries in novo Testamento, proverbii instar, occurrunt (2).

QUAESTIONES.

I. — *Utrum, quod dicitur:* QUAERENT INTRARE, ET NON POTERUNT, *dicatur de vita praesenti, an de futura?*

Resp. Verba haec proprie de vita futura dicuntur, cum tunc omnis opportunitas salutis obtinendae irrevocabiliter sit transitura. Dum enim sospes estvita praesens, semper misericordiae ostium aperitur, etsi qui in peccato sunt obdurati, vix dici possint efficaciter velle quaerere.

II. — *Utrum quod dicitur:* MANDUCAVIMUS CORAM TE, *intelligendum sit de communibus, aut de sacrificalibus epulis?*

Resp. Cum locutio haec metaphorica sit, nec de primis nec de secundis epulis est accipienda, sed de familiari cum Iesu commercio, quali multi Iudaeorum gaudebant, aut multi etiamnum christiani gaudent. — Ubi notandum, non ita bene a quibusdam

(1) Ps. x, 7. — (2) Matth., XIX, 30; XXI, 31.

verba haec ita accipi, quasi ipsi Iudaei seipsos proprio ore condemnarent, eo quod, dum Iesus in plateis doceret, ipsi irreverenter manducarent atque biberent: talis enim sensus, utpote nimis contortus, est abiiciendus.

III. — *Quomodo construenda sunt verba:* CUM AUTEM INTRAVERIT, *usque ad:* TUNC INCIPIETIS DICERE?

Resp. Cum in graeco et in pluribus Vulgatae codicibus habeatur coniunctio *et,* ante *incipietis foris stare,* et verbum hoc, sicut praecedentia, modo coniunctivo ponatur, καὶ ἄρξησθε, hinc dicendum videtur totam pericopem, ab *cum autem intraverit,* usque ad *nescio vos, unde sitis,* ad primam partem orationis seu protasin pertinere; alia autem verba, *tunc incipietis dicere,* ad secundam partem, seu apodosin; ita ut tota periodus sic punctuari debeat: *Cum autem intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, et incipietis foris stare,* etc.: *tunc incipietis dicere,* etc.

IV. — *Utrum reproborum numerus maior sit prae numero praedestinatorum?*

Resp. Huic quaestioni alia certa responsio dari nequit, nisi quod soli Deo est cognitus numerus electorum in superna felicitate locandus (1). Ex malis tamen quae videmus in mundo, valde timendum est ne reproborum numerus excedat electorum numerum, dicente Domino Nostro: *Multi quaerent intrare* (scilicet in salutem aeternam), *et non poterunt.* Pariter, clara sunt quae de lata et spatiosa via, quae ducit ad perditionem, edisserit Dominus (2): *Et multi sunt qui intrant per eam;* e contra, de angusta porta dicit (3): *Et pauci sunt qui inveniunt eam.* Numerosiores quippe videntur, prae iustis et timoratis, homines carnales, qui mundum diligunt, nec quaerunt angustam portam et arctam viam, sed toto agmine in viam latam ruunt. Attamen infinita praedicanda est Dei misericordia, qui viis nobis imperviis vel scelestissimos homines ad se reducere potest.

V. — *Quare Dominus nos celavit numerum praedestinatorum?*

Resp. Noluit Dominus nobis numerum praedestinatorum revelare ne, si quidem cognosceremus plures fore praedestinatos quam reprobos, nimia securitate deciperemur, arbitrati facile nos id consecuturos, quod a pluribus cerneremus obtentum; vicissim animo citius deiiceremur, si certo sciremus reprobos in maiori fore

(1) Miss. Rom., orat. pro vivis et defunctis, Secret. — (2) Matth., VII, 13. — (3) Ibid., vers. 14.

numero prae electis. Hoc igitur mysterium nos celavit Dominus ut, dum divinae confidimus misericordiae, *cum metu* tamen *et tremore* nostram *salutem* operemur (1).

VI. — *Quomodo componitur id quod hic dicitur:* CONTENDITE INTRARE PER ANGUSTAM PORTAM, *cum illo alio Salvatoris loco* (2): IUGUM MEUM SUAVE EST, etc.

Resp. Eadem via, quae incipientibus atque imperfectis arcta est, laboriosa ac dura, proficientibus dulcescit, atque perfectis, scilicet ardenter amantibus, levis est, suavis atque amoena; quia gustarunt quam dulcis est Deus, et quanta sit delectatio, mente tranquilla Deo vacare et virtutibus occupari; habentque passiones reformatas, et vitia de facili vincunt (3). Denique, si corpore affligantur, sustinendo adversa, mente tamen consolantur et gaudent in Domino. Hoc tamen non tollit quin et proficientes ac perfecti difficultatem et laborem experiantur in multiplici virtutum exercitio: qui tamen labor tandem cedit eis in gaudium et laetitiam, ita ut vel in hac vita dicere possint (4): *Laetati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.*

VII. — *An fletus ille damnatorum, post resurrectionem, futurus sit corporalis?*

Resp. Duplex est fletus: scilicet spiritualis et corporalis. Fletus spiritualis est intensus dolor interior, quem certum est esse in inferno; fletus autem corporalis duo secumfert: primum, resolutionem lacrymarum, quae quidem in damnatis non erit, quia cum damnatio illa sit aeternaliter duratura, si esset in eis lacrymarum resolutio, haec infinita esse deberet; secundum quod in fletu corporali consideratur est oculorum et capitis obnubilatio: et hoc erit in damnatis (5).

(1) Phil., II, 12. — (2) Matth., XI, 30. — (3) Dion. Cartus. — (4) Ps. LXXXIX, 15. — (5) Dion. Cartus. Cf. tr. DE NOVISSIMIS, Quaest. IV, art. 2, n. 8, p. 174.

SECTIO CLXXXIX.

(L. XIII, 31-35).

Argumentum. — *Pharisaeis secessum Christo suadentibus, eo quod Herodes mortem ei machinaretur, respondet ipse Salvator, insinuans se Hierosolymis, et ab ipsismet pharisaeis, esse occidendum : tum huius urbis eversionem praedicit.*

Ratio Sectionis. — Cum ipse Evangelista aperte dicat, sequentem historiam *in ipsa die* evenisse, hinc dubium non est praesentem locum eidem deberi: nimis enim arbitrarie diceretur, locutionem hanc, *in ipsa die,* tempus indeterminatum designare. Nec absolute necesse est supponere Dominum tunc in Galilaea moratum fuisse, cum satis sit ut dicatur in finibus Peraeae, cui aeque ac Galilaeae praeerat Herodes, versatus, quasi in hominum existimatione, Galilaeam mox foret petiturus. Minas vero, quas hic Iesus in Ierusalem profert, brevi ante suam passionem tempore ipse repetet * : at omnino suadet diversitas circumstantiarum temporis et loci, ut dicatur Dominus eas bis protulisse.

(*a*) In ipsa die accesserunt quidam Pharisaeorum [1], dicentes illi : *Exi, et vade hinc, quia Herodes vult te occidere* [2]. Et ait illis : *Ite, et dicite vulpi illi* [3] : *Ecce eiicio*

(*a*) L. XIII, 31-35.

[1] Quod pharisaei ubivis in Palaestina disseminarentur, testis est S. Lucas (1) : *Et erant Pharisaei sedentes, et legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilaeae, et Iudaeae, et Ierusalem.* — In graeco, ut plurimum legitur : *in ipsa illa hora,* seu eadem hora, ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ.

[2] Non certe ex sincera caritate aut amoris zelo, Christum, qui aliunde omnia noverat, de sinistra Herodis intentione monent isti pharisaei ; sed timorem ei incutere satagunt, ut illum a se ablegent. — Herodes hic est Antipas, qui occidit Ioannem Baptistam, filius Herodis Ascalonitae, qui infantes Bethlehemitas crudeliter occiderat.

[3] Vulpem vocat Dominus Herodem, quia astutus erat, versipellis et fictus. *Vulpes,* ait Ven. Beda, *est animal fraudulentum, in fovea propter insi-*

* Matth., XXIII, 37, seq. Cf. infra, Sect. CCLII.

(1) V, 17.

daemonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor [4]. *Verumtamen oportet me hodie et cras et sequenti die ambulare* [5]; *quia non capit prophetam perire extra Ierusalem* [6]. *Ierusalem, Ierusalem, quae occidis Prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti* [7]? *Ecce relinquetur vobis domus vestra de-*

dias latens, odore foetens, numquam rectis itineribus incedens. Tales sunt haeretici, quorum figura est Herodes, qui Christum in animis credentium conantur occidere ([1]).

[4] Adverbium *cras*, in Scriptura, accipitur pro tempore propinquo; unde sensus est: nunc et tempore mox futuro, opus ad quod missus sum, quod est laborare pro salute animarum, perficiam; nec consummabor, seu occidar, nisi hoc opere perfecte iam adimpleto, quidquid contra me moliantur sive Herodes, sive ipsimet praesentes pharisaei. Tempus hic definitum, scilicet triduum, pro indefinito brevi tempore ponitur. — Suam mortem vocat Christus consummationem, quia per eam omnibus muneris sui partibus perfungi debebat.

[5] Adverbium hoc, *verumtamen*, πλήν, referendum est ad verba immediate praecedentia: *Tertia die consummor;* quasi dicat Dominus: etsi interficiendus sim malitia hominum quibus benefeci, nihilominus non cessabo ab opere eosdem redimendi — *Ambulare*, πορεύεσθαι, hic significat *vivere* et *operari*, iuxta illud ([2]): *Ambulate dum lucem habetis* ([3]).

[6] Repetit Christus id quod modo dixit, se videlicet nondum moriturum esse, nova ratione adducta, conditionem scilicet adimpleri debere, ut Hierosolymis, et non extra, moriatur. — *Non capit*, οὐκ ἐνδέχεται, hoc est, *non contingit, non convenit*, utique non ex absoluta impossibilitate, sed ex divina dispensatione. — Denique, sumitur hoc loco Hierusalem, non solum pro spatio infra moenia comprehenso, sed pro civitate simul cum suburbio, cum certum sit Christum extra muros Hierusalem fuisse crucifixum ([4]).

[7] Iterat Iesus nomen Hierusalem, ex magna compassione qua erga ingratam illam civitatem tenebatur, et ut illam si fieri posset, ad meliorem sensum revocaret. Magnum certe dilectionis argumentum ex parte Dei fuit, quod tot ac tam insignes ei prophetas miserit, et maxime Prophetam summum, id est Christum, ut illam verbo et exemplo aedificaret. At civium pervicacia et superbia frustraneam reddidit prophetarum et

([1]) Cornel. a Lap. — ([2]) Io., XII, 35. — ([3]) Cf. 1 Thess., II, 12. — ([4]) Hebr., XIII, 12.

serta [8]. *Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cum dicetis : Benedictus qui venit in nomine Domini* [9].

ipsius Salvatoris operam, ut postea testatus est protomartyr S. Stephanus ([1]) : *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* — Eadem haec verba, usque ad finem huius Sectionis, alia occasione, protulit Dominus, scilicet paulo ante suam passionem ([2]). Siquidem, ibi introducit Dominus exemplum de gallina, hic vero generaliter avem nominat: porro, in veteri Testamento, proponitur aquila tanquam typus suavis Dei providentiae ([3]): *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris eius.*

[8] Litteraliter accipiendum hoc est, non de templo quod non est desertum sed potius destructum, verum de civitate et natione, cum Iudaei, sub Tito, partim occisi, partim eiecti et in servitutem abducti fuerint et eorum natio dispersa manserit; et etiamnum, licet ad tempus videantur prosperare, mox tamen ab una vel altera natione turpiter eiiciuntur, ita quod vel ad Romanum Pontificem interdum pro protectione coacti sint recurrere. Unde adimpletam videmus duplicem hanc Dei comminationem ([4]): *Civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo;* et ([5]): *Fiat abitatio eorum deserta.* — Notandum, in graeco legi : *Ecce relinquitur vobis domus vestra,* ἰδοὺ ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν.

[9] Verba haec referenda sunt vel ad conversionem Iudaeorum ad Christum, vel ad secundum Christi adventum; quasi dicat Dominus: Magna adversum me invidia movemini; attamen veniet dies quando, post meam mortem et resurrectionem, multi ex vobis convertentur ad me; vel saltem, adventante iam tempore iudicii universalis, iterum me vobis ostendam in maiestate, ita quod cogamini tunc me acclamare: *Benedictus,* etc. Similia verba, simili sensu, repetet Christus brevi ante passionem tempore, postquam scilicet, praesentibus invidis pharisaeis, turbae illum acclamaverint: *Benedictus,* etc.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum Herodes Christum ad necem revera quaereret?* *Resp.* Negant aliqui Christum ab Herode revera quaesitum fuisse ad necem, hac ratione, quia legitur desiderasse Iesum eiusque signa videre ([6]), imo noluisse Christum ad se a Pilato missum

([1]) Act., VII, 51. — ([2]) Matth., XXIII, 37. — ([3]) Deut., XXXII, 11. — ([4]) Dan., IX, 26. — ([5]) Ps. LXVIII, 26. — ([6]) Luc., IX, 9.

condemnare, sed alba veste indutum, tanquam risu, non morte, dignum, ad eumdem Pilatum remisisse (1). Igitur pharisaei, iuxta hanc sententiam, per mendacium confinxissent id quod hic asseritur, videlicet Herodem Christum ad necem quaesiisse; idque eo fine fecissent, ut Iesum a se ablegarent, vel ut illum inducerent ad petendam Hierosolymam, ubi tot ei inimici mortem machinabantur. — At probabilius dicitur, Herodem, quemadmodum Ioannem iam occidi iusserat, ita animum revera habuisse Dominum occidendi, quia audiverat tot hominum millia illum sequi; unde suspicabatur ne forte a Christo, utpote galilaeo, seditio contra regnum suum concitaretur. Quod autem revera pharisaei illi sic ab Herode missi fuerint, ex ipsis Iesu verbis sat clare eruitur: *Ite, et dicite vulpi illi.* Ceterum, ipsa Domini verba: *Ecce eiicio daemonia,* etc., utique dant subintelligi eum revera reputasse se ab Herode ad necem quaesitum fuisse. In hoc igitur casu, id quod antea dictum est, Herodem voluisse videre Christum, intelligi potest, hoc fine, ut illum interficeret, quemadmodum prior ille Herodes significaverat se puerum adorare velle, non alio certe fine, nisi ut illum occideret (2).

II. — *Utrum haec verba:* DICITE VULPI ILLI, *Dominus ad solum Herodem dirigi voluerit?*

Resp. Dici potest Dominum, per haec verba, non solum Herodem, sed pharisaeos quoque, ibi praesentes, indirecte significasse, cum eos sciret Herodis minas praetexere, non quidem ut Iesum ipsum salvarent, sed potius ut promptiorem illi mortem pararent: sic enim laqueum ei tendebant, quatenus in manus suorum inimicorum citius incideret. Videtur hoc suaderi lectione graeca, ubi, loco *vulpi illi,* legitur *vulpi huic,* τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ, id est, quam demonstro. Dicendo *vulpi,* singulari numero, Herodem illos suspicari fecit, ait Theophilactus; dicendo autem *huic,* quod est pronomen demonstrativum, insinuavit istos ipsos esse dolosos illos.

III. — *Utrum revera omnes prophetae Hierosolymae occisi sint?*

Resp. Negative; nimirum dictum Domini nostri, *non capit prophetam perire extra Ierusalem,* per modum hyperbolicae locutionis accipiendum est. Non enim omnes prophetae occisi, in Ierusalem sunt interfecti, cum Ieremias in Aegypto, Ezechiel in Chaldaea, et Amos in terra decem tribuum legantur occisi. Sed ideo Christus hoc dixit, quia communiter in Ierusalem talia contigerunt; nam ibi innocentium sanguis frequenter ac copiose effusus

(1) Ibid., XXIII, 11. — (2) Cf. supra, Sect. CXIV, n. 10, p. 158. Cf. etiam Sect. XII, n. 12, Vol. I, p. 84.

est; insuper ibidem habitaverunt magistratus iniqui et impii pontifices, necnon scribae et pharisaei, qui prophetam sanctissimum Iesum Christum morti tradere debebant (1).

IV. — *Utrum verba:* DICO AUTEM VOBIS, *etc., intelligi possint de die palmarum, quando turbae Christum acclamaverunt:* BENEDICTUS, *etc.?*

Resp. Negative: cum eadem verba referantur apud S. Matthaeum a Christo dicta post diem palmarum (2); deinde, Christus tunc acclamatus fuit, non a pharisaeis, sed a turbis; denique, cum Dominus in Peraea, ubi tunc, ut diximus, versabatur, per aliquod tempus adhuc commorari deberet, vere dicere non potuisset: *Non videbitis me.*

(1) Dion. Cartus., in h. l. — (2) XXIII, 39.

SECTIO CXC.

(L. XIV, 1-6).

Argumentum. — *Christus Dominus, in domo cuiusdam principis pharisaeorum, hydropicum hominem sanat in sabbato; quod quidem haud illicitum fuisse, evidenti exemplo demonstrat.*

Ratio Sectionis. — Solus S. Lucas praesentem historiam hominis hydropici a Iesu die sabbato sanati recitat, quin tamen tempus et locum, quod in similibus circumstantiis facere non omittit, hic assignet. Nil ergo repugnat quin credamus id, eodem loco ac tempore, quibus factum praecedens evenit, contigisse: eo magis quod haec narratio narrationi de muliere inclinata, quam ante pauca retulimus, simillima est *: unde dicere possumus, voluisse Dominum Iudaeos iterum persuasos fieri, se de sabbati violatione haudquaquam posse accusari.

(*a*) ET factum est, cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis Pharisaeorum sabbato manducare panem [1], et ipsi observabant eum [2]. Et ecce homo quidam

(*a*) L. XIV, 1-6.

[1] Christus, qui venit in mundum peccatores convertere, cum peccatoribus convesci non dedignatus est, ut perfecta morum suorum honestate ac sapienti collocutione, eos ad meliora pertraheret. — Nomen *panis*, hic, per synechdochen, pro omni esca ponitur, more Scripturae, uti constat ex eo quod Eliseus loquebatur regi Israel de Syris ([1]): *Pone panem et aquam coram eis, ut comedant et bibant;* moxque subiungitur ([2]): *Et apposita est eis ciborum magna praeparatio; et comederunt et biberunt.* — *Sabbato:* in Hebraeorum consuetudine erat sabbatis convivia facere, cum tamen fercula die praecedenti pararentur, unde dies ista *parasceve*, παρασκευή, vocabatur ([3]). — In graeco deest hic sanctissimum nomen *Iesus*.

[2] Christum observavant Iudaei, ut in verbo aut facto illum possent reprehendere, praesertim si quid egisset contra sabbati festivitatem. — *Observabant eum*, ἦσαν παρατηρούμηνοι αὐτόν, *erant insidiose vigilantes in eum.*

* Sect. CLXXXVII, p. 525.

([1]) 4 Reg., VI, 22. — ([2]) Ibid., 23. — ([3]) Cf. Exod., XVI, 23.

hydropicus erat ante illum [3]. Et respondens Iesus, dixit ad legisperitos et Pharisaeos, dicens: *Si licet sabbato curare* [4]? At illi tacuerunt [5]. Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit [6]. Et respondens ad illos dixit [7]: *Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati* [8]?

[3] Necesse non est ut dicatur hydropicus iste amicus vel notus fuisse principi Iesum excipienti, ab eo et ipse ad convivium invitatus, cum istiusmodi convivia ianuis apertis celebrarentur, et quisque pro lubitu intrare posset; quocirca minime constat utrum pharisaeus ille Dominum invitaverit, ut huic hydropico occasionem praeberet salutem ab eo postulandi, an solum ut ipsemet exploraret quid tunc Iesus facturus foret. Dubium tamen non est quin miser ille infirmus, sanitatis percupidus, Iesu se obtulerit, tacite ab eo sanitatem efflagitans.

[4] Non ad verba, sed ad insidiosas cogitationes illorum respondet Iesus; nec quasi ignorans hoc quaerit, sed ut illorum errorem corrigat. Taliter enim curare est opus non servile, sed divinum et caritativum, nequaquam a Dei vacatione homines impediens, sed potius ad divinae pietatis amorem et laudem eosdem accendens. — Verba: *Si licet sabbato curare*, graece ita leguntur: Ἔξεστιν τῷ σαββάτῳ θεραπεῦσαι; ἢ οὔ; *licetne sabbato curare, annon?*

[5] Metuebant argui et convinci, quidquid respondissent. Si enim dixissent licere, ipsi se condemnassent, qui saepius antea sanationes sabbato factas reprehenderant; si vero id negassent, iure timebant ne a Domino, imo ab ipso populo, repudiarentur.

[6] *Apprehensum,* graece est ἐπιλαβόμενος, quod est: cum apprehendisset, seu cum corporali contactu attigisset. Dimisit autem illum Iesus, ut veritas illius curationis omnibus ultro pateret.

[7] Viso hoc signo, coeperunt legisperitae et pharisaei cogitare et iudicare a Christo solutum fuisse sabbatum; ideoque ad eorum cogitata sapienter respondet Salvator.

[8] Si iumentis licet die sabbati subvenire cum labore, cur non potius licebit homini aegro sanitatis opem hac ipsa die impendere, praesertim quando hoc fit, ut nunc contingit, facillime et absque ullo labore? — In potioribus graecis codicibus, loco nominis *asinus aut bos*, legitur υἱός ἢ βοῦς, *filius vel bos*. Videtur autem nomen ὄνος, *asinus*, ex amanuensis cuiusdam recordatione praecedentis loci paralleli (1), ubi nomen *asinus* indubitanter genuinum est, hic introductum. Probabiliter hoc loco, secundum graecam lectionem, al-

(1) Sc. Luc., XIII, 15. Supra, Sect: CLXXXVII, n. 10, p. 527.

Et non poterant ad haec respondere illi [9].

luditur ad Deuteronomium ([1]), ubi *filius* ponitur caput rationalium creaturarum quas homo possideat, *bos* vero caput animalium. — Multi sunt, in Palaestina, ubi adest aquae inopia, putei aut cisternae, praesidio carentes.

[9] Licet sapienti Christi ratiocinio convinci debuissent pharisaei, nec haberent quod replicarent, nihilominus sapientiores facti non sunt; quinimmo obdurati manserunt in sua pervicacia, qua iam murmurantes dixerant ([2]): *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit* ([3]).

QUAESTIONES.

I. — *Quisnam fuit princeps iste pharisaeorum?*

Resp. Videtur fuisse, non quidem rector, cum pharisaeis duces aut rectores proprie dicti non essent, sed homo dignitate ac auctoritate pollens atque generis nobilitate conspicuus: ex eis nempe quos pharisaei tanquam suos duces habebant, quales fuerunt Hillel, Schammai, Gamaliel et Nicodemus: ex graeca voce autem, τινὸς τῶν ἀρχόντων, deduci posse videtur illum fuisse unum ex synedrii assessoribus, cum hi ἄρχοντες vocarentur ([4]), nisi obstaret quod hi Hierosolymis degere consuescerent.

II. — *Quid per hydropicum mystice significatur?*

Resp. Hydropicus, ait S. Augustinus ([5]), est dives avarus, qui quo magis abundat, eo magis sitit, iuxta illud: *Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.* Eum quoque hydropicus designat, quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggravat ([6]). Etenim ab ὕδρωψ, quod est *aqua intercus,* hydropisis dicitur: est scilicet morbus aquosus, apte avaros et lubricos designans, qui quanto plus delectationibus carnalibus se dedunt ac rebus acquirendis intendunt, tanto magis affectum habent ad illicitas voluptates et ad bona temporalia accensum. Unde, sicut hydropisi per abstinentiam obstat homo, ita cupiditati remedium est mortificatio et continentia.

III. — *Utrum vis argumenti infirmetur si, loco nominis* ASINUS, *legatur* FILIUS?

Resp. Negative: arguit nimirum Dominus, quod si ipsimet pharisaei, filium aut etiam bovem vel asinum, ex puteo aut cisterna, die

([1]) v, 14. — ([2]) Io., ix, 16. — ([3]) Sect. CLXV, p. 411. — ([4]) Cf. Luc., XXIII, 13, 35; XXIV, 20; Io., III, 1, etc. — ([5]) L. II Quaest. Evang., quaest. XXIX. — ([6]) Ven. Beda, in h. l.

sabbati, non sine labore et conatu, extrahere non timerent, multo magis curandum ipsis foret ut proximum a crudeli morbo eodem die liberarent, maxime cum id sine opere servili fieri posset.

IV. — *Quomodo valet Christi ratio, cum bos in puteum cadens auxilii dilationem non patiatur, infirmus autem possit commode in alterum diem curandus differri?*

Resp. Primo, pharisaei concedebant curam bovis sabbato haberi posse, non propter iumentum ipsum, sed propter hominem, in cuius usum iumentum cedit: multo magis igitur Christus docet licere curam hominis ipsius haberi die sabbati: et quod haec ratio eos non effugerit, patet, quia respondere non potuerunt. Deinde, multo gravius malum est parva hominis miseria, quam etiam mors pecudis: si igitur licet sabbato bovem aut asinum e puteo extrahere ne moriatur, aut etiam adaquare, ne sitim patiatur, ut supra dictum est (1), illicitum certe non erit hominis curationem sabbato procurare, ut vel per unum diem morbus eius non protrahatur.

V. — *Quoties fecit Iesus miracula in sabbato?*

Resp. Quinquies: *primo,* in homine manum aridam habente, quod tres Synoptici referunt (2); *secundo,* in muliere inclinata (3): *tertio,* in hydropico sanato (4): haec duo miracula solus S. Lucas commemorat; *quarto,* in paralytico ad probaticam sanato (5); *quinto,* in caeco nato cui Iesus visum restituit (6): haec ultima duo miracula solus S. Ioannes recenset. — His probabiliter addi possunt curationes daemoniaci in Capharnaum (7) et alia curatio socrus Petri (8), cum huiusmodi miracula intime sint connexa cum praedicatione Iesu in Synagoga in sabbato. Cum hoc etiam iungi debet narratio de discipulis, quos sabbato spicas vellentes Dominus contra pharisaeos benigne excusavit (9).

(1) Sect. CLXXXVII, p. 526. — (2) Matth., XII, 13; Marc., III, 2; Luc., VI, 6. Supra, Sect. LXXXVIII, p. 32. — (3) Luc., XIII, 10. Supra, Sect. CLXXXVII, p. 525. — (4) Hoc loco. — (5) Io., V, 8. Supra, Sect. LXXXII, p. 4. — (6) Io., IX, 7. Supra, Sect. CLXIV, p. 40*. — (7) Marc., I, 27; Luc., IV, 33. — (8) Matth., VIII, 14; Marc., I, 29; Luc., IV, 38. — (9) Matth., XII, 1; Marc., II, 23; Luc., VI, 1.

SECTIO CXCI.

(L. XIV, 7-14).

Argumentum. — *Christus, proposita parabola hominis ad nuptias invitati, ostendit ultimum locum esse captandum; simulque docet pauperes esse invitandos, non divites.*

Ratio Sectionis. — Quod praesens historia historiae praecedenti debeat colligari, ambigi non licet, cum prius Christi monitum, scilicet de ultimo loco captando, ad invitatos, alterum vero monitum, de pauperibus invitandis, ad ipsum invitantem dirigatur. Igitur Salvator, obturato iam invidorum ore, et hydropisi corporali sanata in uno infirmo, ad spiritualem hydropisim, scilicet superbiam, ambitionem atque avaritiam, in omnibus curandam, sese benignus et misericors convertit.

(*a*) DICEBAT autem et ad invitatos parabolam [1], intendens quomodo primos accubitus eligerent [2], dicens ad illos: *Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo* [3], *et veniens is qui te et illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum; et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere* [4]. *Sed*

(*a*) L. XIV, 7-14.

[1] Parabola, παραβολή, hic significat sermonem gravem, quo sub specie rei corporalis, spirituale documentum traditur.

[2] *Intendens*, graece ἐπέχων, id est, *considerans*, aut *contemplatus*, quod est, cum Christus considerasset vel observasset pharisaeos in hoc convivio, sicut in caeteris, ambitione ductos, prima accumbendi loca in mensa aucupasse. In S. Marco simile quid legitur ([1]): *Cavete a scribis, qui volunt... primos discubitos in coenis.* — In tricliniis, incipiendo a dextera parte, primum erat latus summum; secundum, latus medium; tertium, latus imum: locus autem medius, in unoquoque latere, erat honorabilior.

[3] Humilitatis magister, hac exhortatione, nos informare vult, nosipsos, quantum in nobis est, parvifacere, imo vel inferioribus viliores in corde nostro arbitrari debere.

[4] Sic cedens viro honoratiori

([1]) XII, 38, 39.

cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco [5], *ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus; quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* [6]. Dicebat autem et ei qui se invitaverat [7]: *Cum facis prandium aut coenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites* [8]: *ne forte te et ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio* [9]. *Sed*

locum primum, inferiorem seu minus honoratum locum postea tenere cogetur. — *Cum rubore,* ait; quem enim vident homines cum fastu sese extollentem, ita aperte contemnere incipiunt, ut ille rubore suffundatur. — *Novissimus locus* hic relative ponitur, non absolute, eo sensu quo statim dicitur: *Recumbe in novissimo loco:* non enim hospes talem hospitem invitatum necessario semper iubebit locum omnium postremum sumere.

[5] Existima teipsum omnium minimum, nec te cuiquam anteponas, aut aliquid tibi tribuas, sed omnia quaecumque bona habes, Deo sponte referas. — Scopus huius parabolae non est tam ut doceat nos Dominus quem locum in conviviis eligere debeamus, quod pertinet ad mores civiles, quam ut nos in schola verae humilitatis erudiat. Quocirca, *novissimus locus* sensu metaphorico accipiendus est: modestia quippe non exigit, imo nec patitur ut vir honorabilis invitatus ultimum locum seligat.

[6] Sic Christus Dominus humilitatem nos docet, cui virtuti vita spiritus innititur et cuius merito exaltabimur. Quanto enim quis vitam suam in perfectiori ac stabiliori humilitate fundatam habuerit, tanto plus et celerius in omni gratia et virtute proficiet. — Notandum, particulam *ut*, ἵνα, non finem designare operantis, sed operis: maioris quippe foret superbiae, humilitate, tanquam scabello, ad ambitionem uti. Saepius veram humilitatem inculcavit Dominus (²).

[7] Dominus principi pharisaeorum pro refectione corporali spiritualem retribuit refectionem, eum nunc ad liberalitatis virtutem erudiens.

[8] Quod hic dicit Dominus, *divites*, non ad solos vicinos, sed ad omnes praefatos referendum est, scilicet etiam ad amicos, ad fratres, ad cognatos: si enim isti pauperes sint, vel maxime erunt invitandi.

[9] Rationem nunc reddit Dominus, quare divites non sint invitandi: ne, videlicet, spe beneficia vicissim recipiendi id fiat, et sic qui alium invitat aeterna mercede, aut in toto, aut in parte, frustretur. Ceterum, *hospita-*

(²) Cf. Matth., XVIII, 4; Luc., XVIII, 14.

cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et caecos [10]: *et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum* [11].

lem remuneraturis esse, affectus avaritiae est, ait S. Ambrosius (1). — *Ne forte*, graece, μήποτε, *ne quando.*

[10] *Debiles,* graece ἀναπήρους, id est, *mancos, mutilos, laesos,* sive mente, sive corpore. Omnes isti, quos Dominus hic recenset, ob defectum naturae, victum sibi comparare nequeunt; qui id facere possunt, potius divites quam pauperes dicendi sunt.

[11] Quod pauperibus fit, Deus sibi factum aestimat; ideoque pauperum susceptori copiosam retribuet mercedem, atque perennes caelestis convivii delicias conferet. Non sub hac spe, ait S. Ioannes Chrysostomus, aliis beneficia conferamus, ut nobis retribuant: haec enim frigida est intentio, et talis amicitia celeriter evanescet. Si vero pauperem vocaveris, Deum nunquam obliviscentem habebis debitorem. Quanto enim minor est frater, tanto magis Christus per eum accedit et visitat. — Huiusmodi Christi consilium secuti leguntur, inter alios Sanctos, S. Pontifex Gregorius Magnus, qui quotidie duodecim pauperes ad mensam suam habere solebat, quos inter, Christum, specie pauperis, excipere meruit. Eiusdem caritatis exempla legere est in vita S. Ludovici noni, Galliae regis, S. Hedwigis, ducissae Poloniae, S. Elisabethae, filiae regis Hungarorum, et diebus nostris, B. Cottolengo, Ioannis Bosco, etc. — Nominat Dominus resurrectionem iustorum et non simpliciter futurum saeculum, quia in finali resurrectione fiet tandem plena meritorum retributio.

QUAESTIONES.

I. — *Utrum quis in conviviis ultimum locum semper tenere debeat?*

Resp. Decet utique hominem christianum ita animo paratum esse, ut promptus semper sit occupare ultimum locum in conviviis; at simul vituperabile esset, si quis id contra ordinem fieri ita vellet, ut contentionem aut litem inde surgere sineret: quo quidem fieret ut affectata humilitas maiori superbiae occasionem daret. Quocirca prudentiae simul et ordinis ratio potius postulat ut ordinem accubitus unusquisque committat convivium facienti: sic quippe nos mutuo in patientia sustinebimus (2), ordinem in omnibus servantes. Ad rem S. Paulus (3): *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.*

(1) Exp. sed. S. Luc., l. VII, n. 195. — (2) 1 Cor., XIV, 40. — (3) Phil., II, 3.

II. — *Utrum Dominus absolute prohibeat amicos, fratres, cognatos et vicinos divites ad convivium invitare?*

Resp. Negative, si id fiat caritate imperante et ad servandam honestam vitae consuetudinem, quam cum huiusmodi personis servare debemus; ita tamen quod si pauperes essent, ceteris paribus, potius essent invitandi quam alii. Ad rem Ven. Beda (1): *Fratres, amicos et divites, alterutrum convivia celebrare, non quasi scelus interdicit, sed sicut cetera necessitatis humanae commercia, ubi et peccatores peccatoribus fenerantur ut recipiant aequalia, ad promerenda vitae caelestis praemia, nil valere ostendit,* scilicet ex se, nisi ad altiorem finem, scilicet ad caritatem referantur, ut observat Cornelius a Lapide. Ceterum, multiplici de causa possunt convivia et invitationes recto fine parari: puta, ex naturali dilectione, ex pietate et reverentia, ex liberalitate vel approbata consuetudine, ex studio fovendae dilectionis, etc.; quod si id fiat ex gulositate, ambitione, simulatione vel malignitate, etc., plurimum quis sibi demeritum comparat.

III. — *Utrum recte et laudabiliter homo opera bona facere possit spe retributionis aeternae?*

Resp. Affirmative, ut patet non solum ex hoc loco, sed ex aliis quoque Scripturae locis: sic (2): *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum, propter retributionem;* item de Moyse ait Apostolus (3): *Aspiciebat enim in remunerationem.*

IV. — *Utrum praeceptum de benefaciendo pauperibus etiam in veteri Testamento viguerit?*

Resp. Affirmative: sic quippe legimus in Deuteronomio (4): *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuae: idcirco ego praecipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versatur in terra* (5).

(1) In Luc. Ev., c. XIV, l. IV. — (2) Ps. CXVIII, 112. — (3) Hebr., XI, 26. — (4) XV, 11. — (5) Cf. Ibid., XIV, 29; XV, 7, 8; XXVI, 12, 13.

SECTIO CXCII.

(L. XIV, 15-24).

Argumentum. — *Proponit Dominus parabolam de coena magna, ad quam multi invitati fuerant, quibus tamen sese varie excusantibus et ideo ab illa coena exclusis alii sunt substituti.*

Ratio Sectionis. — Dicente Evangelista exclamationem, *Beatus qui manducabit,* etc., factam fuisse ab uno ex discumbentibus cum Iesu in domo illius principis pharisaeorum, de continuatione historiae iam non est ambigendi locus. Dubitatur tamen utrum una eademque sit haec parabola cum parabola illa quam recitat S. Matthaeus capite vigesimo secundo *. At, tum ex variis circumstantiis quibus utraque parabola exornatur, tum maxime ex diverso scopo unius et alterius parabolae, sat clare apparet unam distingui debere ab altera, easque diversis temporibus recitatas fuisse. Et huic quidem sententiae suffratur S. Augustinus **, quocum conveniunt S. Gregorius Magnus et S. Thomas ***.

(*a*) Haec cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei* [1]. At ipse dixit ei [2]: *Homo quidam fecit coenam magnam, et vocavit multos* [3]. *Et misit servum suum hora coenae*

(*a*) L. XIV, 15-24.

[1] Videtur iste fuisse bonus Israelita, qui illectus dulcedine retributionis a Domino in iustorum resurrectione promissae, in hanc vocem erupit, similem illi voci quae in Apocalypsi ponitur (1): *Beati qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.* Revera, quod hic culpandus non esset, quasi putaret corporeas fore Sanctorum remunerationes, erui potest ex eo quod Dominus illius errorem minime correxit.

[2] Occasionem ex praecedenti exclamatione arripit Salvator nos admonendi, quam multi per diversa obstacula a beata resurrectione impediantur. Parabola haec, sicut parabolae de duobus debitoribus et de bono samaritano, licet ad unum tantum dirigeretur, pro omnibus tamen a Christo Domino intendebatur.

[3] Homo iste Christus est, qui beatificam aeternae gloriae refectionem hominibus abunde prae-

* Vers. 1-4. — ** L. II de Cons Evangel., c. 2. — *** Cf. infra, Sect. CCXLIV, quaest. 1.

(1) XIX, 9.

dicere invitatis ut venirent, quia iam parata sunt omnia [4]. *Et coeperunt simul omnes excusare* [5]. *Primus dixit ei: Villam emi, et necesse habeo exire et videre illam: rogo te, habe me excusatum* [6]. *Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, et eo probare illa; rogo te, habe me excusatum* [7]. *Et*

paravit, eos omnes vocans ad poenitentiam et salutem aeternam. Coena ista vocatur magna, quia nil maius, nil melius cogitari potest: Deus enim erit ipse noster cibus et nostrum ferculum. Quanta sit huius coenae praestantia, post Isaiam ([1]), declaravit S. Paulus ([2]): *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum.* — Quod hic dicitur *multos*, ponitur pro *omnes,* saltem si de adultis agatur: Deus enim *vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* ([3]).

[4] Iam inde a mundi exordio, vocaverat Deus homines ad coenam regni caelestis; in ultima autem mundi aetate, misit ipsum Christum, servum suum ([4]), qui pretiosissimi sanguinis sui pretio ianuam nobis regni caelestis aperuit; tum Apostolos suos ac predicatores loco sui misit Dominus, qui homines hortarentur ad regni caelestis praemia suis meritis comparanda, per Dei et proximi dilectionem atque bonorum operum patrationem, omnibus iam paratis, institutis videlicet salutiferis Ecclesiae sacramentis, per quae ad vitam aeternam intratur.

[5] Varie iam incipiunt homines se ab executione bonorum operum excusare: in quo vox ipsa, excusatio, signum est simul et effectus vitiosi actus: in eo enim quod quis se excusat supponitur defectus, secus ac cum quis se iustificat: unde dicitur: *Qui se excusat, se accusat.* — Pro, *omnes simul,* graece est ἀπὸ μιᾶς, quod supplendum est voce γνώμης, id est *uno consensu,* aut ψυχῆς, *una mente*, vel *unanimiter.* — Cum invitati non essent omnes in eodem loco, hinc non poterant simultanee se excusare.

[6] En primum impedimentum quo quis ab assequendo regno caelorum retrahitur, scilicet superbia et ambitio. Qui enim circa honores ac principatus acquirendos in hoc saeculo occupantur, divina negligunt, nec ad supernos adspirant honores, ideoque gratiae influxum suscipere nequeunt. — Pro *villa*, graece legitur ἀγρός, *ager,* cui tamen domus rusticana coniungatur. — Bene autem per villae emptionem superbia designatur: id enim ex ambitione saepe procedit, quatenus villae possessor loci dominus scribatur et appelletur.

[7] Secundum impedimentum est avaritia, qua quis circa divitias

([1]) LXIV, 4. — ([2]) I Cor., II, 9. — ([3]) I Tim., II, 4. — ([4]) Is., XLII, 1; LII, 13.

alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire [8]. *Et reversus servus nuntiavit haec domino suo* [9]. *Tunc iratus pater familias, dixit servo suo: Exi cito in plateas et vicos civitatis: et pauperes, ac debiles, et caecos, et claudos introduc huc* [10]. *Et ait servus: Domine factum est ut imperasti, et adhuc locus est* [11]. *Et ait dominus servo: Exi in vias et sepes: et compelle intrare, ut impleatur domus mea* [12]. *Dico*

congregandas ita manet intentus, ut spiritualium bonorum obliviscatur; sicque circa pecunias ac possessiones ita afficitur, quasi eas numquam esset amissurus. — Notandum, hunc hominem se, non, ut priorem, necessitate excusare, sed simpliciter declarare se pergere ad boves explorandos. Videtur hic homo animalia hac conditione emisse, ut experiretur an sibi placerent.

[8] Per hoc impedimentum designantur carnales voluptates. *Quid per uxorem*, quaerit S. Gregorius ([1]), *nisi voluptas carnis accipitur?* In matrimonio enim, etsi de se bono ac licito, aliud multi non quaerunt, nisi voluptatis turpitudinem, quae non solum hominem ineptum ad virtutum opera reddit, sed in eo quoque acediam atque fastidium erga res divinas parit; ideo tertius iste non dixit, sicut alii: *Rogo te*, sed simpliciter: *Non possum venire.*

[9] Per allegoriam hoc dicitur. Sic enim devoti ac fervidi Evangelii praedicatores, zelo salutis proximorum succensi, cum Deo pie conqueri solent, dum parum aut nihil proficiunt.

[10] Ira quae nunc patremfamilias, idest Christum Dominum, tenet, est ira per zelum iustitiae: aequum enim fuit ut, repulsis superbis ac fastidientibus Iudaeis, necnon tepidis christianis illos imitantibus, ad convivium, idest ad Christi fidem et gratiam, vocitarentur gentiles atque infimae conditionis homines, naturae ac ingenii donis destituti. — Enumeratio hic posita mysterio non vacat. Per pauperes, πτωχούς, significantur homines abiectae conditionis; per debiles, ἀναπήρους, infirmi viribus et mente; per caecos, τυφλούς, homines nati in haeresi; per claudos, χωλούς, in vitiis inveterati.

[11] Nondum impletus est numerus praedestinatorum: adhuc vacant loca in regno caelesti, in quibus homines recipi debeant.

[12] Insinuatur hic gentilium vocatio, qui quasi importune, et per comminationem damnationis aeternae instigandi sunt ut convertantur, quatenus electorum congregatio perfecte compleatur. Ex his habemus, Iudaeis ac malis christianis Evangelium spernentibus, humiles, etsi olim pec-

([1]) L. II Homil. XXXVI, n. 5.

autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit coenam meam [13].

catores, esse surrogandos, iuxta illud ([1]): *Publicani et meretrices praecedent vos in regnum Dei.* — Non addit servus hic: *factum est,* uti antea dixerat, quia gentium vocatio ad fidem nec-dum plene perfecta est, sed usque in finem mundi continuanda est.

[13] Qui divinam neglexerint vocationem, a suavitate aeternae felicitatis arcebuntur.

QUAESTIONES.

I. — *Quid per coenam magnam hic intelligitur?*

Resp. Aliqui per coenam magnam hic intelligunt Incarnationem Christi, eius praedicationem atque opus redemptivum. At cum coena sit ultima diei refectio, quam sequitur perfecta quies, opus vero redemptivum Christi ad Ecclesiam potius militantem pertineat, cui succedit Sanctorum gloria; hinc melius dicitur coenam magnam hic designare beatitudinem caelestem, in qua fruemur Dei visione. Et haec quidem recte vocatur coena, quia vespere, id est sub fine vitae, post huius mundi labores, dabitur, quam aeterna quies comitabitur, et proinde opportune vocatur *coena magna.* — Per hoc tamen non excluditur quin, per coenam hanc magnam, secundario, intelligi etiam possit Sanctissima Eucharistia, prout eam revera intelligit Ecclesia in officio festi Corporis Christi; sed et per eam intelligi etiam potest refectio doctrinae, a qua multi triplici impedimento hic recensito arcentur.

II. — *Utrum ex his verbis:* NECESSE HABEO VIDERE (*villam*), *deduci possit illum, qui villam emerat, eam antea nunquam vidisse?*

Resp. Negative: sed illam invisere volebat, ut decernere posset quomodo colenda foret, et quid de famulitio foret statuendum.

III. — *Utrum per tria impedimenta hic recensita, apte intelligantur concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae?*

Resp. Affirmative: ita quod per illud, *uxorem duxi,* significetur concupiscentia carnis; per illud: *iuga boum emi,* concupiscentia oculorum, id est, avaritia; et per illud, *villam emi,* superbia vitae, vel ambitio saeculi. Praeterea, in his tribus, cerni potest

([1]) Matth., xxi. 31.

idipsum quod supra dictum est, in parabola de seminatore (1), scilicet, bonum semen a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitae suffocari atque impediri ne referant fructum.

IV. — *Utrum qui sunt extra Ecclesiam compellendi sint in eam intrare?*

Resp. Qui sunt extra Ecclesiam compellendi non sunt in eam intrare coactione absoluta, quia sic liberum arbitrium cogi non potest, nec Deus in coactis obsequiis sibi complacet: mediis tamen inductivis licet uti, puta promissione bonorum etiam temporalium, vel liberationis a gravaminibus et taxis, ut scilicet homo ex nolente fiat volens. Quocirca, cum de prioribus dictum esset: *Introduc huc*, de posterioribus dicitur: *Compelle intrare:* prius enim misit Dominus Apostolos, qui quasi piscatores, nulla coactione adhibita, homines sua praedicatione, velut retibus, pisces caperent; postea vero misit venatores, id est principes christianos et religiosos, qui, legibus constitutis, infideles quodammodo compulerunt intrare in Ecclesiam (2).

V. — *Quotuplici modo nos Deus ad coenam suam vocat?*

Resp. Multiplici modo: nempe, aliquando per se, aliquando per Angelos aut per Patres; interdum per miracula, interdum per flagella; modo per mundi prospera, modo per adversa: unde, concludit Ven. Beda (3): *Nemo contemnat, ne dum vocatus excusat, cum voluerit intrare, non valeat.*

VI. — *Utrum verba:* DICO AUTEM VOBIS, *etc., sint patrisfamilias de quo in parabola; vel potius Christi Domini?*

Resp. Haec verba sunt Christi Domini, qui in sua persona nunc loquitur: *Dico autem vobis.* Hinc quippe evidens est quod coenam recusantes, patrisfamilias coenam non erant gustaturi; illinc vero Christus, parabolam applicans, contestatur eos, qui per excusatores illos parabolicos significantur, hac poena mulctandos, scilicet ab eius coena, id est a gaudiis Paradisi, exclusum iri (4).

(1) Luc., VIII, 14. Supra. Sect. XCVIII. – (2) Estius. – (3) In Luc. Ev., c XIV, . IV. — (4) Ibid.

SECTIO CXCIII.

(L. XIV, 25-35).

Argumentum. — *Docet Dominus quid facere homines debeant, ut sui sequaces esse mereantur: quem in finem triplicem recitat parabolam: primam, volentis turrim aedificare; secundam, volentis bellum gerere, qui ambo computare prius debent sumptus necessarios; tertiam, salis, quod si evanuerit, foras mittetur.*

Ratio Sectionis. — Cum pro huius Sectionis documentis, nec tempus nec locus in Scriptura assignentur, deficiente in contrarium ratione, eo ordine commode referuntur, quo ea tradit S. Lucas, scilicet post convivium in domo pharisaei. Equidem, similia passim, tum apud S. Matthaeum *, tum apud S. Marcum **, Salvator invenitur suis sequacibus inculcasse: at dubitandum non est eum voluisse tanti momenti documenta pluries repetere, maxime cum etiam apud ipsum S Lucam, alibi *** his similia de cruce ferenda legantur, demptis tamen parabolis ****.

(*a*) IBANT autem turbae multae cum eo [1]; et conversus dixit ad illos: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus* [2]. *Et qui non baiulat crucem suam, et venit post*

(*a*) L. XIV, 25-35.

[1] Eloquentia praedicationis Christi, eminentia miraculorum eius, morum facilitate ac suavitate, vultus quoque venustate, turbae ad eum facile attrahebantur.

[2] Licet proximos nostros, maxime coniunctos, diligere debeamus, atque eis optare et imprecari bona naturae, gratiae et gloriae; tamen ubi agitur de Dei amore divinoque servitio, non eis consentire debemus, si quando nos ab aeterna salute aut a profectu in virtutibus retrahere nituntur. Sumitur hic causa pro effectu: nimirum, erga parentes et propinquos, qui hominis sanctificationi obsunt, ita ille se gerere debet, ac si eos odio prosequeretur, scilicet eorum devitet consortium. Amor quoque, quo nos-

* x, 38; XVI, 24. — ** VIII, 34. — *** IX, 23. — **** Cf. supra, Sect. CX, p. 137, et CXXXVII, p. 270.

me, non potest meus esse discipulus [3]. *Quis enim ex vobis volens turrim aedificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum* [4]; *ne postea-quam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo coepit aedificare, et non potuit consummare* [5]? *Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin, adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea quae pacis sunt* [6]. *Sic*

ipsos prosequimur, odio coniungi debet, tum relate ad deordinatas nostras passiones, tum relate ad poenas quibus, ob admissa scelera, iuste subiacemus. — *Animam suam,* τὴν ψυχὴν ἑαυτοῦ, id est inferiorem animae partem, quae est subiectum passionum, quas homo christianus vincere debet et iugo Christi submittere.

[3] Christi discipulus esse nequit, qui seipsum minime mortificat, et caelestem Magistrum in sedulo virtutum, maximae caritatis, exercitio non imitatur. *Baiulare etenim crucem,* ait Ven Beda ([1]), *et post Dominum ire, est vel carnis abstinentiam, vel compassionem proximo pro studio aeternae intentionis exhibere.*

[4] *Turris,* graece πύργος, quo nomine significatur etiam *arx* vel *castellum,* aut *aedificium alte assurgens:* quo quidem perfectio evangelica apte significatur. — *Si habeat ad perficiendum,* graece, εἰ ἔχει εἰς ἀπαρτισμόν, id est, ea quae ad perfectionem, seu consummationem requiruntur: etenim ἀπαρτίζειν significat rem ita perficere, ut nihil omnino desit.

[5] Docet Christus, parabola ista, hominem christianum, dum vitam spiritualem aggredi meditatur, prius debere attente considerare quaenam ab eo requirantur, ut usque in finem in recta via perseveret; quatenus ex hac consideratione, operi perficiendo provideat, ne adversarius diabolus, animarum nostrarum ruinam sitiens, laetificetur, dum Christi discipulum cernit negligentem, mentis custodiam deserentem et mundanas consolationes ultra fas exquirentem.

[6] Confirmatur hac parabola doctrina in parabola praecedenti contenta. Ubi tamen primo advertendum est, cum diabolo numquam nos pacem inire debere, ut ille ab impugnatione desistat; numquam, enim cum Dei adversario convenire debemus. Itaque, contra principem huius saeculi pugnaturi, proprias

([1]) In cap. XIV Luc., l. IV.

ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus [7]. *Bonum est sal* [8]. *Si autem sal evanuerit, in quo condietur? Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur* [9]. *Qui habet aures audiendi, audiat* [10].

vires perpendere debemus; cum autem perspectum habuerimus non posse nos propriis viribus in aciem descendere, ad Dei auxilium nobis confugiendum erit. — Per *regem*, contra quem homo contendit, potest etiam intelligi Deus, contra quem pugnare praesumptuosum est: unde sanius consilium est illum, adhuc longe positum, id est, cum adhuc hac vita fruimur, bonis nostris operibus placare. *Mittamus legationem, lacrymas nostras*, ait Ven. Beda ([1]); *mittamus misericordiae opera; mactemus in ora eius hostias placationis. Haec est nostra legatio, quae regem venientem placat.*

[7] Qui affectum carnalium cupiditatum, quae profectum in virtutibus impediunt, non abiecerit, meus discipulus vere et realiter dici nequit, quia meae doctrinae non acquiescit. — Notanda est vis graeci textus: πᾶσιν τοῖς ἑαυτοῦ ὑπάρχουσιν, id est *omnibus quae sunt eius*, ut comprehendantur pater, mater, uxor, etc. Ex his patet, quantum opus sit, quam arduum et difficile negotium, vivere christiano more, et quantum homo divino egeat auxilio, ad tantum opus perfecte complendum.

[8] Tertia haec est parabola, quae ad viros apostolicos specialiter spectat, cuilibet tamen homini christiano potest aptari, quatenus vitae suae innocentia et bono exemplo ceteros condire debeat.

[9] Si sal evanuerit, μωρανθῇ, scilicet fatuum vel insipidum factum fuerit, quo alio sale poterit priorem vim recuperare? Id est si praedicator aut homo christianus vitiosa aliqua affectione corrumpatur in mente, ineptus erit qui aliorum corda condiat, et tanquam res inutilis proiicietur foras. Corruptum enim sal, ait Ven. Beda ([2]), *neque in terram utile est, cuius iniectu germinare prohibetur, neque in sterquilinium agriculturae profuturum, quod vivacibus licet glebis immixtum non fetare semina frugum, sed exstinguere solet.* Quod maxime verum est de apostatis, de quibus agunt S. Petrus ([3]), et S. Paulus ([4]).

[10] Vult Christus, brevi hoc epilogo, nos attentiores reddi, ut rite perpendamus quam gravis, quam difficilis sit res quam proposuit, et quanta diligentia accingere nosipsos debeamus, ad illam perfecte opere perficiendam ([5]).

([1]) Loco cit. — ([2]) L. c. — ([3]) 2 Ep., II, 22. — ([4]) Hebr., VI, 4; X, 26. Cf. supra, Sect. CXLVII, n. 10, p. 325. — ([5]) Cf. supra, VIII, 8, Sect. XCVI, n. 3, p. 72.

QUAESTIONES.

I. — *Quaenam, ex hic traditis, assignari possunt conditiones, ut quis ad Christi discipulatum admittatur?*

Resp. Primo, debet amorem propinquorum subordinare amori Christi; secundo, crucem suam portare; tertio, animi fortitudinem habere in computandis laboribus quos perferre debeat; quarto, bonis huius vitae abrenuntiare; quinto, spiritum prudentiae, in discernendo bona a malis: quibus Dominus eloquenter nos admonet quam longe sit regnum suum ab illo temporali regno quod Iudaei somniabantur.

II. — *Utrum Christi verba:* SI QUIS VENIT AD ME, ET NON ODIT PATREM SUUM, *etc., contineant praeceptum an consilium?*

Resp. Verba praefata, diverso modo intellecta, continent et praeceptum et consilium. Est enim praeceptum, quantum ad hoc ut affectus carnales, caritati contrarios, penitus abiiciamus, et ut praefatas vitemus personas, in quantum nos ab impletione divinorum praeceptorum impedire nituntur. Pariter, in praecepto est id quod de odio nostri dicitur, in quantum carnem cum vitiis et concupiscentiis crucifigere debemus. Si vero intelligatur abiectio praedictarum personarum, etiam quantum ad id quod causa nobis esse possunt retardationis in amore divino, qua de causa illas relinquimus, vitam religiosam amplectentes, tunc solum consilium est.

III. — *Utrum, per regem, contra quem nobis pugnandum est, intelligatur diabolus, an Deus?*

Resp. Per accommodationem, aliqui utrumque intelligunt: nimirum, contra diabolum nos ad perditionem pertrahere nitentem, vere pugnare debemus armis iustitiae; Deum autem, cum in peccato sumus, quasi adversarium in via habemus (1). At, proprie, nec unus, nec alter intenditur: non diabolus, qui nobis gratia munitis, fortior non est, et quocum nullam debemus amicitiam inire; non Deus qui certe, dum vita praesens sospes manet, nulli hominum vere inimicus existit, cum etiam peccatores velit salvari. Quocirca dicendum, exemplum hoc, sicut praecedens et subsequens, ad metaphoram pertinere; nec aliud proprie efferendum, nisi ante quodcumque grave negotium, omnia probe perpendenda esse, ne grave nobis damnum obveniat.

(1) Cf. Matth., v, 25. Supra, Sect. XLVII, n. 10. Vol. I, p. 296.

IV. — *Quomodo triplex parabola hic posita ad vitam religiosam referri potest?*

Resp. Primo, parabola de turri aedificanda apte ad vitam religiosam significandam refertur, in qua homo contemplationi imprimis deditus esse debet, cuius symbolum turris est, quae est aedificium altum et excelsum, caeteris aedificiis supereminens, ex quo prospici et caveri possunt inimicorum incursus. Pariter, parabola de bello adversus regem ineundo, religiosus homo admonetur, certare se viriliter debere, studio vitae perfectioris quam amplexus est, contra proprias cupiditates et vitia, ne tanto miserius deiiciatur, quanto altiorem amplexus est statum. Denique, parabola de sale admonetur vir regularis, debere se cavere ne unquam fiat insulsus, per amissionem spiritus fidei et sapientiae evangelicae, et sic ad nihil amplius valeat, nisi ut ab hominibus vel ab Angelis sanctis contemnatur et velut conculcetur.

V. — *Cur Christus iussit hominem religiosum a parentum consortio se subtrahere, cum ipse in vita sua mortali cum Matre sua conversatus fuerit?*

Resp. Nihil erat in consortio Beatae Virginis, quo posset Iesus a sua missione ullo modo impediri, cum illa eius beatissima Mater tota pulcra, tota sancta esset; et tamen, adventante tempore vitae suae publicae, Dominus Nazarethanam domum reliquit, et deinceps cum discipulis suis conversaturus; in quo quidem viris religiosis validum praebuit exemplum, quo debeant se a parentum consortio expedire; etenim, non solum Apostolis inspiravit ut, cum ei adhaerere coeperunt, relinquerent omnia, sed ipsemet suavi societate Immaculatae suae Matris sese ultro privavit.

CONCORDIA
QUATUOR EVANGELIORUM

INDEX SECTIONUM

PARS IV.

A secundo Paschate vitae publicae Iesu Christi Domini nostri usque ad tertium Pascha.

Sectio		Mt.	Mc.	L.	I.	PAG.
LXXXII	Curatio paralytici ad probaticam piscinam	—	—	—	V, 1-9	1
LXXXIII	Quaerunt Iudaei Iesum interficere	—	—	—	V, 10-18	8
LXXXIV	Iesus Iudaeos palam edocet se verum Deum et hominem esse, qui iudicat mundum	—	—	—	V, 18-30	12
LXXXV	Testatur Iesus Ioannem, opera sua, imo Deum ipsum sibi testimonium perhibuisse	—	—	—	V, 31-38	17
LXXXVI	Exprobrat Dominus Iudaeos, quod nec prophetis crediderint	—	—	—	V, 39-47	21
LXXXVII	Discipulos spicas sabbato ad cibum carpentes Dominus benignus excusat.	XII, 1-8	II, 23-28	VI, 1-5	—	25
LXXXVIII	Manum aridam sabbato sanat Dominus	XII, 9-13	III, 1-5	VI, 6-11	—	31
LXXXIX	Iesus a pharisaeis ad necem quaesitus secedit ad mare	XII, 14-21	III, 6-12	—	—	36
XC	Daemoniacum caecum et mutum curat Dominus, hunc autem sui dicunt in furorem versum fuisse .	XII. 22-24	III, 20-22	XI, 16	—	41

Sectio		Mt.	Mc.	L.	I.	PAG.
XCI	Confutat Dominus pharisaeorum blasphemiam .	XII, 25-30	III, 23-27	XI, 17-23	—	46
XCII	Redarguit Dominus proferentes blasphemias in Spiritum Sanctum necnon verba otiosa	XII, 31-37	III, 28-30	—	—	51
XCIII	Christus Iudaeis praedicit dandum esse eis signum Ionae prophetae, eosque convincit exemplo reginae Austri	XII, 38-42	—	XI, 29-32	—	55
XCIV	Dominus Iudaeos edocet, quis sit oculus simplex, et quomodo diabolus hominem pervertat . . .	XII, 43-45	—	XI, 33-36 24-26	—	60
XCV	Beati a Christo praedicantur, qui verbum Dei audiunt et custodiunt . .	XII, 46-50	III, 31-35	VIII, 19-21 XI, 27-28	—	65
XCVI	Recitat Iesus parabolam seminantis	XIII, 1-9	IV, 1-9	VIII, 4-8	—	70
XCVII	Explicat Dominus cur in parabolis loquatur. . . .	XIII, 10-17	IV, 10-12	VIII, 9-10	—	74
XCVIII	Seminantis parabolam Dominus discipulis suis commentatur	XIII, 18-23	IV, 13-20	VIII, 11-15	—	80
XCIX	Lucerna sub modio non tenenda, et parabola de semine ultronee fructificante	—	IV, 21-29	VIII, 16-18	—	85
C	Proponit Dominus parabolam de zizaniis	XIII, 24-30	-	—	—	90
CI	Parabolae de grano sinapis et de fermento	XIII, 31-35	IV, 30-34	XIII, 18-21	—	94
CII	Explicat Dominus parabolam zizaniorum	XIII, 36-43	—	—	—	99
CIII	Parabolae de thesauro abscondito, de inventa pretiosa margarita et de sagena missa in mare . .	XIII, 44-52	—	—	-	103

Sectio		Mt.	Mc.	L.	I.	PAG.
CIV	Christus Dominus praedicat in civitate sua Nazareth	XIII, 53-57	VI, 1-3	IV, 16-22	—	107
CV	Iesus suos concives redarguit, et ab eisdem quaeritur ad necem.	XIII, 57-58	VI, 4-6	IV, 23-30	—	114
CVI	Mittit Iesus prima vice Apostolos ad praedicandum regnum Dei	X, 1; 5-8	VI, 7	IX, 1-2	—	119
CVII	Discursus Christi ad Apostolos. — Prima pars: docet eos paupertatem sequi, afferre pacem	X, 5; 9-15	VI, 8-11	IX, 3-5	—	123
CVIII	Secunda pars: docet Christus Apostolos veram prudentiam; fiduciam in Deo; patientiam in persecutionibus	X, 16-25	—	—	—	128
CIX	Tertia pars: non sunt timendi qui occidunt corpus: Christus eum in caelis confitebitur, qui se in terris fuerit confessus. .	X, 26-33	—	—	—	133
CX	Quarta pars: non venit Christus pacem mittere, sed gladium; qui vero Apostolos recipit, ipsum Christum recipit . . .	X, 34-42	—	—	—	137
CXI	Concreditam sibi missionem Apostoli primum exequuntur	XI, 1	VI, 12-13	IX, 6	—	141
CXII	S. Ioannes Baptista, iubente Herode, decollatur in carcere	XIV, 6-13	VI, 21-29	—	—	145
CXIII	Apostoli, a praedicatione reversi, in desertum locum cum Iesu secedunt.	XIV, 13	VI, 30-33	IX, 10-11	VI, 1-3	151
CXIV	Herodes perplexus haeret, quisnam sit Iesus . . .	XIV, 1-2	VI, 14-16	IX, 7-9	—	156
CXV	Iubet Dominus Apostolis suis ut ingentem turbam, quae ipsum fuerat secuta, pascant.	XIV, 14-17	VI, 34-38	IX, 11-13	VI, 4-9	160

Sectio		Mt.	Mc.	L.	I.	pag.
CXVI	Primam panum et piscium multiplicationem Dominus misericorditer operatur	XIV, 18-21	VI, 39-44	IX, 14-17	VI, 10-13	165
CXVII	Fugit Christus in montem solus, ne rex constituatur	XIV, 22-23	VI, 45-46	—	VI, 14-15	170
CXVIII	Orta tempestate, Apostoli vident Iesum ambulantem super aquas . . .	XIV, 24-26	VI, 47-50	—	VI, 16-19	174
CXIX	Petrus super aquas ambulat, quem incipientem mergi mirabiliter salvat Dominus	XIV, 27-33	VI, 51-51	—	VI, 20-11	178
CXX	Christus cum Apostolis percurrit terram Genesareth, infirmos ubique sanans .	XIV, 34 36	VI, 53-56	—	—	182
CXXI	Sermo Christi eucharisticus. — Prima pars: docet Dominus Iudaeos operari debere cibum qui permanet in vitam aeternam	—	—	—	VI, 22-27	185
CXXII	Secunda pars: declarat Christus se esse panem de caelo verum, qui dat vitam mundo.	—	—	—	VI, 28-40	189
CXXIII	Tertia pars: excludit Iesus Iudaeorum murmurationes	—	—	—	VI, 41-47	194
CXXIV	Quarta pars: promittit Christus se daturum hominibus carnem et sanguinem suum in cibum et potum	—	—	—	VI, 48-60	198
CXXV	Scandalum multorum ex discipulis; Petri splendida fidei confessio; Iudae proditionis praedictio . . .	—	—	—	VI, 61-72	205

PARS V.

A tertio Paschate vitae publicae Iesu Christi Domini nostri, usque ad Festum Encaeniorum illi Paschati subsequens.

Sectio		Mt.	Mc.	L.	I.	PAG.
CXXVI	Pharisaei et scribae discipulos vituperant, quod non lotis manibus manducent	XV, 1	VII, 1-4	—	VII, 1	211
CXXVII	Pharisaeos Iesus redarguit quod, pro suis traditionibus observandis, divinas leges violent	XV, 2-9	VII, 5-13	—	—	215
CXXVIII	Docet Dominus verum hominis malum a corde procedere.	XV, 10-20	VII, 14-23	—	—	220
CXXIX	Chananaea mulier filiae suae incolumitatem a Iesu impetrat	XV, 21-28	VII, 24-30	—	—	225
CXXX	Surdum et mutum, aliosque infirmos misericorditer sanat Dominus.	XV, 29-31	VII, 31-37	—	—	231
CXXXI	Septem panem et paucos pisciculos in quatuor hominum millia multiplicat Dominus	XV, 32-38	VIII, 1-9	—	—	236
CXXXII	Promittit Iesus se Iudaeis daturum signum Ionae prophetae.	XV, 39; XVI, 1-4	VIII, 10-13	—	—	241
CXXXIII	Iubet Iesus discipulos cavere a fermento pharisaeorum, sadducaeorum et Herodis	XVI, 5-12	VIII, 14-21	—	—	245
CXXXIV	Caecum Bethsaidae Iesus sensim curat	—	VIII, 22-26	—	—	250
CXXXV	Petrus de Christo splendidam edit fidei confessionem, eique Dominus primatum promittit . . .	XVI, 13-20	VIII, 27-30	IX, 18-21	—	254
CXXXVI	Praedicit Iesus suam passionem, mortem et resurrectionem	XVI, 21-23	VIII, 31-33	IX, 22	—	265

Sectio		Mt.	Mc.	L.	I.	PAG
CXXXVII	Docet Christus ferendam esse crucem, et spernendam vitam, ob sui amorem	XVI, 24 28	VIII, 34 39	IX, 23-27	—	270
CXXXVIII	Christi gloriosa transfiguratio.	XVII, 1-9	IX, 1-9	IX, 28-36	—	275
CXXXIX	Discipulorum de Elia interrogatio.	XVII, 10-13	IX, 10-12	—	—	285
CXL	Puero lunatico, surdo et muto, sanitatem Christus restituit.	XVII, 14-17	IX, 13-26	IX, 37-44	—	289
CXLI	Declarat Iesus quanta sit fidei praestantia. . . .	XVII, 18-20	IX, 27-28	XVII, 5 6	—	297
CXLII	Passionem, mortem et resurrectionem suam Christus denuo praedicit . .	XVII, 21-22	IX, 29-31	IX, 44-45	—	302
CXLIII	Didrachma solvi iubet Christus pro se et Simone .	XVII, 23-26	—	—	—	306
CXLIV	Orta contentione de praelatione inter Apostolos, Iesus humilitatis documenta praebet	XVIII, 1 5	IX, 32-36	IX, 46-48	—	310
CXLV	Docentur Apostoli debere se servos inutiles existimare	—	—	XVII, 7-10	—	316
CXLVI	Iubet Dominus exorcistam extraneum non esse prohibendum	—	IX, 37-40	IX, 49-50	—	319
CXLVII	Docet Christus quam grave sit peccatum scandali, et quam bonum sit sal . .	XVIII, 6 9	IX, 41-49	XVII, 1-2	-	323
CXLVIII	Docet Dominus pusillos non esse contemnendos et parabolam de ove perdita proponit	XVIII, 10-14	—	—	—	328
CXLIX	Agit Christus de fraterna correctione, de clavium potestate ac de efficacia orationis communis . .	XVIII, 15-20	—	—	—	332

Sectio		Mt.	Mc.	L.	I.	PAG.
CL	De iniuriarum condonatione edisserit Dominus, proposita parabola de rege, cum servis rationem ineunte.	XVIII, 21-35	—	XVII, 3-4	—	337
CLI	Reprehendit Iesus Iacobum et Ioannem, ignem in Samaritanos elicere volentes	XIX, 1	X, 1	IX, 51-56	VII, 2	344
CLII	Ascendit Iesus quasi in occulto Hierosolymam ad diem festum Scenopegiae	XIX, 1	—	—	VII, 3-10	349
CLIII	Decem virorum leprosorum sanatio	—	—	XVII, 11-19	—	354
CLIV	Die festo mediante, ascendit Iesus in templum et docet	—	—	—	VII, 11-29	359
CLV	Quaerunt Iudaei Christum apprehendere	—	—	—	VII, 30-36	365
CLVI	Promittit Iesus se daturum Spiritum Sanctum. . .	—	—	—	VII, 37-44	369
CLVII	Ministri a pharisaeis ad capiendum Iesum missi, et Nicodemus, illum defendens, male ab eisdem tractantur	—	—	—	VII, 45-53	373
CLVIII	Mulieris in adulterio deprehensae Iesus patrocinium benignus suscipit .	—	—	—	VIII, 1-11	377
CLIX	Dicit Christus se esse lucem mundi, seque testimonium de seipso rite perhibere	—	—	—	VIII, 12-20	382
CLX	Docet Dominus quanta sit necessitas fidei in seipsum	—	—	—	VIII, 21-30	387
CLXI	Docet Iesus hominem veritate liberum effici . . .	—	—	—	VIII, 31-38	391
CLXII	Declarat Iesus Iudaeos non Abrahae, sed diaboli filios esse.	—	—	—	VIII, 39 47	395

Sectio		Mt.	Mc.	L.	I.	PAG.
CLXIII	Excludit Iesus turpem Iudaeorum calumniam, scilicet, se a daemonio possideri	—	—	—	VIII, 48 59	400
CLXIV	Homini caeco a nativitate Iesus visum restituit . .	—	—	—	IX, 1-7	405
CLXV	Cum narrasset caecus quomodo visum recuperaverat, Christum ut prophetam agnoscit.	—	—	—	IX, 8-17	410
CLXVI	Parentes caeci nati, ob Iudaeorum timorem, dicere recusant a quo ille sanatus fuerat.	—	—	—	IX, 18-23	414
CLXVII	Caecus a Christo sanatus illum tamquam Filium Dei agnoscit et adorat .	—	—	—	IX, 24-38	417
CLXVIII	Parabolam proponit Iesus de bono pastore, quatenus a fure distinguitur . . .	—	—	—	IX, 39-41 X, 1-10	422
CLXIX	Christus se bonum esse pastorem inculcat, a mercenario plane distinctum	—	—	—	X, 11-21	427
CLXX	Missio septuaginta duorum discipulorum	—	—	X, 1-12	—	433
CLXXI	Improperat Dominus civitatibus Corozain, Bethsaidae et Capharnaum . .	XI, 20-24	—	X, 13-16	—	439
CLXXII	Septuaginta duo a missione laeti revertuntur . . .	—	—	X, 17-20	—	445
CLXXIII	Docet Iesus Christus discipulos, iugum suum suave esse, atque onus leve, beatosque praedicat oculos videntes quae discipuli videbant	XI, 25-30	—	X, 21-24	—	449
CLXXIV	Recensito praecepto de dilectione Dei et proximi, proponit Iesus parabolam boni Samaritani. . . .	—	- -	X, 25-37	—	456

Sectio		Mt.	Mc.	L.	I.	PAG.
CLXXV	Iesus in domo Marthae exceptus, eam docet unum esse necessarium . . .	—	—	X, 38-42	—	463
CLXXVI	Docet Dominus orandi modum orationisque perseverantis efficaciam. . .	—	—	XI, 1-13	—	469
CLXXVII	Reprehendit Christus pharisaeorum hypocrisim. .	—	—	XI, 37-44	—	476
CLXXVIII	In superbos legisperitos multiplex vae Dominus pronunciat.	—	—	XI. 45-54	—	481
CLXXIX	Tradit Dominus dilectis discipulis saluberrima spiritualis vitae documenta .	—	—	XII. 1-12	—	487
CLXXX	Docet Christus Dominus sedulo vitandam esse avaritiam	—	—	XII, 13-21	—	494
CLXXXI	Regnum Dei eiusque iustitia unice quaerenda . .	—	—	XII, 22-34	—	500
CLXXXII	Docet Dominus semper vigilandum	—	—	XII, 35-40	—	505
CLXXXIII	Discrimen assignat Christus inter dispensatorem fidelem et servum infidelem	—	—	XII, 41-48	—	509
CLXXXIV	Declarat Christus se venisse non pacem, sed separationem mittere in terram	—	—	XII, 49-53	—	514
CLXXXV	Monet Dominus tempus gratiae esse diiudicandum.	—	—	XII, 54-59	—	517
CLXXXVI	Docet Christus agendam esse poenitentiam ; parabola de ficu infructuosa .	—	—	XIII, 1-9	—	520
CLXXXVII	Sanat Iesus sabbato mulierem incurvatam	—	—	XIII, 10-17	—	525
CLXXXVIII	Sermo de parvo salvandorum numero	—	—	XIII, 22-30	—	529

Sectio		Mt.	Mc.	L.	I.	PAG.
CLXXXIX	Mortem suam et Hierosolymae eversionem Salvator praedicit	—	—	XIII, 31-35	—	534
CXC	Hominem hydropicum Iesus sanat in sabbato . .	—	—	XIV, 1-6	—	539
CXCI	Docet Christus ultimum locum esse captandum, et pauperes ad coenam esse invitandos	—	—	XIV, 7-14	—	541
CXCII	Proponit Dominus parabolam de coena magna, a qua triplex hominum classis se excusat	—	—	XIV, 15-24	—	547
CXCIII	Parabolae de volente turrim aedificare, de volente bellum gerere et de sale	—	—	XIV, 25-35	—	552

INDEX ANALYTICUS

VOLUMINIS II

CONCORDIAE QUATUOR EVANGELIORUM

alphabetico ordine digestus

A

Abel, propheta et martyr, 484.
Abiathar, 27.
Abraham, a Christo laudatus, 395; per spiritum prophetiae cognovit Christum venturum, 402; quomodo vidit diem Christi, 403.
Accusatus, non condemnandus, nisi audiatur, 374.
Achimelech, 30.
Admonitio, in correctione fraterna, 334.
Adulterium, quomodo in Lege punitum, 378.
Adventus Christi furi comparatus, 506; 508.
Adversarius, quomodo quis ab eo se liberare debeat, 518.
Afflictiones non omnes sunt poena peccati personalis, 408.
Aïn Gannim, 354.
Alimentum convertitur in substantiam aliti, 224.
Ambitio, impedimentum ne quis coenae Dei intersit, 548.
Ambrosius, S., circa invidos, 116; praedicatores, 124; fortitudinem, 133; 135; saltatricem filiam Herodiadis, 147; decollationem S. Ioannis Baptistae, 148; verba Christi, *vade post me*, 268; parvulorum simplicitatem, 315; spiritum ultionis condemnat, 346; excusat Iacobum et Ioannem, 347; circa hospitalitatem, 545.
Ambulare, sensus huius vocis, 536.
Amor, virtus unitiva, 179.
Anacoluthon, vitium orationis, 470.
Andreas Apostolus, circa nutritionem turbae in deserto, 163.
Angelus, ad probaticam piscinam, 2; eius descensus, quid significet, 6; executor divini iudicii, 100; 104; custos, 328; unicuique datur, 329; angeli custodes sunt ex ministrantibus, 330; semper vident Deum, 330.

Anima indiget sustentari corpore Christi, 199; sedem proprie non habet, 224; quam sit pretiosa, 271.

Ἀντάλλαγμα, 272.

Archisynagogus, indignabundus quod Iesus in sabbato curasset, 527.

Apostoli, Christum prope videbant, 76; missi a Christo ad praedicandum, 119; potestatem miraculorum acceperunt, 121; debuerunt esse perfectionis exempla, 123; non sunt vetiti pecuniam habere, 126; missi ut oves in medio luporum, 128; quaenam passuri forent, 129; in medio luporum missi, 131; instrumenta Spiritus Sancti, 131; merces illos recipientium, 139; praedicationem fulciebant curationibus, 142; oleum, tanquam medicamentum, non adhibuerunt, 143; a Christo ad quiescendum invitantur, 151; tempus manducandi non habebant, 152; qualem potestatem eis collatam voluit Christus, 164; crediderunt in divinitatem Christi, 181; potestatem ligandi atque solvendi habuerunt, 263; Christum de Elia sciscitantur, 287; fidei augmentum postulant, 298; quomodo ignorabant verbum Christi de eius passione, 304; a tributo solvendo liberi, 309; contendentes de praelatione, 311; qualem potestatem ligandi et solvendi habuerunt, 336; repulsae sustinendae assuefieri debebant, 347; quomodo sunt lux mundi, 387.

Aqua viva, significat fluenta caelestis doctrinae, 370.

Aristio, 437.

Aristoteles, circa fortitudinem, 135.

Arundo quassata, 40.

Ἄρχοντες, 541.

Ascensio Christi in caelum, relate ad eius praesentiam in Eucharistia, 209.

Ἀσσάριον, 489.

Assumptio, mors Christi sic dicta, 344.

Athanasius, S., insidias arianorum declinavit, 36.

Augustinus, S., circa iustificationem, 3; Dei requiem, 11; meritum Mariae, 67; praesentiam malorum in Ecclesia, 91; haereticos, 102; miracula Christi, 154; fidem in Deum, 187; quaestionem Iudaeorum: *quid faciemus,* etc., 192; diversam sortem Pharaonis et Nabuchodonosor, 197; unionem cum Christo, 199; Christi promissionem de Eucharistia, 201; explicat quomodo homo a Deo trahatur, 207; circa hoc nomen, *Ecclesia,* 258; correctionem fraternam, 335; dimissionem iniuriarum, 338; debita nostra apud Deum, 339; circa historiam mulieris in adulterio deprehensae, 380; incredulitatem Iudaeorum, 396; responsionem caeci nati, 418; ostium ovilis, 424; circa verba Christi: *Discite a me,* 453; orandi modum, 471; orationem dominicam, 472; hereditatis divisionem, 497; humilitatem poenitentis, 522; hydropicum, 541.

Avaritia, radix malorum, 495; 498; eius species, 498; impedimentum ne quis coenae Dei intersit, 548.

B

Banaias, 254.
Baptisma, quo Christus erat baptizandus, 514; diversae eius species, 515.
Baptizatio Christi, relate ad eius transfigurationem, 283.
Bar-Iona, 257.
Barnabas, 437.
Beda, S., Ven., laudat mulierem quae Mariam beatam praedicavit, 65; circa Mariae sanctitatem, 67; virtuositatem fidei, 298; apostolos Iacobum et Ioannem, 347; circa pusillum gregem electorum, 504; vulpem, 334; convivia, 546; Dei vocationem, 551; crucis baiulationem, 553; legationem nostram, 554; corruptum sal, 554.
Beelzebub, 42; 130; 132.
Berna in synagogis. 478;
Benefacere, quid sit, 34; etiam in Veteri Testamento praeceptum, 546.
Bernardus, S., circa scandalum, 221; circa vitam contemplativam 464.
Bestiae, iura non habent, 33.
Bethsaida, Probatica piscina sic dicta. 2; Iulias, 154; patria Petri et Andreae, 170; 185; 250; 252; 439; 442.
Birket Israîn, 2.
Blasphemia in Spiritum Sanctum, 51.
Boanerges, 346.
Bona temporalia, quomodo de eis disponendum, 302.

C

Caecus a Christo sanatur, 250; gradatim, 253; caecus a nativitate sanatur, 400; primo credidit Christum esse prophetam, 412; eius responsiones plenae sapientia, 418; expellitur e synagoga, 419; Iesum ut verum Deum adorat, 420.
Caelum empyreum et Sanctissimae Trinitatis, 447.
Caesarea Philippi, 254;
Calix aquae datus in nomine Christi, 320.
Calvinus, circa Petrum ambulantem super aquas, 178.
Capharnaitae hodierni, 206.
Capharnaum, 184, 186; a Christo reprehensa, 440; 443.
Caritas, quis ordo in ea servetur, 138; quomodo augetur, 140.
Caro, Christi, quomodo nos vivificet, 209; et sanguis, hominem carnalem significat, 257.
Castitas specialiter commendata, 507.
Cephas, 437.
Chanaan, pro peccato patris maledictus, 486.

Chananaea, mulier, 225 ; ob suam fidem a Christo dilaudatur, 227 : Christum adoravit, 229; eius virtutes, 230.

Christianus, quale opus perficere debeat, 189.

Christus, praebuit exemplum obedientiae, 2; paralyticum sanat ad Probaticam piscinam, 4; cur praeceperit paralytico ut sabbato stratum deferret, 10; opera Dei facit, 12; eius divinitas, 13; iudex hominum, 14; testimonium habuit a Ioanne Baptista, a suis operibus et a Patre, 18; pro omnibus, quoad sufficientiam oravit, 19; honorandus, ut Deus, et ut homo, 21; discipulos spicas vellentes excusat, 26; quomodo do minus sabbati, 28; solo imperio sanabat, 33; contra pharisaeos iratus, 34; ad necem quaesitus, 34, 36; naviculam ad praedicandum selegit, 37 39; vetat ne benefacta sua divulgentur, 37; cur nominatus *puer,* 38; eius mansuetudo, 39; a cognatis dicitur versus in furorem, 42; confutat pharisaeos blasphemantes, 46; promittit se daturum signum Ionae, 56; quomodo fuit in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus, 58; edisserit quae sit mater eius et eius fratres, 66; docebat tanquam potestatem habens, 71; est seminator principalis, 71; 94; cur in parabolis loqueretur, 74; in occulto nihil docuit, 79; doctrinam suam scripto non tradidit, 98; in patria sua Nazareth, 107; unctus in sacerdotem, prophetam et regem, 108; eius verba, verba gratiae, 109; artem exercuit fabri lignarii, 111; neci a Nazarethanis quaeritur, 116; per medios concives illaesus transiit, 117; mittit discipulos suos praedicatum, 119; eius ad Apostolos discursus, 123; se nominat patrem familias, 130; homines propinquos, quomodo separet, 139; Apostolis tempus quiescendi concedit, 151; creditur Baptista redivivus, 157; magna caritate humiles suscipiebat, 161; quomodo tentavit Apostolos, 162; multiplicat panem et pisces, 165; fuit vere propheta, 171; in montem secessit, 172; rex spiritualis, 173; quomodo super mare ambulavit, 177; eius miracula in sedanda procella, 181; sanabat quotquot illum tangebant, 183; a Patre signatus, 188; Iudaeos instruit de Eucharistia, 190; murmurationes prohibet, 194; homines ad vitam potest revocare, 195; nostra resurrectio, 197; panis vitae, 198; eius caro verus cibus, eius sanguis verus potus, 200; quomodo praesens in Eucharistia, 207; timorem assumpsit, 211; tertium pascha Hierosolymis celebravit, 213; minister circumcisionis. 227; gentibus etiam praedicavit, 229; eius humanitas, instrumentum divinitatis, 232; cur ingemuit, 234; eius cordis misericordia, 236; panem denuo multiplicat, 238; ingemiscit super caecitate Iudaeorum, 243; sanat caecum, 250; interrogat discipulos, quem homines illum dicerent, 255; promittit Petro soli claves regni caelorum daturum, 258; quo pacto prohibuit suam divinitatem proclamari, 259; cur solus oravit, 260; quomodo dictus Ioannes Baptista, 260; Ieremias, 261; praedicit suam passionem, 265; severe increpat Petrum, 266; abnegationem docet, 270; a nobis imitationi habendus, 274; coram tribus discipulis transfiguratur, 276; via, veritas et vita,

279; Iudaeos de incredulitate increpat, 291; curat lunaticum surdum et mutum, 293; quiete et dulciter operatur, 294; praedicit suam passionem et mortem, 303; 305; didrachma pro se et Petro solvi iubet, 306; a tributo solvendo liber, 307; 308; peramanter parvulum suscipit, 312; cur permisit Apostolos esse imperfectos, 313; qui non est cum eo, est contra eum, 322; iubet dimittere iniurias, 338; quomodo ascendit ad diem festum, 351; decem leprosos mundat, 354; de sua doctrina testimonium fert, 360; suam gloriam non quaerebat, 361; duplicem habet generationem, 363; scholas minime frequentavit, 363; quomodo dicitur non clamasse, 364; potuit plura miracula facere quam quae fecit, 367; perfectissimus propheta, 372; magna donatus facundia, 373; in monte Oliveti solebat commorari, 377; cur in terra scripsit, 381; quam benignus in peccatores, 380; se lucem appellat, 382; eius de se testimonium est verum, 383; seipsum commendare potuit, 385; vocat se principium, 388; missus a Patre, 388; obsequentissimus divinae voluntati, 389; veram libertatem attulit, 393; non quaesivit propriam gloriam, 401; suam aeternitatem asserit, 402; ad tempus assumpsit dotem subtilitatis, 404; lux mundi, 406; caecum a nativitate sanat, 406; elementa vilia adhibuit ad miraculum patrandum, 406; eius studium illuminandi caecum natum, 420; vocatur ostium, 424; per se, ad se, viam nobis aperit, 426; bonus pastor, 427; se pro daemoniaco haberi passus est, 429; quo pacto dicitur ostium et pastor, 430; honorandus in suis ministris, 441; virtutes patravit in Corozain et Bethsaida, 442; quomodo cognovit lapsum Luciferi, 445; asserit se mitem esse et humilem corde, 451; bonus samaritanus, 459; quo pacto Martham reprehendit, 465; orandi modum docuit, 469; cordium scrutator, 476; pharisaeos redarguit, 477; similiter legisperitos, 481; est ipsa sapientia Dei, 482; se negantes renegabit, 489; quomodo venit a nuptiis, 507; quanto patiendi desiderio tenebatur, 516; sabbato docere solebat, 525; mulierem incurvatam sanat, 526; adversarios suos pluribus modis convicit, 528; prophetat suam mortem, 535; se avi comparat, 535; quot miracula fecit in sabbato, 542; quomodo iubet discipulos parentes odio habere, 552; cur in vita mortali cum matre sua conversari voluit, 556.

Cibus, permanens in vitam aeternam, 187; spiritualis est Christus, 199; differt a cibo materiali, 201; delectus, 219; nullus de se malus est, 220; itinerantium in Oriente, 472.

Circumcisionis praeceptum, 362.

Claudianus, circa sanationem paralytici, 4.

Clavis, eius significatio in Scriptura, 258; 263.

Clavium potestatis commendatio, 357.

Coena magna, 547; quinam ab ea arcentur, 548; quinam ad eam compelluntur, 549; quid per eam intelligitur, 550.

Cognati Iesu, illum aiunt versum in furorem, 42.

Communicans manet in Christo, 200.

Concilium tridentinum, circa reservationem peccatorum, 259; possibilitatem adimplendi praecepta, 317; oecumenicum a Spiritu Sancto regitur, 334.
Confessio triplex, 452.
Contubernia, 166.
Convivia, quomodo habenda, 546.
Cor, vanum, sicut via omnibus patens, 71; hominis, de se maledicto obnoxium, 73; bonum, 82; quomodo custodiendum, 223; Iesu, quomodo se nobis manifestat, 452.
Corban, 216.
Cornelius a Lapide, circa divinam adsistentiam, 176.
Corozain, 439; 442.
Corpus, lucidum, 61; 63; Christi, quomodo nobis prosit, 206.
Correptio fraterna, 332.
Corvi, divina de eis sollicitudo, 501; 503.
Cras, in Scriptura, acceptum pro tempore propinquo, 535.
Credere praecedit intelligere, 210; in Filium Dei, quid significat, 421.
Crux, a Christo primo nominata, 138; ab omnibus ferenda, 271; 273.
Curationes ad Probaticam piscinam naturales non erant, 6.
Cyrus, Iudaeos a captivitate liberavit, 111.

D

Daemones, Christum Filium Dei vocant, 38; per divinam potentiam expelluntur, 41; praelatio inter eos, 45; quomodo dicuntur alligati a Christo, 49; hominem, statim post superatam tentationem, non tentant, 64; ab hominibus eiecti, ambulant per loca arida, 63; corpora possunt assumere, 175; quomodo homines torqueant, 292; 295; per orationem et ieiunium expelluntur, 299; eiecti in nomine Christi, 320; eiici possunt vel ab improbis hominibus, 321.
Daemoniacus, caecus et mutus, 41.
Dalmanutha, 241.
Daniel, tactu angelico confortatus, 280.
David, panes propositionis manducavit, 26.
Debiles in fide, 81.
Debita, quomodo remittenda, 341.
Decapolis, 231.
Decimae, apud Hebraeos, 480.
Desperatio, 53.
Deus, non omni loco aequaliter miracula patrat, 6; morbos interdum immittit ob peccata commissa, 10; quo pacto requievit die septimo, 11; misericordiam vult magis quam sacrificium, 31; cur malum permittit in mundo, 92; prompte audit eos qui se invocant, 178; gratiam sufficientem omnibus adultis largitur, 193; hominem ad Christum trahit,

196; Israel, 233; in vilioribus locis interdum efficit opera magis praeclara, 375; quomodo aliquem indurat, 389; interdum malis utitur ad miracula patranda, 411; malum non vult, 425; exorandus, ut bonos rectores populo christiano praeficiat, 434; incomprehensibilia eius iudicia, 442; mysteria sua humilibus revelat, 450; quomodo diligendus, 461; nos exaudire vult, 471; non omnia peccata in hac vita ulciscitur, 523; nos celavit numerum praedestinatorum, 532; sibi factum existimat quod fit pauperibus, 545; coenam magnam fecit, 548.

Devotio, dispositio ad extasim mentis, 276.

De Witte, 436.

Diabolus, fortis armatus, 48; 81; hominem odio habet, 226; homicida fuit ab initio, 396; aliquando a Deo exauditus est, 418; miracula primae et secundae classis facere non potest, 432; cum eo pacem inire non debemus, 553; per regem interdum significatus, 555.

Διασπορά, 368.

Diatessaron Tatiani, 5.

Didrachma, 306; 308.

Dionysius Cartusianus, circa iniurias condonandas, 342.

Disciplina arcani, 260.

Discipuli, vellentes spicas a Christo excusantur, 26; veritatem sub parabolis contentam intellexerunt, 75; non supra magistrum, 132; laborantes in mari, 175; a pharisaeis accusati, quod manus non lavent, 212; imperfectio eorum fidei, 237; ministri Christi in multiplicatione panum, 238; dicta Christi materialiter intelligebant, 246; praedictiones Christi non intendebant, 268; lunaticum liberare non potuerunt, 291; 294; fidei augmentum postulant, 298; septuaginta duo, 437; potestatem habuerunt super serpentes et scorpiones, 446; etiam super daemones, 447; non certo scivere se esse praedestinatos, 448; quinam esse possunt, 555.

Divinitas Christi, quomodo agnita, 262.

Divitiae, quomodo labiles, 496.

Docere, quid sit, 143.

Docibiles Dei, 195.

Doctrina, revelata, sedulo custodienda, 86; catholica, thesaurus inaestimabilis, 103; Christi, unde sit, 360.

Domus fortis, quid significat, 48.

Dos, claritatis, 101; 282; impassibilitatis, agilitatis et subtilitatis, a Christo assumpta, 282.

E

Ecclesia, militans, habet in se bonos et malos, 101; figurata in multitudine nutrita in deserto, 165; certum ciborum delectum praescribit, 219; fundata supra Petrum, 257; debet esse nota et manifesta, 333;

Christi, erit unicum ovile omnium ovium, 429; potestatem habet daemonia fugandi, 448; regnum Dei, 469; habet potestatem iudiciariam, 497; quomodo extranei cogendi sint in eam intrare, 551.

Eldad, 320.

Electi, eorum numerus, 83; eorum numerus incertus, 530.

Eleemosyna, quomodo liberet a damnatione, 479.

Elias Thesbites, clausit caelum, 115; comes Christi transfigurati, 277; 282; fuit Ioannes in spiritu, 285; quomodo restituturus omnia, 287; martyr occumbet, 288; puerum in cubiculo suscitavit, 350.

Eliseus puerum in cubiculo suscitavit, 350.

Ἔλλεν, 227.

Ἑορτή, 5.

Ephpheta, 232.

Ἐπιούσιος, sensus huius vocis, 473.

Ἐπιστάτα, 278.

Eucharistia, nomen in Scripturis fundatum, 186; cibus permanens in vitam aeternam, 187; a Christo palam annuntiata, 201; baptismo comparata, 202; sub utraque specie non necessario accipienda, 203; quemnam effectum producit, 204; quomodo accipienda, 204; significata per panum multiplicationem, 238.

Εὐχαριστήσας, 238.

Evangelium, quaenam eius dilatationi opponuntur, 84; gentibus quoque praedicandum, 120.

Exactores de titulo solvendo, 306; 308.

Excessus, id est mors Christi, 277.

Excommunicatio iudaica, 336.

Excusatio supponit defectum, 548.

Exorcista extraneus, 320.

Exorcistae, inter Iudaeos, 47.

Extrema unctio, insinuata apud S. Marcum, 144.

F

Fermentum, figura regni caelorum, 95; 97; pharisaeorum, 245; 490; vitia significat, 247.

Ficus infructuosa, 521; parabola hebraeis et christianis applicata, 523.

Fidelis, quomodo dispensator constitutus super familiam Domini, 512; constans esse debet, 553.

Fides ex auditu, 37; potest esse maior in uno quam in altero, 180; quanta sit eius virtus, 293; eius efficacia pro patrandis miraculis, 297; ad miraculum patrandum requisita, 299; quomodo potest crescere, 300; necessaria ad daemones eiiciendos, 320; externe asserenda, 492.

Filius, parentibus in gravi necessitate subvenire debet, 219; ius habet in domo perpetuo manendi, 392; Abrahae, eius fidem imitatur, 395; pacis, 435; pro parentum culpis, quomodo punitur, 486.
Filius Dei, unum cum Patre in natura, distinctus tamen in persona, 12.
Fimbria, 183.
Fletus, in inferno, 100; in damnatis, 533.
Fornicatio, idolorum cultus sic vocatus, 397.
Forte, sensus huius particulae, 443.
Fortitudo, specialis virtus, 135; eius principalior actus, 135.
Fragmentorum collectio, 240.
Fratres Christi quaerunt illum videre, 66; quinam vocantur, 349; 351; quomodo in Christum credebant, 352.
Fructus, centesimus, sexagesimus et trigesimus, 72; 82; 83.
Fuga, aliquando permissa, 130.

G

Galilaea, prophetae ex ea oriundi, 376.
Galilaei a Pilato occisi, 520.
Gaulonitis, 252.
Gazophylacium, 385.
Gehenna, sensus huius vocis, 491.
Genesareth, terra, 179; 182.
Giezi peccante, lepra transmissa est ad posteros, 486.
Gnostici, circa originem mali, 409.
Granum sinapsis, 95.
Gratiarum actio, 166; maximum officium, 235.
Gratitudo, leprosi samaritani, 355; quomodo sit sub praecepto, 358.
Gregorius Magnus, S., circa Christi humilitatem, 235; remissionem iniuriarum, 341; circa mercenarium, 428; gaudium discipulorum de potestate sibi concessa, 447; peccatum avaritiae, 498; carnales voluptates, 549.
Gregorius Nazianzenus, S., circa sabbatum secundo primum, 28.

H

Haereses, quantum possibile, coercendae, 93.
Haeretici, utrum tolerandi, 102; Eucharistiam negantes, 199.
Hebetudo sensus, 303.
Helvidius, hostis virginitatis Mariae, 351.
Hereditates penes Hebraeos, 494.
Herodes, a Christo vocatus vulpes, 534; Christum interficere voluit, 536.

Herodes Antipas, 145; eius tristitia, an fuerit vera, 149; quo pacto rex appellabatur, 150; inquietus ob mortem Baptistae, 157; videre Iesum quaerit, 158; eius fermentum, 245.
Herodiani, 36; sadducaeorum erroribus imbuti, 246; 248.
Herodias, 145.
Hieronymus, S., circa relatos textus, 40; curationem daemoniaci caeci ac muti, 43; haereticos, 102; tristitiam Herodis, 149; reliquias panis in deserto, 167; multiplicationem panum, 168; Christum ambulantem super aquas, 177; miracula Christi, 233; fermentum pharisaeorum, 248; circa verba: *vade post me*, 268; montem transfigurationis. 282; Moysen cum Christo apparentem, 283, angelum custodem, 329; dimissionem iniuriarium, 338; circa Christum scribentem in terra, 379; discipulorum gaudium de potestate sibi concessa; 447; nomen Barachiae, 485.
Hierusalem, prophetarum interfectrix, 535.
Hilarius, S., circa verba: *Vade post me,* 268; angelum custodem, 328; circa verba: *Discite a me,* 454.
Ἡλικία, 504.
Homo, a diabolo occupatus, figura Iudaeorum, 62; malus; domus diaboli, 63; gratia Dei potest omnia divina mandata adimplere, 209; quomodo coinquinatur, 222; quot debita habeat apud Deum, 339; viam sibi ad fidem occludit, 364.
Horatius, circa avaritiam, 499.
Humilitas, quantum Christo placeat, 312; conditio ut quis in regnum caelorum ingrediatur, 315; a Christo commendata, 318; affectata, vitanda, 545.
Huss Ioannes, circa potestatem iudicandi, 381.
Hydropicus, a Christo sanatus, 539; quid per illum significatur, 541.
Hypocrisis, quodnam peccatum sit. 219; fermento comparata. 488.
Hypocritae, monumentis comparati, 478; a Christo stulti vocati, 479.

I

Iacobus maior, testis transfigurationis, 275; ignem de caelo vocari vult, 345.
Iacobus minor, 110.
Idumaea, 37.
Ignatius, episcopus antiochenus, 312.
Ignis inextinguibilis, 324; a Christo accensus in terra, 514; 515.
Ignorantia, quomodo excusat a peccato, 512.
Immunditia legalis, 223.
Immundus spiritus, 61.
Impius, quomodo iustificatur, 527.
Impoenitentia, 53.

Impugnatio veritatis agnitae, 53; 415.
Incarnatio, eius finis, 191.
Infernus, quas poenas secumfert, 100; 104; quid significet hoc nomen, 258; ignis inextinguibilis, 324; tormenta inferni, perpetua, 342.
Infirmis cito sublevandum, 542.
Infirmitates, a Deo ad emendationem immissae, 37; non semper ob peccatum personale, 292.
Ingratitudo, quomodo facit reviviscere peccatum, 342; gradus in ea observandi, 358.
Ingredi et ***egredi,*** 424.
Iniuriae condonandae, 337; etiam in veteri Lege, 342; dimittendae, 470.
Insipientia, 33.
Invidentia fraternae gratiae, 53.
Invitatus ad nuptias, 543.
Ioannes Baptista testimonium de Christo tulit, 17; fuit lucerna lucens et ardens, 18; praedicationem suam inchoavit a poenitentia, 142; decollatur, 146; ubi sepultum, 150; fuit Elias in spiritu, 286; eius mors, praesagium mortis Christi, 286; orandi modum docuit, 469.
Ioannes Chrysostomus, S.. circa malitiam diaboli, 43; parabolas, 79; haereticos, 102; perseverantiam, 130; filiam Herodiadis, 146; multiplicationem panum, 168; quaestionem Iudaeorum: *quid faciemus,* etc., 192; circa effectum Eucharistiae, 204; Petri dignitatem, 221.
Ioannes Evangelista, S., non fuit a morte exemptus, 274; testis transfigurationis, 275; ignem de caelo vocari vult, 345.
Iob, eius querelae amori Crucis non oppositae, 132.
Ionas, typus Christi, 56.
Ioseph, S., adhuc in vivis, cum Christi propinqui hunc tenere exierunt, 45; etiam cum Iesus in Nazareth praedicavit, 112; probabiliter mortuus Hierosolymae, 113; filios non habuit, 351.
Ioseph Barsabas, 437.
Ira, per zelum, 33; in Christo, 34.
Irenaeus, S., eius error de Christi aetate, 404.
Isaias, eius de Christo prophetia, 30; 108; circa obcaecationem Iudaeorum, 76.
Iudaei, Christo infensi, 9; ei rebelles, 18; hominum gloriam quaerebant, 22; non veriti sunt Christum Beelzebub vocitare, 130; cistiferi a Martiale vocati, 167; eorum de Christo opinio, 171; 172; in Christum murmurantes, 189, 194; instabiles in fide, 192; multipliciter Christum offendunt, 194; falsas traditiones invexerant, 216; a Christo signum petunt, 242; utrum fuerit in eis potestas ligandi et solvendi, 262; Iesum quaerunt interficere, 360; illum accusant, quasi daemonium habeat, 361; non omnes habuerunt explicitam fidem de Trinitate, 363; Christi verba non intelligebant, 366; potestate capitalia iudicia ferendi privati, 378; quam caeci fuerint, 388; quid de suicidio tenerent, 390;

quomodo alienis servierunt, 393; iactabant se filios esse Abrahae, 395; orabant pluries in die, 469; doctoribus suis clavem et tabulas tradebant, 483; eorum tribunalia ad lites dirimendas, 495; certo scire potuerunt tempus adventus Messiae, 519; impoenitentes puniti, 523; quomodo facti ultimi, 531.

Iudas, missus a Domino ad praedicandum, 143; dictus diabolus a Christo, 208.

Iudas Galilaeus, 426.

Iudex est animata iustitia, 430.

Iudicium, secundum quatuor considerandum, 15; quomodo non rectum, 16; iustum, quomodo faciendum, 362; in eo sunt discretio boni a malo et prolatio sententiae, 403; discretionis et retributionis, 417; caritati coniungit Dominus, 478.

Iugum Christi suave, 451; 454; 533.

Iuramentum, sine iudicio et iustitia, 147; non obligat, 149.

K

Kepha, 257; 262.

Κωφός, 233.

L

Lactantius, circa ignem inferni, 327.

Lapis molaris, 323.

Lapsus hominis per historiam Samaritani significatus, 462.

Legis peritae, a Christo reprehensi, 481.

Leo, S., circa resurrectionem Christi, 58; Christi transfigurationem, 281; parvulorum simplicitatem, 315.

Leprosi, decem, a Christo mundantur, 354; per hoc quod ad sacerdotes pergerent mundati sunt, 356; sacerdotibus se praesentare debebant, 357.

Levita, sensus huius vocis, 458.

Lex mosaica praemium habebat vitam aeternam, 460; portabilis fuit, 483.

Libanius sophista, 112.

Libertas, vera et falsa, 392.

Lilia, divina de eis providentia, 501.

Λογία Ἰησοῦ, 78.

Lolium, 90.

Lotiones frequentes penes Iudaeos, 213.

Lucerna, non ponenda sub modio, 85; quid per eam intelligitur, 87; ardentes in manibus, 505.

Lunaticus, surdus et mutus, male a daemonio vexatus, 289; curatur a Iesu, 293; repraesentat peccatorem, 295.

Lupi, quinam sic designantur, 430.

Lutum ex sputo a Christo factum, 409.

M

Magedan, 241.
Malitia, peior quam infirmitas, 52.
Malum, cur a Deo permittatur, 92.
Manducare Eucharistiam sacramentaliter et spiritualiter, 202.
Manichaei, negarunt Christo carnem fuisse, 66; legem mosaicam fuisse a Deo, 357; circa originem diaboli, 398; naturam mali, 409; prophetas, 424.
Manna a Deo in deserto datum, 190; quomodo differt a pane eucharistico, 192; in deserto, 198.
Manus, arida, a Christo sanata, 32; quid significat, 35.
Maria, Dei Mater, beata praedicatur ob fidem suam, 65; sua caritate meruit excellentiam gratiae, 67; nihil nisi sanctum de Iesu tenuit, 68; a tributo solvendo libera, 308; Mater Dei, significata per Mariam et Martham, 467.
Maria, soror Lazari, sedebat secus pedes Iesu, 463; optimam partem elegit, 465.
Martha Christum in domum suam excipit, 463; quo pacto a Christo reprehensa, 465.
Martialis, S., 312.
Martyrium, eius excellentia, 138; utrum cadat sub praecepto, 140.
Matthaeus, S., Isaiae locum aliis refert verbis, 40.
Medad, 320.
Mendacium, unde ortum habuerit, 396.
Mensura, qua quis mensus fuerit, 88.
Mercenarii proprietates, 427.
Messis multa, 434.
Metempsychosis, 159.
Metus Iudaeorum multos impediebat ne palam de Christo loquerentur, 360.
Millius, circa historiam mulieris in adulterio deprehensae, 380.
Ministri Ecclesiae, a solvendo tributo non liberi, 309; pharisaeorum, quo pacto commendabiles se exhibuerunt, 375.
Minutius Felix, circa ignem inferni, 325.
Minutum novissimum, 519.
Miracula, a Christo die sabbato patrata, 35; ab Apostolis patranda, 121; ordo eorum ad fidem, 442.
Missio Filii a Patre, aeterna et temporalis, 203; septuaginta duorum discipulorum, 436.
Μογιλάλος, 233.
Mons praecipitii, 116.
Morus, arbor, 298.

Moyses, eius penes Iudaeos auctoritas, 27; accusaturus Iudaeos, 23: comes Christi transfigurati, 277; 282.
Mulier in adulterio deprehensa, 377; huius historia omnino recipienda, 380; incurvata a Christo sanata, 525.
Multiplicatio panum, prior, 165; figura Eucharistiae, 166; quale miraculum fuit, 168; in veteri Testamento figurata, 169; secunda, 236; differentia inter primam et secundam, 239.
Mundus Christum odio habuit, 352.
Murmurationes Iudaeorum, undenam ortae, 196.
Mysteria non omnibus aeque manifestantur, 79.

N

Naaman Syrus, 115.
Nabuchodonosor, eius sors, 197.
Navicula, cur ad praedicandum selecta, 37; figura Ecclesiae, 70; 175.
Nazareth, Christi patria, 108; cives, in Christo scandalizabantur, 112; 114: paucas tantum ibi virtutes fecit Christus, 116.
Necessarium unum, 465.
Nicodemus prudenter defendit Christum, 374; 376.
Ninivitae, 56.
Νομικὸς, 456.
Nova et vetera, quid per hoc intelligitur, 106.
Novissimus locus, 544.
Nox, in quatuor vigilias distributa, 175; in quatuor partes divisa, 506; 507.
Nubes, in transfiguratione, 278.

O

Obcaecatio, duplicem habet causam, 76.
Obsessio diabolica, eius effectus, 291; variae species, 300.
Obstinatio, 53.
Ὄχλος, 9.
Oculus simplex, 50.
Ὀφία, sensus huius vocis, 176.
Oleum, natura sua sanativum, 142.
Oliveti mons, 377.
Opera, ad extra, communia toti Trinitati, 10; servilia, quae, 34; mala, bona intentione facta, 63; bona, a Christo non reprehensa, 317; supererogatoria, 318.
Oratio, remedium contra pericula, 179; perseverans, 228; elevatio mentis in Deum, 276; communis, 333; dominica, 469; quomodo in ea insistendum, 470; apud S. Matthaeum et S. Lucam, 473.
Orientales longas deferunt vestes, 505.

Origenes, circa orationem dominicam, 472.
Ostiarius, quis sic intelligitur, 426.
Ostium ovilis, 423.
Oves Christi, quinam sic intelliguntur, 425.
Ovile, quo pacto unum fiendum, 432.
Ovis errans, 329.

P

Πανδοχεῖον, 459.
Panes, propositionis, 27; in veteri Testamento multiplicati, 164; multiplicati a Christo, 165; quomodo, 168; panis Christi est vivus, 193; denuo multiplicati, 238; quid significent, 240; quotidianus postulandus, 469; eius significatio. 474; hoc nomen pro omni esca adhibitum, 539.
Parabola, seminantis, 70; quis sit illius finis, 74; quid sit, 76; quotuplex a Christo recitata, 77; de grano sinapis, 94; de fermento, 95; de thesauro abscondito in agro, 103; de sagena, 104; de centum ovibus, 330; non in omnibus extendenda, 342.
Paralyticus, ad Probaticam piscinam, 3.
Parvuli, quinam sic intelliguntur, 453.
Pascha, festus dies Iudaeorum, 1; 5.
Passeres, numerosi in Palaestina, 134; 489; quo pretio venum ibant, 492.
Pastor bonus, eius descriptio, 423; actus eius proprii, 426; eius notae, 427; quandonam fugere valeat, 431; qualem mercedem possit quaerere, 431.
Pater, diligit Filium, 13; hoc nomen sumitur essentialiter et notionaliter, 203; testimonium fert de Filio suo, 279; est fontale principium in Trinitate, 389.
Paulus, S., testatus est se pharisaeum esse non sadducaeum, 248.
Pax, a Christo allata, 137; inter nos retinenda, 326; duplex, interna et externa, 514.
Peccator poenitens iusto perseveranti comparatus, 331.
Peccatores, quomodo possunt miracula facere, 413; quomodo exaudiuntur, 420.
Peccatum, in Spiritum Sanctum, 53; impedit hominem ab ingressu caeli, 120; originale, per particulam carnis ex Adam non derivatur, 224; veniale hominem quodammodo impedit ab ingressu regni caelestis, 314; utrum possit reviviscere per ingratitudinem, 342; omne, quomodo ex diabolo, 399; in Spiritum Sanctum, 492.
Perfecti non scandalizantur, 327.
Persecutiones in Christi asseclas, 129.
Petrus, S., circa respuentes gratiam, 64; ceteris Apostolis fide ardentior, 178; ferventior inter Apostolos, 208; eius de Christi divinitate splendida confessio, 256; 261; Christus ei promittit claves regni caelorum,

259; potestas eius successorum, 263; increpatur a Domino, 266; testis transfigurationis, 275; eius gaudium, 278; eius de tributo solvendo sententia, 306; Ecclesiae petra, 308; prophetico spiritu Ananiae et Sapphirae mortem verbo induxit, 347; Apostolorum oraculum, 509.

Petrus Chrysologus, S., circa diabolum seminantem zizania, 91.

Pharao, eius sors, 197.

Pharisaei, increpant discipulos vellentes spicas, 26; observant Christum, 31; ei malum machinantur, 34; 36; infensi Herodianis, 36; Iesum accusant, quasi Beelzebub habeat, 42; progenies viperarum, 52; signum a Christo petunt, 55; discipulos accusabant, quod manus ante cibum non lavarent, 212; falsae eorum traditiones, 216; 248; mittunt ministros ad Iesum apprehendendum, 366; Christo insidias struunt, 373; quam severi in mulierem in adulterio deprehensam, 378; Christo calumniantur, 383; habebantur tanquam iudices causarum religiosarum, 411; eorum patens invidia, 414; 417; decimantes mentham et rutam, reprehenduntur, 477; eorum fermentum, 487.

Philippus, Apostolus, interrogat Christum de panibus, 162.

Philippus Benitius, S., panem multiplicavit, 167.

Phoenicia, 226.

Ψυχή, duplex huius vocis sensus, 140.

Pietas iustitia debet temperari, 478.

Piscis, figura hominis christiani, 104; multiplicatus a Christo, 166; 240; staterem gerens in ore, 307.

Pius X, circa parabolas, 78.

Platonicorum sententia de praeexistentia animarum, 407.

Poenitentia, secunda post naufragium tabula, 142; necessitas, 521.

Poenitere, sensus huius verbi, 443.

Porphyrius, impia eius de Christi voluntate positio, 353.

Porta angusta, 530.

Portae, quid significet hoc nomen, 258.

Potestas ligandi et solvendi in Apostolis, 263.

Praecepta omnia possunt servari, 317.

Praeceptum de dilectione Dei et proximi, 457.

Praedestinatio, 191.

Praedicatio evangelica, cur semini comparata, 73; quomodo habenda, 124; sedulo praeparanda, 493.

Praedicator fidei, quomodo se gerere debeat, 124; ad orationem debet recurrere, 172; quomodo oculos ad caelum intentos habere debeat, 500.

Praelati, a subditis interdum possunt corripi, 335; boni, quomodo vivere debeant, 430.

Praesumptio, 53.

Primatus, contentio de eo, 310.

Principium, quomodo dictum de Christo, 388; de Patre, 390.

Probatica piscina, 1; 6.
Προβατον, 2.
Processio, ad intra et ad extra, 398.
Progressus in fide, 98.
Propheta, non acceptus in patria sua, 114; cur, 117; merces illum recipientis, 138; Christus, cur sic dictus, 171; olim ad gentiles missus non fuit, 366; qualis foret in mente Iudaeorum, 370; non omnes prophetae Hierosolymis occisi sunt, 537.
Propinqui Christi, probabiliter non tenuerunt illum esse furiosum, 44.
Proverbium, 424.
Providentia Dei, 134; circa hominem, 500.
Proximus, quomodo diligendus. 457; 460.
Pseudoprophetae, annuntiati, 22.
Puer, sensus huius vocis, 38; a Iesu propositus in exemplum humilitatis, 311; quomodo, 314; non scandalizandus, 328.
Pulverem pedum excutere, quid significet, 125.
Puniri unus pro altero quomodo potest, 408.

R

Regina Saba, 57; condemnatura Iudaeos, 59.
Regnum, divisum contra se desolabitur, 46; caelorum, quid significat, 338.
Ῥῆμα, 206.
Respondere, sensus huius verbi, 449.
Resurrectio vitae, 14; nostra est a Christo, 197.
Resurrecturi, quomodo audient vocem Filii Dei, 15.
Retributio, in eius gratiam operari licet, 546.
Revelatio, gratuitum Dei donum, 451.
Rudes, a Deo interdum mire illustrantur, 490.

S

Sabbato licebat Iudaeis asinum aut bovem e puteo extrahere, 526; 540.
Sabbatum, secundo primum, quid significet, 25; 28; propter hominem factum, 27.
Sacculus, non portandus, 435.
Sacerdotes primi et secundi ordinis, 434.
Sadducaeorum secta, 248.
Sagena, 104.
Sagittator signum prius perspicit in quod iacienda est sagitta, 281.
Sal, bona res est, 325.
Saliva sapientiam designat, 252.
Salome, filia Herodiadis, saltatrix, 145; quid de eius morte, 150.

Salutationes prolixae vitandae, 438.
Samaritani Christum recipere nolunt, 345; historia, 458; caritas, 462.
Samaritanus leprosus, 355; Christum uti Deum agnovit, 357; mystica huius nominis significatio, 400.
Sanctorum intercessio, 229.
Sandalia, an gerenda a praedicatoribus apostolicis, 126.
Sandapila, 112.
Sanguis Christi, adumbratus per aquas Siloe, 6.
Sanhedrin, mandavit ut Christus caperetur, 367.
Sarepta Sidoniorum, 115.
Satanas, quomodo Satanam eiicit, 47; proprie est adversarius, 257; inimicus per antonomasiam, 446.
Satum, mensura, 95; 98.
Scandalum, propter Evangelii verbum, 83; 206; 267; pharisaicum, negligendum, 221; quomodo vitandum, 309; quam grave sit peccatum, 323; poena ei reservata, 326; quomodo necessarium, 327; quotuplex, 327.
Scenopegiae festum, 345; 369.
Scriba, doctus in regno caelorum, 105.
Scriptura Sacra, liber vitae, 21; quomodo investiganda, 23.
Sedere, ad magistrum pertinet, 153.
Semen, proiectum in terram, 87; 90; sinapis, 94.
Seminator, principalis, Christus, 80; secundarii, 81.
Seneca, circa correptionem fraternam, 335; circa diem mortis, 508.
Sensus litteralis parabolarum, 77.
Sepp., circa curationes ad Probaticam piscinam, 7.
Septenarius numerus in Scriptura, 338; magnam significat multitudinem, 62.
Sepultura christiana non est res vana, 491.
Sermo Christi, ad Apostolos, 123; eucharisticus, 185, seq.; utrum durus, 205; vivus et efficax, 206.
Servitus triplicis est generis, 394.
Servus bonus inutilem se praedicat, 316; non manet in domo in aeternum, 392; peccati, 393; fidelis, 510; infidelis, 510.
Si, particula, eius vis, 243.
Signa temporum, apud Hebraeos, 517.
Signum Ionae prophetae, 56; 244; de caelo, 242.
Siloe natatoria, 407.
Simonia, a Christo vetita, 121.
Simplices saepe doctiores sunt quam docti, 374.
Sinapis granum, qua ratione minimum dicitur, 97; quid significat, 97; fides ei comparata, 298; 305.
Sodomorum damnatio, minor damnatione Iudaeorum, 127.
Sosthenes, 437.

Spiculator, 147.
Spiritus Sanctus, cur vocatus digitus Dei, 49; blasphemia in eum, 51; aliquando locutus per simplices homines, 131: uberius post Christi glorificationem datus, 370; 371; eius gratia sub symbolo aquae designatur, 371.
Sportae plenae fragmentis, 238.
Stater, in ore piscis, 307.
Strauss, 436.
Surdus et mutus a Christo sanatus, 231.
Synagoga, quid esset extra synagogam fieri, 415; 416.
Synedrion, 266; 367.
Syrophoenices, 226.

T

Tabernaculorum festum, 345; 360; 369.
Tabigah, 154.
Templum, quid hoc nomine intelligitur, 378.
Tempus Christi, 352.
Tentatio, 162.
Terra, quomodo ultro fructificat, 88.
Tertullianus, circa motionem aquae ab angelo, 5; circa potestatem discipulis concessam super serpentes, 446; orationem dominicam, 472; ignem a Christo missum in terram, 513.
Testimonium duorum vel trium, accipiendum, 384.
Thabor, 281.
Thaddaeus, 437.
Thesaurus, absconditus in agro, 103; inventus, ad quemnam pertinet, 105.
Theudas, 426.
Thomas, S., circa loca humentia, 64; impedimenta vitae spiritualis, 82; praesentiam mali in mundo, 92; haereticos, 102.
Tiberias, 152.
Timiditas potest esse peccatum, 135; quomodo sit peccatum, 416.
Traditiones christianae, 214; pharisaicae, 215; divinae et ecclesiasticae, observandae, 218.
Transfiguratio Christi, 275; brevi completa, 280; fuit miraculum, 282; relate ad eius baptizationem, 283.
Tributum, a quonam solvendum, 306.
Tridentinum Concilium, circa Libros sanctos, 377.
Trinitas, in Christi transfiguratione, 283.
Trinitatis mysterium, 384.
Tullius, circa potestatem alios redarguendi, 381,

Turbae humiliter Iesum audiebant, 242; diversae earum de Christo opiniones, 255.
Turris Siloe, 521.
Tyrus et Sidon, 225; 440.

U

Ut, sensus huius particulae, 425.

V

Vasa diaboli sunt mali homines, 49.
Verbum, otiosum, 52; sensibile, vim habet in sacramentis ex hoc quod profertur, 235.
Veritas nequit penitus occultari, 133; hominem liberat, 391.
Vermis immortalis, 324.
Vestimenta Christi transfigurati, 276.
Wicleffus, circa potestatem iudicandi, 381.
Vincentius Lirinensis, S., circa progressum in fide, 98.
Virga, an sumenda a praedicatoribus, 126.
Virtutes, sic miracula dicuntur, 110.
Vita, habetur per Christum, 14; Dei est ipsum esse Dei, 14; activa et contemplativa, 466; religiosa, 556.
Voluntas beneplaciti et signi, 181; 229; antecedens et consequens, 329; perversa ad veritatem nequit accedere, 398.
Voluptates carnales, impedimentum ne quis coenae Dei intersit, 549

Z

Zacharias, filius Barachiae, 482; 485
Zizania, 90.

INDEX GENERALIS

RERUM CONTENTARUM IN HOC VOLUMINE

PAG

SSm̃i Domini nostri Pii XI ad auctorem Epistola v

Praefatio VII

SYNOPSIS GENERALIS

CONCORDIAE QUATUOR EVANGELIORUM.

VOL. II.

PARS IV. — A secundo Paschate vitae publicae Iesu Christi Domini nostri usque ad tertium Pascha 1

PARS V. — A tertio Paschate vitae publicae Iesu Christi Domini nostri usque ad ultimam eius vitae mortalis hebdomadam 211

INDEX SECTIONUM Voluminis II. Concordiae quatuor Evangeliorum. 557

INDEX ANALYTICUS Voluminis II. Concordiae quatuor Evangeliorum alphabetico ordine digestus. 567

LAUS DEO ET DEIPARAE

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS2560.L46 C001 V002
DIATESSARON SEU CONCORDIA QUATUOR EVANGE

3 0311 00022 4704

WITHDRAWN

44612

BS
2560
.L46
v.2

44612

AUTHOR Lépicier, Alexius H.M.

TITLE DIATESSARON SEU CONCORDANTIA QUATUOR EVANGELIORUM...

DATE DUE

BORR

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.